PHILIPPI MELANCHTHONIS

EPISTOLAE, IUDICIA, CONSILIA, TESTIMONIA

ALIORUMQUE AD EUM EPISTOLAE

QUAE

IN CORPORE REFORMATORUM

DESIDERANTUR.

UNDIQUE EX MANUSCRIPTIS ET LIBRIS EDITIS COLLEGIT
ET SECUNDUM SERIEM ANNORUM DIERUMQUE

DISPOSUIT

HENRICUS ERNESTUS BINDSEIL

PHILOS. DR. PROFESSOR
BIBLIOTHECAE REGIAE ACADEMICAE
PRAEFECTUS SECUNDARIUS.

HALIS SAXONUM
TYPIS SUMTIBUSQUE GUSTAVI SCHWETSCHKE
MDCCCLXXIV.

VIRO SUMME VENERANDO

RUDOLPHO ROEDENBECK

THEOLOGIAE DOCTORI
CURATORI ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALENSIS
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATAE
SUPREMI REGIMINIS CONSILIARIO INTIMO
AQUILAE RUBRAE IV. CL. EQUITI

HUNC LIBRUM

D. D. D.

OBSERVANTISSIMUS EDITOR.

PRAEFATIO.

In hoc opere offero ad Corpus Reformatorum supplementa, quae fere per quindecim annos collegi, at non omnia, quae in promptu habeo, sed ea tantum, quae ad priores novem tomos et principium decimi pertinent, ne plagularum numerus maior reddatur. Exhibentur enim aeque ac in illis Corporis voluminibus epistolae, iudicia, consilia, testimonia et alia varia, quae illic omissa sunt.

Libenter fateor, me tantam copiam, quanta in hoc opere offertur (585 nrr.), non colligere potuisse, nisi a multis viris clarissimis venerandisque benevole adiutus essem, qui aut Codices, in quibus epistolae ineditae inveniuntur, aut apographa ineditarum epistolarum aliorumque scriptorum ad me miserunt, aut libros indicarunt, in quibus literae exstant, quae Virum summe venerandum Bretschneiderum, editorem illorum Corporis tomorum, fugerant. Quapropter non possum quin publice maximas agam gratias his adiutoribus.

In hac urbe nomino primo loco amicissimum Superintendentem Fulda piae memoriae, qui aliquot autographa et plura apographa mihi quondam donavit, praeterea Professores Boehmer (nunc Argentoratensem) et Brieger, qui mihi plures epistolas significarunt; ***Argentorati*** Professorem Dr. theol. Carolum Schmidt, qui aliquot literas ineditas, illic in Bibliotheca proh dolor incendio nuper deleta tunc temporis asservatas mihi descripsit; ***Dresdae*** Consiliarium regis intimum Dr. a Weber, tabularii publici primarii Dresdensis summum praefectum, qui liberaliter a regis in imperio administrando administris veniam mihi impetravit, ut in illo tabulario epistolae ineditae in meum usum describerentur, et Pastorem emeritum Lic. theol. Seidemann, qui non solum illius tabularii epistolas sed alias etiam benigne mihi descripsit, denique Dr. Schnorr a Carolsfeld, Bibliothecae regiae Dresdensis Secretarium, qui epistolae ineditae apographon mihi comiter misit; ***Elberfeldiae*** Pastorem Krafft, qui amice plures libros, in quibus literae Melanchthonis inveniuntur, mihi indicavit; ***Francofurti ad Moenum*** Pastorem Dr. theol. Steitz, qui sua et Clariss. Viri Dr. Classen programmata, quae nonnullas Melanchthonis epistolas continent, mihi donavit; ***Giessae*** Professorem Dr. Soldau, Bibliothecae academicae praefectum, qui apographa aliquot scriptorum ineditorum, quae in illa Bibliotheca asservantur, benigne ad me misit; ***Guelferbyti*** Dr. a Heinemann, Bibliothecae ducalis praefectum, qui Codicem MS. mihi commodavit, et in eius vicinia (***Gross-Stückheim***) Camerarium hereditarium G. a Berlepsch, qui aliquot epistolas tabularii Casselani partim mihi descripsit, partim indicavit; ***Hamburgi*** amicos nunc defun-

ctos Doctores Hoffmann et Klose, Bibliothecae illius civitatis custodes, qui mihi Codices MSS. illius Bibliothecae commodarunt et multas epistolas significarunt; ***Herbornae*** Professorem et Pastorem Nebe (nunc Rosslebiae), qui programma mihi donavit; Senatum oppidi Thuringici ***Mühlhausen,*** qui apographa aliquot epistolarum tabularii sui ad me misit; in urbe ***Seehausen*** Dr. Goetze, Gymnasii illius urbis praeceptorem, qui apographa mihi donavit; ***Tiguri*** Professorem Dr. Voegelin, Bibliothecae illius civitatis praefectum, qui celeberrimae collectionis Simlerianae epistolas mihi describendas benigne curavit; ***Wernigerodae,*** patria urbe, Dr. Iacobs, Bibliothecae et tabularii Illustrissimi Comitis Stolbergo-Wernigerodani praefectum, qui Codices MSS. aliosque libros mihi commodavit; ***Wittenbergae*** Dr. theol. Schmieder, Seminarii regii theologici Directorem, qui Codices MSS. Bibliothecae huius Seminarii ad me misit, atque Pastores Baxmann et Stier, qui programmata ab ipsis edita mihi donarunt.

Praeterea multi libri, qui recentiori tempore prodierunt, magnum epistolarum eo usque ineditarum numerum exhibuerunt, praesertim Ephemerides historico-theologicae a Professoribus primum Illgenio, deinde Niednero, nunc Kahnis editae, et Naumanni Serapeum anni 1867. nr. 4—9., ubi Prof. Dr. Scheler e Professoris Van de Velde Apparatu Melanchthoniano triginta et septem epistolas ineditas divulgavit. Has omnes meo operi inserui, ut lectores iis secundum annorum dierumque seriem dispositis ac eum aliis coniunctim facilius uti possent.

Oro denique, ut hic liber operosus a viris doctis benevole excipiatur. Utinam mihi septuagenario reliqua etiam supplementa a me collecta edere contingat!

Halis Saxonum, mense Novembri 1873.

BINDSEIL.

PROLEGOMENA.

Ratio, qua in his supplementis usus sum, eadem est ac in ipso Corpore Ref. e. c. in supplementis Tomo IV. annexis invenitur, ubi ***numero epistolae*** (vel consilii etc.) ***supplementorum*** adscriptus est ***numerus epistolae Corporis,*** quam epistola supplementorum tempore proxime sequitur, ***addita litera b.,*** et ***volumen Corporis eiusque pagina, ubi illa legitur.***

Maxima huius tomi pars occupatur ***epistolis,*** multo minor ***iudiciis, consiliis, testimoniis aliisque scriptis,*** cuiusmodi permulta etiam in Corpore epistolis interposita sunt. ***Epistolae*** in tria genera dispertiendae sunt:

A. Epistolae, quas Melanchthon ad alios scripsit.
Harum tres classes sunt distinguendae:
1. Epistolae, quas ***solus suoque nomine*** scripsit;
2. Epistolae, quas ***ipse Electoris nomine*** scripsit;
3. Epistolae, quas ***coniunctim cum aliis*** vel ipse scripsit, vel tantum subscripsit.

B. Epistolae, quas alii ad Melanchthonem vel solum vel etiam ad alios coniunctim scripserunt.

Ex his elucet, harum quoque duas classes distinguendas esse:

1. Epistolas, quae ab aliis ***ad solum Melanchthonem*** scriptae sunt;
2. Epistolas, quae ab aliis non ad solum Melanchthonem, sed etiam ad ***alterum pluresve cum eo coniunctos*** scriptae sunt.

C. Epistolae nonnullae, quas ***alii*** non ad Melanchthonem, sed ***ad alios*** scripserunt.

Epistolarum huius generis multae etiam in Corpore leguntur, quippe quae aut Melanchthonis vitam aut historiam illius temporis illustrant.

Permultae, quae ad A, 3. et ad B, 1. 2. pertinent, eae nempe, quae ad Lutherum aut a Luthero vel scriptae vel subscriptae sunt, non ipsae exhibentur, sed lectores delegantur ad collectiones epistolarum Lutheri, quas de Wettius, Seidemannus et Burkhardtus ediderunt. Hae enim in multorum manibus aut facile acquirendae sunt. Quae vero in his collectionibus desunt, integrae afferuntur.

Fere 145 epistolae aliave scripta in hoc tomo primum eduntur, eamque ob causam in Indice ***asterisco*** signantur.

ANNO 1518.

1. No. 23ᵇ. (Vol. I. p. 49.) 11. Oct.

Martinus Lutherus ad Phil. Melanchthonem.

Hanc epistolam Augustae scriptam legas in Lutheri epistolis a de Wettio editis (Berlin 1825—1828. 5 Bde. 8⁰) Tom. I. p. 145 sq. No. 82.

---

2. No. 25ᵇ. (Vol. I. p. 51.) 23. Oct.

Christophorus Scheurlius ad Phil. Melanchthonem.

Haec epistola ex autographo primum divulgata est in libro: Christoph Scheurl's Briefbuch, ein Beitrag zur Geschichte der Reformation und ihrer Zeit, herausgegeben von Franz von Soden und J. K. F. Knaake (Potsdam, 2 Bde. 8⁰. I. 1867. II. 1872). Tom. II. p. 54 sq. Nr. 173.

Undecunque erudito ac celebri domino Philippo Melanchthoni, professori Wittenbergensi, amico honorando.

S. Redeuntem me Aschaffenburgo, Philippe undecunque erudite, tantum me oblectarunt litterae tuae suavissimae [1]) quantum haud facile exprimere possum; certe omnis laboris immemor summa perfusus sum in his pellegendis voluptate. Quis enim non gauderet tam doctum, tam humanum amicum, qui ultro sua sponte nullis meis meritis de se bene merendi occasionem attulit? Professus sum accepto doctrinae gradu apud Wittenb. quinquennio: quantulus sum apud Wittenbergenses factus sum, his omnia accepta ferenda. Nullum hi in me officii genus praetermisere: tantum Wittenbergae debeo quantum patriae, tantum Wittenbergenses amo quantum ex meo sanguine natos. Nunquam aliud

1) Hae Melanchthonis litterae d. 24. Sept. 1518 ad Chrph. Scheurlium scriptae leguntur in Corporis Reformatorum Vol. I. p. 48. No. 22.

mihi persuadere potui nisi deum sibi, matri, Sanctis et Musis omnibus delegisse ab aeterno Wittenbergam peculiarem sedem. Res ipsa hoc monstrat: ut quisquis inter academicos addo etiam cives pollet, ita illo familiariter utor; longum esset amicorum catalogum recensere. Quod tu quoque quae tua est modestia. etsi ego sperare non audebam, meam amicitiam non aspernaris, ago habeoque immortales gratias. Hoc unum superest, ut me utaris amico: si tibi possum gerere morem, cui dare beneficium accipere est, qui Irenico, Hutteno et reliquis eruditis non vulgariter celebraris, qui tua virtute Wittenbergam immo Saxoniam illustras, tam faciam lubens quam qui maxime desiderat. Interea mittit Koberger unicum quod habet exemplum bibliae Graecae Lipsiensi institori suo, quod aestimat aureis octo; forsan cum meo nomine aliquid remittet. Fratrem Otthonem[1]), D. Carlstadt et reliquos amicos cupio valere. De re Martiniana perscribo Otthoni, quicum seria et omnia communia habeo. Imprimis autem commendo tibi filium meum Io. Tucher gaudeoque tua eruditione rediturum qualem maxime expecto. Sed iam me totum tibi dedo. Vale, mi optime Philippe, et me mutuo ama. Datum Nurnbergae ad X. kalendas Novembris anno 1518.

C. S. d.

---

3. No. 27 b. (Vol. I. p. 54.) (18. Novembr.?)

Martinus Lutherus ad Phil. Melanchthonem.

Haec epistola Wittebergae scripta legatur in de Wettii collectione epistolarum Lutheri Tom I. p. 171 sq. No. 93.

---

4. No. 28 b. (Vol. I. p. 55.) 22. Decembr.

Christophorus Scheurlius ad Phil. Melanchthonem.

Haec epistola in libro supra ad No. 2. recensito Tom. II. p. 75. Nr. 185. primum edita est.

Philippo Melanchtoni.

Legi suavissimas litteras tuas (quae mihi tribuis, non agnosco praeter animum et quod video de me quoque Wittenburgenses velle mereri bene) qui Wittenburgensium deliciae praedicaris, qui fidelissime doces, omnibus aeque charus, acceptus supra

---

1) Ottonem Beckmannum, Iurisconsultum et Canonicum Wittebergensem.

modum amaberis. Ego tua amicitia plurimum gaudeo daboque operam, ut illa non indignum me praestem: quare me utere ut tuo amicissimo, modo non utamur titulis, diligamus nos mutuo sinceriter, ex animo, probe. Orationem tuam dudum legeram et uno spiritu: grata virtus, gratum quod nostro Ottoni dedicata est; eam Franciscus Calvus Cumensis in Italiam attulit, homo et ipse de litteris bene meritus qui te celebrat et tui nominis studiosissimus existit. Commendo tibi meum patronum duumvirum d. J. Ebner et illius nepotem Conradum Volchamer agoque gratias, quod filium Tucherum tam familiariter complecteris, qua re gratissimum mihi facis: confido eum tua eruditione evasurum in virum bonum qui tibi quoque redditurus sit olim beneficium aut certe animum gratissimum. Vale et tibi omnia de me persuade, mi suavissime Philippe. 22. Decembris 18.

C. S. d.

ANNO 1519.

5. No. 39 b. (Vol. I. p. 76.) 10. April.

Christophorus Scheurlius ad Phil. Melanchthonem.

Hac quoque litterae primum typis descriptae sunt in eodem libro Tom. II. p. 84. Nr. 193.

Philippo Melanchtoni.

Se totum. Litteras tuas 1) dedimus Franckfordium deferendas, quo audio convenire tuos Tubingos, et diligenter commendavi quatenus reddantur. Ex Otthone intelliges confoederatos Stuckardiam obsedisse. — — — D. Martinum, D. Wolffgangum, Jeronimum, Petrum Burchardum nomine meo iubes salvere plurimum. Vale. Nurnbergae X. Aprilis anno 1519.

C. S. d.

---

6. No. 41 b. (Vol. I. p. 79.) 11. Maii.

Christophorus Scheurlius ad Phil. Melanchthonem.

Haec epistola primum edita est in eodem libro Tom. II. p. 91—93. Nr. 202. — Ibidem p. 88 sq. Nr. 200. exhibetur Scheurlii epistola ad

1) Haec verba spectant ad Melanchthonis litteras, quarum mentio fit in epistola a Melanchthone ad Scheurlium 28. Febr. (anno non adscripto) data, quae in Corp. Reform. Vol. I. p. 147. No. 63. falso ad annum 1520. a Foerstemanno relata, potius ad annum 1519. referenda est, conf. quae infra p. 6. ad epistolam 7. secundo loco annotabo.

N. N. d. 1. Maii 1519. data, quam ad Melanchthonem scriptam esse editores illi suspicantur, id quod mihi valde dubium videtur, eamque ob causam hanc epistolam h. t. praetermisi.

Ad Philippum Melanchton.

Video et gaudeo dei opt. max. beneficio pleraque mihi tecum esse communia, mi amicissime Melanchton. Scio pateris infima mediocribus commendari. Tu Wittenbergam veniens quorundam mores non prorsus probasti, potus ad stomachum parum faciebat, multa molesta voluisses constitutum annum paucis mensibus diffiniri, quin cum Martino abire decretum ne dicam stipulatum erat: post mutato consilio in multis aliter sensisti. Ego quoque anno abhinc XII. a condito gymnasio V. hebdomade paschali sub primum aspectum ingemui, indolui Wittenbergensium vitam, qui hanc patriam sortitus, inter optimates educatus, Bononiae supra VIII annos adoleveram, interea Mediolanum, Venecias, Romam, iterum Neapolim et totam ferme Italiam peragraveram, unde recens veneram. Cerevisiam horrui teste Ambrosio, Magdalenae patre, qui post nedum cyatho sed integro cantharo neque apud te amicissimum diffiteor uno haustu me invitavit. Quibusdam artistis parum probabar, donec delegi Ottonem meum, Eisnacensem[1]), Udalricum de Dinsthel, delicias academiae vestrae cuique si quid contuleris officii, benevolentiae, humanitatis duplum in me contulisti. Exacto triennio repetenda erat Italia. Eo trimestri itinere perlustratae supra xl civitates et Nurenberga quoque aliquibus diebus habitata: peream, si quaepiam me oblectavit, placuit, iucunda fuit. Retro Kembrig visa Wittenberga exilui, bene habui, omnis laboris immemor: eum diem signavi fuitque vigilia Pentecoste. Tu diligentissime legis, doces, instruis Latina, Graeca, Hebraica tam amabiliter, fideliter, sinceriter, ut velis uno die omnis evadere doctrina tui similes, unde singuli celebres reddi possint. Ego pro mea parvitate iura professus praesens ne ullum unquam diem intermisi, quo non vellem argumentum dedisse ad altiora penetrandi. Tu quae tua est ingenua bonitas bonorum amicitias avidissime amplecteris: prout quisque praestat ita eum diligis, quos ne facile quidem agnoscis eos salutas reverenter, omneis ad te amandum allicis, trahis miris illecebris, miro ingenio, thesaurum tuum in amicis reponis. Te stipatum amicis quod est indices potentem, felicem, locupletem, neque falleris: si me unum demes, vere beatus es, cui academici ad unum omneis,

1) Ottonem Beckmannum et Trutvetterum (haec adnotavit Knaake l. l.).

cui boni omnes favent, bene cupiunt, optant, desideram, omnia salva precantur. Quod ad me attinet, certe mihi conscius sum nulli mortalium tam inimico vel minimum malum cupere, delector autem supra modum in Philippica amicitia. Hoc scio vos omneis ex animo diligo, parum habeo tam charum quod non velim vobis esse commune. Saepe cogito, qui fieri possit, ut communes mei omnes apud vos militent: hinc mitto Gregorium Schlusselfelder, quem tuae eruditioni cupio esse commendatissimum quidem. Senatoribus meis cognatus et affinis super omnia me delectat illorum familiaris amicitia, cum paucissimis in tota Germania non convenit, ambio autem convenire cum omnibus, inprimis cum nostro Capnione quem desideranter lego, cuius tempora [1]) desiderantius expecto, quamquam hoc supra vires, nisi forsan aliquando tua intercesserit authoritas. Si ergo similitudo conciliatrix est amicitiae, merito te amo, diligo, honoro, veneror, observo, non iniuria tibi omnia debeo, obligor, stipulor, vitam omnem, bona omnia, Christofferum ipsum quantulus est, neque movet quod in aliquibus non prorsus convenit, quando tu inter doctos apud litteras sine intermissione versaris, ego inter aromata quae pluris veneunt quam papyrus, ut me pudeat impolitum, incultum ad te scribere omnium politissimum, humanissimum. Sed quando ista tuam humanitatem nihil movent et meas ineptiolas hucusque non fastidienter pellegis et in amicorum mentionem incidimus et quorundam suspicio me agit, purgabo me apud te, abutar tua facilitate et de Eckio brevibus sic accipe. Anno abhinc ferme quarto aut etiam quinto pro senatu frequenter concedendum erat Neuburgum ad Danubium. Commotus hominis fama declinavi Ingolstadium, adii Eckium plane ignotum. Ipse de me pluris suspicatus quam erat in officio respondit, familiarissime tractavit, ad hospitium etiam prosecutus. Super coenam et procedente tempore amicitia et litteris crebris et officiis mutuis corroborata: placuit hominis dexteritas, gnavia, eruditio, ingenium, humanitas, fides, amicitia, quam arcto vinculo constituimus, iniimus, auximus [2]). Nihil prius habui quam illius virtutem nobis insinuare et Wittenburgensibus quoque conciliare. Rectum institutum minus

1) tempora] sic Cod., fortasse scribere voluit: opera (permulta eiusmodi errata in Scheurlii autographis obvia ab editoribus illis memorantur ab iisque emendata sunt).

2) De hac cum Eckio amicitia et de Scheurlii moribus legantur, quae Lochnerus Norimbergensis nuper scripsit in Ephemeridibus Augustanis Augsburger Allgemeine Zeitung 1872. Nr. 11 (11. Jan.) Beilage p. 155 sq.

feliciter processit: uterque nititur suis fundamentis. Meum non indicare; si alterum audias, difficile iudicium: quantum in me est volo utrumque servare amicum, utrique fidem, constantiam, integritatem: puto referre novum amicum adipisci et veterem retinere; factus amicus do operam ut permaneam, et si deserere volo non rescindo sed dissuo. Iurisconsultus nihil putat tam certum, quod per infitiationem non dubium habeat. Profuere haec Eckio amplectendi Christianum theologiam: forte gratia dei aliquando vobis quoque reconciliabitur. Iniuria ex affectu metitur, non voluit publice laedere: iam putat se priorem lacessitum, et magna ingenia magnis quoque vitiis contaminata. Sed tu vale et omnia boni consule. Nurnbergae 11. Maii 1519.

C. S. d.

ANNO 1520.

7. No. 67[b]. (Vol. I. p. 152.) 1. April.

Christophorus Scheurlius ad Phil. Melanchthonem.

Haec epistola primum exhibetur in eodem libro Tom. II. p. 112 sq. Nr. 214.

Ad Phil. Melancht.

S. Adeon' fecunda fuit Maurica epistola[1]), ut apud te sibi unica senas pepererit litteras? Alios ad scribendum provocas, disputationis rationem reddis, taciturnitatem accusas. Ego in te officiose amando neque Mauro neque Hesso concivi secundum me arbitror, attamen iam amplius VI menses nihil a te accipio litterarum[2]), non quod eam desiderem fecunditatem qui longe gravioribus distineris, sed quod nollem nostram amicitiam tam diuturno silentio interrumpi, et interdum bona nomina, si nunquam interpelles, mala fiunt. Tu in officina litteraria quottidianus es, sine intermissione scribis, legis, doces, disputas, abusus scholarum explodis, recta studia postliminio reducis, aetatem nostram rhetorice, Latine, Graece, sincere instituis: meu me res publica et familiaris etiam longe alio avocat. Non ideo tibi convenit pri-

1) i. e. Epistola a Melanchthone ad Bernardum Maurum m. Jan. 1519. scripta, quae legitur in Corp. Reform. Vol. I. p. 62—66. No. 32.

2) Ex his verbis consequitur, epistolam illam a Melanchthone ad Scheurlium 28. Febr. (anno non adscripto) datam non cum Bretschneidero vel potius Foerstemanno (Corp. Ref. Vol. I. p. 147. No. 63.) ad annum 1520. esse referendam, sed ad annum 1519. Conferatur annotatio mea p. 3. ad epistolam 3. praecedentem.

orem amicitiam disrumpere, quod tu prior illam qui tuus est candor provocasti: mihi in animo est eam velis nolis neque rescindere neque dissuere, puto me in omni vita cum nemine probo, litterato ne ullam quidem exercuisse simultatem, tantum abest ut ab amicitia semel contracta discesserim unquam. Spero in mea civitate omnibus me ordinibus iuxta charum, nemo perfidiae insimulat praeter unum vere scelestum[1]), ut sua ipsius descriptione utar, quippe conscientia mille testes[2]). Sed per Hiesum, ut interim reliquas nenias omittamus, quae vestra potui secreta prodere vel quid oportuit Eckium apud nos explorare? Si tantam mihi movet invidiam Eckiana praesentia, paucis accipe. Multo ante exorsam istam telam pro iure fraterni amoris placuit Eckio nostris olim adesse hymenaeis: forte fortuna accidit, ut pridie nonas Sextiles a Lipsica disputatione rediens sponsalibus quoque adesse potuisset. Ni suspicio imminentis legationis nuptias maturasset, profecto Wittenburgenses gratissimos hospites gratissime expectassem, quos interea retulit suavissimus Udalricus de Dinsthet. Neuter ducum meo accessu locupletatur, neuter mea tirocinia ambit, sed nec cupit quidem. Erasmus se integrum servat, odit ista sectionum nomina sicut vere odienda, quod omnes Christi sumus. Nostri optimates et ferme plebei quoque cives, item etiam docti omnes favent domino Martino. Religiosi ordine movent, aliqui libellos quosdam transmittunt parum merentes, cum nihil minus sit suum officium, scindimur, oriuntur intestinae factiones. Quam ego optarim reducem istam Christi sinceram theologiam! Adferte quoque mutuam charitatem. Homo omnium sum quietissimus: dissidia, iurgia, maledicta, iniurias, scurrilia video plerisque displicere. D. Martinum semper ex animo dilexi, Eckium et veterem et bene meritum amicum nulla causa non repudio. Audio varia capita varias sententias et in nullius saltim cum alterius iniuria verba iuro. Velim omnes nos unum esse in Christo et de quocunque[3]) fratre mereri pulcherrime: hinc in suspicionem venio quibusdam, fabula fio et tragoediis miris traducor. Certe nisi huc usque prohibuisset me religio Christiana, non fuisset prorsus difficile scelestum scelestis et invidis suis coloribus ad unguem pingere et omnia haec mendacia depellere: confido tamen in d.

1) Haec verba sine dubio spectant ad Wilibaldum Pirkheimerum Norimbergensem, conf. ea quae Lochnerus in Ephemeridibus Augustanis loco supra p. 5, nota 2, signato de Pirkheimero et Scheurlio scripsit.

2) mille testes.] sic l. l. legitur, eorum loco legendum esse videtur: mihi testis.

3) quocunque] sic scripsi; l. l. legitur: quicunque.

Martini et tuam virtutem vobis haec famosa non usquequaque placere, sic et senatui nostro supra modum incipiunt displicere. Forsan aliquando integritas mea omnibus erit perspecta, quippe ne ullius quidem sinistri conscius sum. Si quid amplius in me desideres, optime Melanchton, certior factus eum me praestabo qualem maxime expectas. D. Martino et Carolostadio cupio commendari non vulgariter. Vale. Nornbergae ex aedibus nostris calendis Aprilis 1520.

C. S. d.

---

8. No. 82[b]. (Vol. I. p. 207.) 26. Julii.

Ambrosio Blaurero.

Ex autographo in Collectione Simleriana uberrima epistolarum inprimis Melanchthonis, quae in Bibliotheca Tigurina asservatur, cura Cl. V. Prof. *S. Voegelini* mihi descripta est. Melanchthonis epistola inscripta est: *Venerando Patri M. Ambrosio Blarer Albarsbachii Dn. S.* (Albarsbach, vicus et tum temporis monasterium Ord. S. Benedicti in Wirtembergia situm.). Primum edita est, omissa tamen inscriptione et die, quo scripta est, a Dr. *Theodoro Pressel* in eius libro: Ambrosius Blaurer's des schwäbischen Reformators Leben und Schriften. (Stuttgart 1861. 8°.) p. 545. nr. 1.

Melanchton venerando Patri M. Ambrosio Blaurero in Alberspach.

Salve Vir egregie, frater amantissime. Facile quantum Te amem, vel e prioris vitae meae consuetudine vel ex illis novis quae scribuntur modo literis agnoveris. Age hodie ut primum accepi nuntium tuum, *τοῦ ἀσπαζομένου* ita sum exhilaratus uti de amici veteris nomine debui. Et testarer copiosius id animi gaudium, ni Philippum Tu scires, quibus[1]) velit amicis probari, iisque bonis, id est Tui similibus. Quare Te quaeso, qualecunque officium nostrum habe gratum, et de isthac Epistola[2]) primum et amare me intelligas *εὐθὺ σκοποῦ* et deinde amari Te sinas. Fiet fides rei, si responderis interdum vel brevissimis. Interim inter Musas in illo deorum concilio in sacris Tuis versare. Accedent milites Hebraici, graeci et latini. Vide qui sis, metire ingenium tuum *γνῶθι σαυτόν*. Puto[3]) Te natum esse bonis literis et honestati. Ipsa sibi fructus virtus est. Comites laudes habet. Scis quod senex ille lyricus[4]): *ὕμνος τῶν ἀγαθῶν ἐργμάτων βασιλεῦσιν ἰσοδαίμονα τεύχει φῶτα.* Quibus curis et succenturiatos nos

1) quibus] sic apographon meum; Pressel: quantus.
2) qualecunque — Epistola] haec apud Pressel: desunt.
3) Puto] Pressel: puta. 4) Pindar. Nem. 4, 83 sqq. ed. Schneidewin.

habebis bonarum literarum professores. Utere libris nostris et ingenio. Iam Herculem Lucianicum, puto Rhetoricam praefatiunculam praeter grammatica, iam Homerica, Hesiodia leguntur, et Magica Theocriti auspicabimur proxime, quibus praefabimur *ὅτι ἐκ τῆς ἐφόδου.*

Vive, vale et rescribe. *ἔπεσι γὰρ σοῖσιν ἀκούων τέρπομαι.*

Ex Tubinga altera post Jacobi *σὺν τῷ σχεδιάσματι.* (1520.)

Philippus Tuus.

---

9. No. 97 c. (Vol. I. p. 275.) (hoc anno.)

Ambrosio Blaurero.

Ex Mss. S. Gall. in Collectione Simleriana Bibliothecae Tigurinae cura Cl. V. *Voegelini* apographon accepi. Inscripta est haec epistola: *Ambrosio Blarer apud Albarosbacchum suo.* Primum edita est, omissa inscriptione, a Dr. *Theodoro Pressel* in eodem libro p. 545 sq. nr. 2.

Ph. Melanchthon ad Ambr. Blaurerum apud Alberspachum.

Qui est in Te, Ambrosi iucundissime, amor noster facit, ut habeam gratissima tua omnia; sed quam accepi hodie Epistolam tuam, ea suo egit nitore, sua elegantia, atque adeo genuinam quandam autoris Venerem spirans, ut nihil omnino gratius offerri, etiam hoc rerum turbine, potuerit Philippo. Latina est. Erasmica est. Laudarem pluribus, ni agere Tecum simpliciter *καὶ εὐθὺ σκοποῦ* mallem. Est ergo quod de illa iudicem, quando laudes Tu [1]) ferre non potes de modestia tua. Magna quondam de Philippo magnis quibusdam Viris spes fuit venturi nominis, qua ego nonnihil fretus bene ominari studiis meis coepi, extra aleam conandi [2]). Turbavit omen, si licet hoc tam audacter de amico, unica Epistola tua, qua ita omnis instituti studii ratio intercepta periit, ut qui prius esse aliquid vel Corydon amusis poteram, abs Te Apolline superatus, ne quidem [3]) ipse mihi Babys videar, atque serpam intra penita mentis nostrae despecturus exiguam supellectilem. Non hoc dico, *καὶ ἄλλο ταῖς φρεσὶ,* quod vel vinci doleam, vel tales tuas literas non plurimas velim scribi, sed ut torqueam potius abs Te *τὰ τοιαῦτα πολλὰ,* quibus iacentem in e medio literati studii rursum excites et quasi ab illis *Τριακάσιν* mortuum revoces. Vicisti atque ita ut plus gloriae nobis reliqueris vincendo, quam ipsi nos volebamus victuri. Oro itaque communis studiosorum votis, et gloriae tuae finibus ne desis, et quaeque nos manet eam tueare, [4]) promoveas. Id ego factum pu-

1) Tu] Pressel: ni. 2) conandi.] Pressel: consedi.
3) ne quidem] apud Pressel. desunt. 4) tueare,] Pressel: tua arte

tabo mecum, si plurima ac, ut soles, pulcherrima saepissime ad Philippum scripseris.

Vale et extemporariae Epistolae quaeso ignoscas, mi amantissime frater. Ex Tubinga. (1520.)

Philippus tuus.

---

10. No. 97[d]. (Vol. I. p. 275.) (eodem anno?)

Ambrosio Blaurero.

Apographum ex eadem Collectione Simleriana curavit Cl. V. *Voegelin.*

Ambrosio Blarer, Albarosbachio.

Quod agitur ab me paucioribus Tecum, Ambrosi diserte, quum et amicitiae communis ratio, et desyderium ferat meum, in causa partim peregrini labores sunt, quibus mirum ut moleste exerceor, partim *τὸ ἄκαιρον* Tabellariorum. Tamen ita soleo, vel occupatissimus nonnihil scribere utcunque, non quo blandiar amico, sed quo putet is officio ab me factum satis, quanquam nisi recte fiat, non video cur appellem satisfactum. Fit autem recte, cum amico gratum fit. Id si tu non falsus intelligis, vides in te retrusam tragulam gratum esse non poterit quidvis, ni ipse tute adiicias animum. Et mercenaria forsitan ratio Tibi videbitur altera, cur scribam. Scribo enim quo pulcherrimas tuas eliciam Literas צלצל־שמע aut certe illam *ἀμβροσίην αὐδήν*. Rem tenes. De Scaphisterio vel Scapisterio dubitatur nuper et ego dubito, nisi quod ad rem facit quod apud Bellucem Iulium [1]) legitur et apud Suidam quibus probari mihi neutrum posse videtur. En Tibi vel Scepasterium volo legas, quod *ἐν τοῖς ὅπλων ὀνόμασιν* Bellux [1]) recenset tectoriolum a *σκεπάζω* verbo, et *σκέπας* inter alia significata volubilem Macedonibus Peltum sonat, vel *σκαφεῖον σκαπάνην*ve quorum utrumque cymbam vocamus, *σκεπαστάρι* vero rudens ille Varvulus, quo, quae in cymbas congesta sunt, vertuntur exercenturque. Interim si quid videro melius, scribam, et Tu rescribe, num probabiliora legeris. Vale, Tuus sum

Philippus.

---

11. No. 97[e]. (Vol. I. p. 275.) (eodem anno?)

Principi Electori Saxoniae.

Ex *van de Velde* Professoris Lovaniensis Apparatu Melanchthoniano, quem Prof. Dr. *Aug. Scheler* edidit in Cl. V. Dr. *Roberti Naumanni*

1) i. e. Iulium Pollucem, auctorem Onomastici.

Serapeo anni 1867. Nr. 4—9. Autographum huius epistolae a Joh. Franc. van de Velde Vinariae d. 11. Julii 1802. descriptae in Tabulario Vinariensi asservatur. Van de Velde suspicatur, eam spectare ad donum nuptiale Melanchthoni datum, eamque ob causam ad annum 1520. esse referendam. Conf. Serap. l. l. Nr. 5. p. 70 sq.

Durchlauchtester hochgeborner fürst, gnedigster Herr.

E. C. G. Schänkung hab ich zu unterthenigem Dank angenommen, welche wie wol sie an ir selbst aufs grost, alſo auch aufs angenemst ist, aber dennoch vil angenemer darumb das E. C. G. dadurch, gleich als durch ein verzeugniß irer gnedigen meynung gegen mir, das furnemen meines lebens geacht wird gnediglich zu loben. Dan dis ist mein eyniger Wunsch, das E. Cf. G. der ich alle meine studien und .... *) so ich der etlich hab untertheniglich untergebe. Alle ... *) meines wesens und lebens zu ... *) gefallen reichen mögen. Derhalben, wiewol ich hievor und aus dapfern und furtrefflichen vorbilden E. C. G. gnedig milde und gutlichkeit zu mermalen erfaren habe, so ist es doch dieselben dieser Zeit zu erfaren und vormercken mir uffs allerangenemst und danckwerst gewest. Der allmechtig guter Gott gebe das diser stand meines lebens E. C. G. hochradlichsten und alleradlichsten universitet zu frommen und gutem diene, welches ich so hertzlich wunsch als sorgfeldiglich begere mit ichter (?) die dankbarkeit meines gemuts E. C. G. untertheniglich antzuzeigen. E. C. G. gehaben sich in dem hern Christo seliglich und wol.

E. C. G. unterthenigster diener

Philippus Melanchthon.

ANNO 1521.

12. No. 99 b. (Vol. I. p. 279.) 1. Jan.

Ambrosio Blaurero.

Apographum ex Collectione Simleriana Tigurina (S. Msc. 4.) curavit Cl. V. *Voegelin.*

Suo carissimo Patri Ambrosio Blarero, vere ἀμβροσίῳ Priori Alberspachensi Ph. Melanchton.

Salve Ambrosi iucundissime. Ecce vero tot epistolis tuis elegantissimis quod putida charta respondeo. Sed ea quaecunque culpa est, fratris tui est, in cuius aedibus temere accidit, ut ista scriberemus, cum deessent chartae. (sed extra iocum. Valet frater.) Ego uxorem duxi, aliorum consilium magis, quam voluntatem meam secutus. Nunc non dico, quid patiar: sed *οἰστέον τὰ θέοθεν.* In studiis Theologicis, quantum per necessarias occupationes licet,

*) Charta vetus late erat erosa.

simus. Tecum optarim vel triduum esse, collaturus[1]) de studiis communibus nostris, quae scio, te vehementer desiderare. Divas Pontificias hic hactenus contempsimus; sed utinam digni simus pro nomine χριστοῦ contumeliam pati. A Francisco longo iam tempore ne literam quidem ullam video. Matthias Stör me per amicum quendam salutavit. Utrumque saluto, Teque iubeo, ut audacter ab eis literas exigas. A Te accepi, nisi duas Epistolas. Rescribere non potui hactenus. Has autem frater curabit transmitti. Vale. Wittēbergae Cal. Januarii 1521.

Philippus tuus.

---

13. No. 111 b. (Vol. I. p. 388.) 12. Maii.

Martinus Lutherus ad Phil. Melanchthonem.

Haec epistola in regione avium i. e. Wartburgi a Luthero scripta legatur in eius epistolis a de Wettio collectis Tom. II. p. 1 sq. No. 316.

---

14. No. 111 c. (Vol. I. p. 388.) (m. Maio.)

Idem ad eundem.

Fragmentum huius epistolae vide in eadem de Wettii collectione Tom. II. p. 7 sq. No. 320.

---

15. No. 111 d. (Vol. I. p. 388.) 26. Maii.

Idem ad eundem.

Hanc epistolam legas in eadem collectione Tom. II. p. 8—12. No. 321.

---

16. No. 118 b. (Vol. I. p. 417.) 13. Jul.

Idem ad eundem.

Hae litterae in eadem arce scriptae legantur in illa collectione Tom. II. p. 21—26. No. 326.

---

17. No. 124 b. (Vol. I. p. 445.) 1. Aug.

Idem ad eundem.

Huius epistolae fragmentum exhibetur in eadem collectione Tom. II. p. 34—37. No. 332, ubi legatur.

---

18. No. 125 b. (Vol. I. p. 446.) (fere 6. Aug.)

Idem ad eundem.

Hanc epistolam legas in illa collectione Tom II. p. 37—40. No. 333.

---

1) collaturus] sic apographon pro: collocuturus:

19. No. 130[b]. (Vol. I. p. 450.) 9. Sept.

Idem ad eundem.

Has litteras invenies in illa collectione Tom. II. p. 44—49. No. 336.

20. No. 154[b]. (Vol. I. p. 487.) (fere m. Nov.)

Idem ad eundem.

Haec epistola legatur in eadem collectione Tom. II. p. 92 sq. No. 345.

ANNO 1522.

21. No. 184[b]. (Vol. I. p. 538.) 13. Jan.

Martinus Lutherus ad Phil. Melanchthonem.

Hae litterae exhibentur in de Wettii collectione epistolarum Lutheri Tom. II. p. 124—128. No. 358., ubi legantur.

22. No. 217[b]. (Vol. I. p. 576.) 29. Jul.

Idem ad eundem.

Hanc epistolam legas in eadem collectione Tom. II. p. 238—240. No. 424.

23. No. 217[b]. (Vol. I. p. 576.) 6. Aug.

Ambrosius Blaurer Constantiae ad Phil. Melanchthonem.

Ex autographo hanc epistolam primum edidit *Car. Theod. Keim* in suo libro: Schwäbische Reformationsgeschichte bis zum Augsburger Reichstag. (Tübingen 1855. 8°) p. 285 sq. nr. 1.

Summo viro, Philippo Melanchthoni, apud Wittenbergum christiane docenti, domino et amico suo omnibus modis maxime.

Si unquam alias, eruditissime Philippe, nunc certe maxime ad te mihi scribendum erat; quando graves casus et iniquissima rerum conditio me sane quam crudeliter excarnificant. Coenobium certe non adeo pridem egressus male nunc audio, quod scandalorum causas non satis abstulerim, unde etiam regrediendum mihi arbitrantur nonnulli[1]). At ego mori citius velim, quam in ista

1) Editor ille huic loco annotavit haecce: Am 8. Juli kam er von Alpirsbach in seine Vaterstadt zurück. Die Rückkehr in's Kloster wurde ihm bald sogar von seiner Familie, besonders der Schwester Margaretha im Blick auf die fromme wegen des ausgetretenen Sohnes öffentlich beschimpfte Mutter angesonnen.

impietatis nassa diutius detineri, quandoquidem nullo monachorum bono et maximo meo malo id facerem. Porro carissimus meus frater de rebus meis omnibus deque hac praecipue causa te faciet certiorem. Te vero per Deum optimum maximum et per quidquid flecti potes obtestor, ut tuam mihi sententiam indices, quid mihi potissimum faciendum existimes, ad me diligenter perscribas. Erit mihi consilium tuum oraculi loco, quippe qui sciam, te spiritum Christi habere, nec quidquam posse consulere, quod ab illius placitis dissideat. Vale, ornatissime Philippe. Plura non possum scribere, sed nec tu legere publicis commodis destinatus. Quid apud nos agatur et quid promoveamus in evangelico negotio, Thomas noster explicabit. Summo patri nostro *Luthero*, qui rursum nos parturit, donec Christum in nobis formet, abs te votis omnibus commendari cupio. Nolui importunus videri interpellator, alioqui scripturus eram viro modis omnibus occupatissimo. Ex Constantia VIII. Id. Aug. 1522.

Ambr. Blaurer, tuissimus ab animo.

---

24. No. 217 c. (Vol. I. p. 576.) 14. Sept.

Ambrosio Blaurero.

Hanc quoque epistolam Cl. V. *Keimius* primum edidit cum tribus annotatt. l. l. p. 286 sq. nr. II.

Melanthon A. Blaurero, Constantiensi civi.

Incredibile est, quam avide desideraverimus integro paene anno cum frater tum ego literas tuas, mi Ambrosi, quo factum est, ut aliquanto gratiores fuerint, quas nuper accepimus, quanquam nolim posthac eadem arte gratiam literis empturire. Scribis te ψευδαδέλφους deseruisse, quod quia piis rationibus adductum opinor, improbare non debeo [1]). Nunc reliquum est, ut et constantiam in eo confirmes, quod ante probasti, libet enim paulino verbo uti: et perdura in sententia nec permoveri te patiare, ut ad pullatos istos redeas. Cave putes, relaturum te pedem citra probrum et publicam evangelii blasphemiam. Interpretabuntur enim hostes Christi, coactum conscientia damnato libertatis evangelio poenitere facti. Interim te rogo, nisi quid aliud rationes tuae postulent, vestem ne mutes, ut hac parte stultitiae vulgi aliquantisper

1) Ganz anders schrieb Ulr. Zasius aus Freiburg 20. September: conditionis tuae mutatio satis contristat. — Haec si tu fecisses, in monasterio, quod unum tibi, quocunque tendas, secura et tranquilla statio est, remansisses.

inservias, dum aliud suadebit tempus [1]). Hic enim indico, debere optimum quemque parcissime suo iure uti velle, concedere aliis, cavere scandalum, quoad omnino fieri potest. Videmus id Christum, item apostolos sedulo praestitisse. Et *Martinus* quidvis mallet, quam vestem Augustinianam mutare aut ulla in ceremoniola quanquam vili, modo per evangelium liceat, fratrem offendere. Sunt apud vos phanatici quidam spiritus, qui Christum edendis tantum carnibus et nescio qua gentilitate profitentur [2]). Ii se partim Lutheranos partim Evangelicos vocant, qui scis quanta invidia nomen evangelii onerent, ut optandum etiam mihi videatur, ut pergant tandem Papistae in professores evangelii saevire, quo absterreatur haec castrorum nostrorum faex, arrogare sibi falso sanctissimum nomen. Tu memineris, te profiteri Christum adeoque ferendam crucem, durissima tibi omnia patienda esse, postquam illos ventres reliquisti. Non puto te rerum christianarum adeo esse imperitum, ut me monitore opus habeas aut nescias, qualibus se formis cognoscendum nobis exhibeat Christus, nempe vili illa et a mundo damnata imagine crucis. Cetera frater. Vale. Wittebergae die exaltatae crucis.

Philippus tuus.

---

25. No. 226 b. (Vol. I. p. 594.) (eodem anno.)

Melanchthonis iudicium de missa et de utraque specie.

Ex apographo, quod in Bibliotheca Magniducali Vinariensi asservatur. Verosimiliter hoc iudicium a Melanchthone ad Spalatinum scriptum est; hic enim schedulae adscripsit: Ph. Mel. 1522.

De Missa et de utraque specie.

ovum testamentum nihil est nisi iustitia spiritus. Ro. 15. Matth. 24. Hier. 31.

go tollendum est quidquid adversatur iustitiae spiritus. Caetera libera sunt.

ssarum opinio, quod sacrificium sint, adversatur iustitiae spiritus.

emoniae nihil adversantur.

o ferri poterunt.

est uti utraque specie.

erat ne quis nisi consecratus vesceretur panibus propositis.

---

1) Wurde treu gehalten bis 1526. Theolog. Jahrb. 1855. S. 394.

2) Melanchthon meint die auch gegenüber dem Ravensburger Humelberg gerügte Fastenübertretung in Zürich, C. R. I, 577.

Sicut David de ea lego dispensavit in casu necess.
Ita nos de lege de utraque specie dispensare possumus in eas necessitates, ut scandali.

Ph. Mel.

26. No. 226[e]. (Vol. I. p. 594.) (eod. anno.)

Melanchthonis iudicium de statuis.

Ex apographo eiusdem Bibliothecae. Initio adscripta sunt verba: Melanchthon Mea manu.

De statuis.

Et ego iudico statuas idola esse.
At idolum iuxta Paulum nihil est.
Ergo etiam in Idolio convenire possit ecclesia.
Iudeis in Idolio non licuit convenire, quia institia legis erat alligata locis et temporibus.
Iustitia spiritus non item.

Haec scribo non quod velim esse simulachra, quae damno, sed quod vellem modestius agi. Iam casus scandali cogit, ut aboleantur eo quod a vulgo colantur, ut scis. Idem sit in utraque specie, quia vulgus ignorat vim Christianae libertatis. Ideo rectius revocata lex est.

ANNO 1524.

27. No. 278[b]. (Vol. I. p. 659.) 20. Junii (huius anni?)

Ioanni Oecolampadio.

Apographum huius epistolae, quae in Collectione Simleriana Tigurina (S. Msc. 11.) est, a Cl. V. *Voegelino* accepi. *Simlerus* in fine haec annotavit: Scriptae videntur a. 1524. nam in literis (vid. infra No. 29.), in quibus Neseni mortem nunciat, se per Sigismundum scripsisse significat.

Ioanni Oecolampadio suo carissimo Patri.

S. Joachimus[1]) amplissimis verbis praedicavit mihi humanitatem tuam. Ego, quanquam non dubitabam, quin esses eum excepturus, quemadmodum meretur adulescentis eruditio et probitas, comiter, et prosecuturus omni genere officiorum, tamen gaudeo, illius animo etiam satisfactum esse. Saepe illi te depinxi, verum

1) Nota Simleri: Joachimus Camerarius, ut puto.

et opinionem eius et mea ἐγκώμια longe res vicit. Statim, ubi audieram, te domi fuisse, quanquam tecum colloqui cupiebam, cum arbitrarer, te nondum domo abesse, mihi molestum erat, Joachimo tui copiam non fieri, malebamque illum tuo congressu frui, quam me ipsum, qui tui cupidissimus esse soleo. Neque dubito, quin tibi etiam voluptas sit, talem adolescentem, quem ego facile amo, literariae rei principibus adnumero, innotuisse vobis. Commodum ubi Wittebergam redivimus, Sigemundus salutat, vixdum posito pegaso. Ex hoc intelligo, institutum esse ad te iter. Ego frustra retinere eum diu conatus sum. Est enim cum homine non hospitium tantum mihi, sed familiaritas etiam. Porro cum omnino Basileam proficisci constituisset, non potui facere, quin literas ad te darem, non quibus hominem tibi nobilissimum commendarem, sed ut scires, nobis communem amicum esse. Proinde si quid in eum contuleris, de me puta, te bene mereri. Evangelio scio patrocinari te religiose, quare nihil est, quod adhorter. Utinam e tuo se exemplo compararent alii apud vos, qui Evangelii praetextu τυραννίδα gerunt. Vale, et me Christo precibus tuis commenda. Wittebergae τῇ πρὸ τῆς τροπῆς Θερινῆς.

Philippus.

Sisgardum, et bonos viros alios apud te Evangelii vere studiosos, saluta nostro nomine reverenter.

---

28. No. 307 b. (Vol. I. p. 698.) (hoc anno.)

Thomae Blaurero.

Apographum huius epistolae, quae in Collectione Simleriana Tigurina (S. Msc. 11) asservatur, at per mures maximam partem est corrosa, debeo Cl. V. *S. Voegelino.*

Fragmentum epistolae Melanchthonis ad Thomam Blaurerum.

Leniri hic Tui desiderium non potuit, nisi ubi allatum est lomi tuae, nescio quid — [ga]udebam te rediisse ad tuos, et si uid p[eccatum hac p]arte sit, mi Thoma, quando id Evangelii ignius poscit, corrigas. Fratrem autem publice postulasse a Seatu, ut defendatur, meo iudicio nihil hoc oportuit. Moisi inquit le: Ego tecum ero. Utinam, Thoma, demus operam, ne per os scandalizetur Evangelium. Quidam invitantur nunc ad ducenm, plausu multitudinis alii, tametsi bene coeperunt, non perserant in eodem studio, sed excoecati plausu ab Evangelio desiint, quemadmodum in proverbio est, ad asinos, hoc est, ad

impia, aut ad nugas, quae ad publicam pacem turbandam tantum faciant. Id alterum et hic accidit. Et vereor, ne idem Zwinglio accidat, qui totus iam — caussa esse dicitur — — — et ἀκροβυστίων. — faciunt. Atque inprimis nos — materiam tumultus praebeamus. Sed nec cauti, nec Evangelica ea Christi vox est. Illa multitudo legibus increpanda erat. Quod si facerent nostri doctorati passim nae ab ipso Vulgo discerperentur citius, quam a sacerdotibus Baal. Simpliciter haec ad te scripsi, non quod de tua fide dubitem, sed quod scio, ut transversum nonnunquam aestus et res incautos rapiant. Id hic mihi accidit. Libere enim confiteor. Mihi crede, non temere dixit ille: qui stat videat ne cadat. Vale. Fratrem saluta. Quid autem noster Simon? Nihil scripsit. Hanc mitte ad eum Epistolam. (1524.)

Philippus tuus.

Quid quod nihil scripsisti hactenus? Avide expecto tuas. Quare vide ... ut ne diutius sileas.

---

29. No. 307[c]. (Vol. I. p. 698.) (eodem anno.)

Ioanni Oecolampadio.

Ex eadem Collectione Simleriana (S. Msc. 11.) apographum mihi benigne curavit Cl. V. *Voegelinus.*

(*Ad Ioannem Oecolampadium.*)

Substitit hic aliquot dies hic iuvenis, ut Lutherum tum audiret, tum salutaret. Mecum quoque semel atque iterum congressus, visus est mihi et perquam studiosus literarum, et amicus pietatis. Porro discessurus, rogabat, ut literas sibi ad te darem. Id ego non illius tantum caussa perlibenter feci, sed officii etiam mei ratus sum esse, neque hunc dimitterem sine meis ad te literis. Tametsi tu mihi nonnihil cessare videris in hoc genere officii. Scripsi ad te per Sigemundum. Interea nihil a vobis accepimus, cum utriusque ita desiderentur literae, ut nullius amicorum praeterea. Ego autem cum alia in amicitia mutua omnia officia esse debere statuo, tum maxime scribendi, quando non licet aliter colloqui. Gravissime adflixit me hic Neseni [1]) optimi viri interitus, et haud scio, an in vita quidquam acerbius acciderit. Erat enim ille cum propter singularem probitatem dignus meliore fortuna, tum mihi nemo hic fuit coniunctior. Luthero res erit cum Carolostadio περὶ εὐχαριστίας. Et universum negotium Evangeli-

1) Nota Simleri: Nesenus aqua periit 1524.

cum video eo in statu et esse et futurum esse, ut agnoscere possimus, vasa nos esse tantum huius thesauri ὀστράκινα, nec posse nostro consilio aut diligentia rem tantum regi ac gubernari. Tu Christum rogato, ut fortunet cursum ac studia piorum. De mea valetudine, deque statu rerum omnium nostrarum certiorem hic tabellarius [te faciet]. Vale et rescribe. Idem officii et a Sigemundo requiro. Saluta reverenter meo nomine Iureconsultum [1]) vestrum.

Philippus.

---

30. No. 307[d]. (Vol. I. p. 698.) (eodem anno.)

Ioanni Oecolampadio.

Apographum ex eadem Collectione Simleriana (S. Msc. II.) ab eodem Viro Cl. accepi.

Ad Ioannem Oecolampadium.

S. Vix credas, quam molestum mihi sit silentium tuum, mi Oecolampadi, praesertim in his motibus vestrae regionis. Sum enim vehementer solicitus, quid in tantis turbis consilii habeas an te quam gubernatorem tam periculosis tempestatibus clavo adhibeant. O Germaniam infelicem, quae Verbo Dei ab omni parte abutitur. Antilutherani ubique vim parant, illi contra nihilo modestiores sunt. Quare te per Christum adhortor, optime Oecolampadi, quando in statione Deus te posuit, advigiles, quantum potes, ne laedatur gloria Χριστοῦ. Nunc pene debellato Pontifice, res Luthero coepit esse cum novis quibusdam μανιχήοις, plane Sanguinariis. Et Papisticum bellum renovat Erasmus, quem optarim pacis potius, quam novorum motuum autorem esse. Scriptum eius περὶ ἑκουσίου [2]) exceptum est aequissimis animis. Lutherus plane pollicetur, se moderatissime responsurum esse. Et faciet, nisi me fallunt omnia. Quid est enim iniustius quam quod nunc vulgo fit, dissentientem iugulare, quam docere malle. Sigemundum et Richardum reverenter salutabis. Displicent mihi quae audio meditari Varellum Παρὰ τῷ λήστῃ τοῖς τυράννοις ad quem se contulit. Vale felicissime.

Philippus.

---

1) Nota Simleri: Amorbachium puto.

2) Nota Simleri: Scripsit Erasmus de libero arbitrio adv. Luth. 1524. respondit Lutherus 1525.

ANNO 1525.

31. No. 314 b. (Vol. I. p. 713.) 2. Jan.

Thomae Blaurero.

Hanc epistolam primum edidit *Keim* in libro supra p. 13. sub No. 23. laudato p. 287. No. III.

Melanchthon Thomae Blaurero Constantiensi.

Petrus *Suaverius*[1]) hoc biduo nobiscum fuit. Mitto eius literas tibi, testes amoris erga te pristini. Literae tuae varie affecerunt me, nam videris mihi non satis expendere magnitudinem negotii *Carolostadiani*, cum putas neutrius laedi conscientiam. Vide quaeso *βεβήλους* libellos, in quibus cum non videam *ἀναλογίαν πίστεως*, quam Paulus requirit, non possum assentiri. Universae doctrinae *Lutheri* auctoritatem elevat, et tamen de uno tantum *θεωρήματι* dissentit *περὶ εὐχαριστίας*. Hoc quid est alind, quam *συκοφαντεῖν*? Lutheri responsio edita est. Quum vellem hunc virum posse moderari vim ac impetum styli. Vale felicissime. Fratrem meis verbis saluta. Postridie Cal. Jan. 1525.

---

32. No. 318 b. (Vol. I. p. 722.) 23. Jan.

Thomae Blaurero.

Haec quoque epistola a *Keimio* l. l. p. 287 sq. No. IV. primum edita est.

Thomae Blarero, Senatori Constantiensi, fratri suo.

Accepi binas literas, nam tu, ut licuit videre, coniunxeras. Hae me ita perturbarunt, ut vix ullius hominis ulla unquam. Neque libet hoc tempore dolori indulgere et causas recensere. Non agites, inquit ille, si qua coire velis. De ipso negotio paucis respondeo. Ego, mi Thoma, huius fabulae *περὶ εὐχαριστίας* neque doctor neque actor sum. Neque puto movere hoc genus quaestionum ullos, nisi quorum sunt otiosae conscientiae, nec domi habent, quid agant *περὶ βαρυτέρων τοῦ νόμου*. Neque profecto velim unquam *νεωτερίζειν* de re tali sine certa *ἀποκαλύψει*, si sit a verbo discedendum. De *Carolostadio* ego desydero *ἀναλογίαν πνεύματος*, cum et causam statuarum et elevationis tam urget pertinaciter. Et tum de uno theoremate non a Luthero nno dissideat, tanta contentione fidem atque auctoritatem universae

---

1) Huic nomini *Keimius* annotavit haecce: Ueber diese Persönlichkeit vgl. Corp. Ref. Camer. 3. Jan. 1524. C. R. 1, 648. Hier heißt er Sunvenius.

lutheranae doctrinae elevat. Mortificationem vult videri docere, cum ille antea de poenitentia tam multa. De vivificatione nullum verbum Carolostadius, ut non satis videatur percipere adfectus illos spirituales, de quibus tantopere gloriatur. Mitto nunc alia, quae me in eius scriptis varie adficiunt, quibus tu mihi videre nescio quomodo valde favere. *Περὶ εὐχαριστίας* non video, cur a verbis scripturae discedam nulla coactus *ἀποκαλύψει* certa. Et qui discedunt, nihil habere certi apud conscientiam videntur. Nam *ψυχικὰ* et rationis argumenta infirmiora sunt, quam ut conscientiam communiant. Eadem ad *Occolampadium* scripsi. Tu veterum etiam auctoritatem eiicis. At veteres constanter in hac sententia sunt, ut verum Christi corpus *ὄντως* ibi esse doceant. Collegi mei usus causa illorum sententias. Verum multi ex illis excerpunt id, quod commodum est. Caetera dissimulant. Nunc te rogo, mi Thoma, ut communibus precibus adiuves causam publicam. Scis enim, oportere nos de coelo doceri. Et cum tu caritatem tantopere a nobis exigis, par est, ut vicissim in nobis vel consolandis vel docendis vel confirmandis caritatem exerceas. Erant literae *καθ' ὑπερβολὴν τραγικαί.* Quo in genere operarum verser, quis vitae meae tenor; quae ratio sit, scis; quo magis te adhortor, ut amicitiam inter nos honestis auspiciis coeptam conserves. Richlinus ad vos redit. Natura bona videtur et actus tuis consiliis regetur cupitque se tibi esse commendatissimum. Vale. Fratrem et universam familiam meis verbis saluta 23. Jan.

Φίλιππος.

---

33. No. 325 b. (Vol. I. p. 730.) 29. Mart.

Thom. Munzerus ad Melanchthonem.

Haec epistola recuditur e libro: Unschuldige Nachrichten von Alten und Neuen Theologischen Sachen a. 1716. p. 1248—1251.

Christiano homini Philippo Melanchthoni, sanctarum Scripturarum Professori, Thomas Munzerus nuncius Christi.

Salve organum Christi, Theologiam vestram toto pectore amplector, nam de funibus venantium, animas electorum eripuit multas. Quod uxores Presbyteri vestri ducunt, commendo, ne larva Romana amplius vos constringat, sed in hoc reprobo, dum os Domini mutum adoretis, nescientes an electi vel reprobi sint de ignorantia vestra propagandi, futuram Ecclesiam penitus respuitis, in qua Domini scientia orietur plenissime. Is quippe error, charissimi, totus sumitur ex ignorantia verbi divini. Respi-

cite Scripturas, quibus nitimur mundum deprimere, manifestissime dicant: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, videte de ore Dei et non ex libris proficiscitur. Testimonium equidem verbi veri ex voluminibus est, nisi enim in corde oriatur, verbum hominis est damnans scribas versipelles, qui furantur oracula sancta Jer. XXIII. Nunquam eis Dominus locutus est, et ipsi usurpant verba eius, o charissimi operam navate ut prophetetis, alioqui Theologia vestra non valebit obolum, considerate Deum vestrum e vicino et non a longo, credite libentius Deum loqui, quam vos paratos ad percipiendum, sumus pleni desideriis, hoc impedit digitum viventis, ne scindere possit tabulas suas. Suasionibus vestris trahitis ad coniugia homines, cum iam non sit thorus immaculatus, sed Satanae lupanar, quod tamen vehementer Ecclesiam nocet, quam maledictissimi unguenti sacerdotium. Nonne passiones illorum desideriorum impediunt sanctificationem vestram? quomodo Spiritus potest effundi super carnem vestram, et eloquia viva habere cum Deo potestis, cum negaveritis talia? Nullum praeceptum (ut sic dicam) angustius stringit Christianum, quam sanctificatio nostra. Nam illa ex voluntate Dei animam evacuat, dum delectationes anima inferiores, nequaquam in falsum possessorem sumere possit: Utimur uxoribus, tanquam non habentes. Debitum reddite non ut gentes, sed sicut scientes, Deum nobis loqui, iubere, monere, ut firmiter sciatis, quando tribuendum sit pro prole electa, ut timor Domini et Spiritus sapientiae impediat bruti concupiscentiam, ne absorbeamini. Phiola tertii Angeli, (timeo et scio:) effusa iam est in fontes aquarum, et tota scaturigo sanguinis effecta est, imo lectio eorum in carnem et sanguinem versa est. Electi sunt quidam, sed ratio eorum aperire non potest ob causas iam relatas. Hinc habent opera cum reprobis communia, excepto Dei timore, qui eos separat ab illis. Duo in uno lecto iacent, unum opus delectationis perpetrant. Talia enim in vobis opera reperio, dum contentiones inter vos sint, de abroganda missa. Papistici sacrificii abominationem, quod quidam detestati sunt, extollo et commendo, ex Spiritu S. effecerunt; sed in hoc erroribus involuti sunt, quod Apostolicum ritum ad amussim non sint imitati. Nam qui iussione dominica semen proiiciunt, metere debent, auditores, praedicantes, dum verbum finierint, et qui fructum intelligentiae suae reddiderint, manifestandi sunt hominibus, et tribuendus panis et potus, quod hi verum possessorem habeant, quibus intellectus testimoniorum Dei largitus sit, non mortuarum ex chartis, sed vi-

varum promissionum verbum. Martinus noster charissimus ignoranter agit, quod parvulos non velit offendere, qui iam parvuli sunt sicut pueri centum annorum maledicti, imo angustia Christianorum est iam in foribus, cur esse expectandum censetis, ignoro, ***lieben Brüder last euer merken, es ist Zeit.*** Nolite tardare, aestas est in ianua, nolite vobis conciliare reprobos, ipsi impediunt, ne virtute magna operetur verbum. Nolite adulari Principibus vestris, videbitis alioqui subversionem vestram, quam avertat benedictus Deus. Si negaveritis purgatorium Christianum, ostenditis vos ignorantes in scripturis et studiis Spiritus, sed quod Papisticum respuitis phantasma, commendo. Nullus potest ingredi, nisi adaperiantur septem gradus rationis septem Spiritus. Abominabilis est error de purgatorio negando, cavete. Si volueritis, omnia mea scripturis, ordine, experientia apertoque Dei verbo roborabo. ***Ihr zarten Schrifftgelehrten seyd nicht unwillig, ich kan es nicht anders machen.*** Valete, quinta Annunciationis.

34. No. 331 b. (Vol. I. p. 739.) 10. Maii.

Senatus Erfordiensis ad Lutherum et Melanchthonem.

Hanc epistolam repeto ex Ernesti Salom. Cypriani libro: Der Andere und Letzte Theil zu Wilh. Ernst Tentzels, Hist. Sax. Historischen Bericht vom Anfang und ersten Fortgang der Reformation Lutheri, in sich haltende: (1) den Zweyten Theil nützlicher — Uhrkunden etc. (Leipzig 1718. 8°.) p. 343—345. No. LXXIX. sic inscriptum: Der Rath zu Erffurth an Lutherum und Melanchthonem wegen des Aufruhrs der Bauern. — Lutheri responsum invenitur in de Wettii collectione a Seidemanno continuata Tom. VI. p. 59—68. No. 2366. Conf. ***Dr. Mart. Luther's Briefwechsel — — herausg. von C. A. H. Burkhardt.*** (Leipzig 1866. 8°.) p. 83.

Unser freündliche Dinste und was wir liebs und guts vermogen zuvor, Wirdigen Hochgelarten und achtbaren gunstigen lieben Hern. Es haben sich Irrung und gebrechen unther unsern Burgern und Landvolck erhaben, darauff uns etliche Artickel zu bewilligen und aufzurichten ubergeben haben, So wir dan aus gotlichen Gebot und Liebe des nechsten uns schuldig erkennen, auch willig und geneigt sein, so viel uns muglich, dafur zu sein, das unther unsern underthanen und andern Christlichen volcke kein ufrur oder uneinigkeit erwachße, sunder dieselben zuvorkomen oder je ufs wenigst abzuwenden und zu stillen, und die ubergeben Artickel doch der schicklicheit seint, das dieselben Christliche Betrachtunge und Rathschlagung erfordern, und ewre Wirden als hochberumpte Hern von den unsern hirtzu bestimpt sein; Ist unser freuntlich und dinstlich Bit, E. W. wollen aus Christlicher Liebe, und zu erhaltung gotliches worts, fride und einickeit, sich, aufs schirst es sein moge, anher gehn Erffurt zu uns fugen, und solche Artickel neben uns und andern helffen

bewegen und berathschlagen, Domit wir uns in ufrichtung derselben wider die Gepot Gottes nicht vergreiffen und zu abbruch unser Obrickeit freyheit und previlegien handeln mogen, und uns dise unser Bit nicht abschlagen. Des wollen wir uns gentzlich zu Ewer Wirden versehen, und freuntlich wiederumb zu verdienen. Geben unther unserm Secret Mitwochen nach dem Sontage Jubilate Anno Domini M. D. XXV.

Der Rath
zu Erffort.

ANNO 1526.

35. No. 381 b. (Vol. I. p. 796.) 21. Maii.

Io. Oecolampadius ad Melanchthonem.

Haec epistola Oecolampadii ad Melanchthonem edita est in hocce libro: DD. Ioannis Oecolampadii et Huldrichi Zuinglii epistolarum libri quatuor, etc. (Basileae 1536. Fol.) Lib. III. fol. 115b – 116a.

Ioannes Oecolampadius clarissimo viro Philippo Melanchthoni, fratri suo.

Gratia Christi tecum, Philippe in Christo perpetuo dilecte. Utar adhuc iure veteris amicitiae, etiam peripsema mundi, tuoque candore sancte fruar, citra praefationis apparatum tibi scribens. Ita se habent res nostrae. Mundus quod solet, agit: et Christus, quem nos arbitrantur quidam negasse, suo fungitur officio, hoc magis erigens, quo deiectiores putamur. Hinc fit, ut cum aliorum insultus aequo feramus animo, nostratium etiam molestias, qua decet excipiamus suavitate: utut interim furibundi habeamur, ac novo verbo Schuermeri. Sed vide tu ex paucis illis quae subiicimus, et si quidem tanta libertas istic est, ostende illis primatibus, num molae a pietate, quae in Christum, mentis indicia sint. Gloriabimur autem in Domino, ut eximie quibusdam stulti, nihilominus tamen et gloriabimur, et vere in Christo: Christum filium Dei et Mariae passum, et a mortuis redivivum, idque nobis in novitatem vitae credimus et confitemur: opponentes nos omnibus, quae illi emiuenti cognitioni, etiamsi quibusdam verbum crucis sit, praeiudicant. Ab hac petra certi sumus, quod nullus nos turbo deturbaturus sit. Viderint qui nos temere damnant, quo tandem furor eorum ipsos deducturus sit. Non habent quare nos sacramentorum hostes vocent, vel Sacramentarios. Elementorum usum, quatenus a Christo commendata sunt, non reiicimus. Absit autem, ut ab illis sic pendeamus, ne ultra promoveamus, mentalibus oculis beneficia, ac promissionum alimenta non contuentes, et ab visibilibus ad invisibilia non pergentes, ob quod sic nos

quidam insectantur: si rem spectarent, viderent nos a portentissimis quibusdam dogmatis abhorrere: dum alius verbum vel panem substantiat in Deum, alius Christi corpus ubique esse fecit, et ita spirituale, ut ultra pro fratre illum habere non potuerimus, alius manifestam idololatriam docet. In hoc peccasse traducimur, quod panem figuram corporis Christi diximus: quod nihil aliud erat, quam sacramentum corporis Christi. Et sic quidam Ecclesiastici locuti fuerunt. quod nos Schuermeri Saxonibus sumus, licet *τῆς πίστεως ἀναλογία* nobis suffragetur, hebraismus, actio, circumstantia, et nihil non: ut ausi fuerimus dicere, Hoc est corpus meum, sacramentum vel figura corporis mei. Atqui non disputabo nunc, sed admonebo te, ut videas quidnam monstrorum parturiat, imo quid stabilire cupiat mundus. Legi quaedam in confessione Lutheri, quae a mea sententia non abludunt: sed alia *δὶς διὰ πασῶν*. Et ille non amplius expectare vult. Nihil tamen optatius foret, quam simul pure sentire, et uno ore Christum praedicare. Siccine nostris conviliis pascemus perpetuo sanctas ecclesias Christi? Affectuum reliquias literis non commendo. Fac sciam, an aliquid spei sit isthinc. Nobis enim adhuc integre Christus vivit, qui eius spiritum sapiunt, haudquaquam nos abiicient: quanto minus tantas ecclesias? Nunquid verbis curiam Drances replebunt? Fieri potest, vel Luthero responsurus sum: si non ego, certe Zuinglius: equidem tardior sum. Antagonistas Christi amantiores vellem, ut inde ad lectores plus utilitatis quam conviliorum rediret. De aliis rebus meis non multum refert scire. Coelebs esse desii, si fortassis vel sic hypocriseos crimen exuam. Neque enim me unquam pro sanctulo venditavi, nisi sanctulum vocent somniculosiorem. At somnum tandem excutient. Omnia bona tibi precor, atque etiam his qui nos maxime damnant. Obsopaeus scribere voluit, quae Pyrckemerus libenter legit. Nihil Muntzerani spiritus sciat in Oecolampadio. At licet hoc ei cum caeteris. Dominus servet tibi innocentiam tuam: cui me commenda. Vale, Basileae, 21. Maii. Anno 1526.

---

36. No. 411 b. (Vol. I. p. 825.) (Oct.)

Thomae Blaurero.

Huius epistolae fragmentum edidit *Keimius* l. l. p. 289. Nr. V. Integra epistola a me exhibetur No. 37.

Fragmentum epistolae Melanthonis ad Thomam Blaurerum.

Non tam meum animum afficiunt privatae res, quam publica dissensio eorum, qui uni patrocinantur evangelio. Utinam ante

privatis scriptis inter se οἱ πρωταγωνισταὶ huius fabulae de tota re egissent, quam ventum est in publicum. Omnia sic placide et sine acerbitate ac contentione potuissent conferri. Nunc vides, quid ista pariant. Ego sane valde uror ac doleo, in tam cruentum certamen hanc talium virorum dissensionem exire. Praeter preces nihil habeo in his malis solatii.

---

37. No. 411 c. (Vol. I. p. 825.) (Oct.)

Thomae Blaurero.

Autographum huius epistolae in Collectione Simleriana (S. Msc. 17 a.) invenitur. *Simlerus* ei haec adnotavit: „Epistola haec sine loco et die scripta reddita est Blaurero per Urbanum Angelum sub Cal. Novembris XXVI. unde per errorem quidam adscripsit: XXVI Non. 1526., referenda vero ad Octobr. 1526. — Quaedam vetustate attrita verba autogr. per me sunt restituta." Apographum debeo Cl. V. *Voegelino.*

Melanchthon Thomae Blaurero Senatori Constantiensi, amico suo.

S. D. Urbanus Angelus redit ad vos, quod illi faustum felixque sit ... de cuius studiis, quia non multum mea consuetudine usus est, non possum scribere, sed tamen arbitror non redire vacuum. Modestia in eo mihi visa est esse singularis, quam ob virtutem adolescentem magis amavi. De nostris rebus ipse Te certiorem reddet, quae quidem mediocres sunt. Sed non tam meum animum privatae res adficiunt, quam publica dissensio eorum, qui uni patrocinantur Evangelio. Utinam ante privatis Scriptis inter se οἱ πρωταγονισταὶ huius fabulae de tota re egissent, quam ventum est in publicum. Omnia sic placide et sine acerbitate ac contione potuissent conferri. Nunc vides quid ista pariant. Ego sane valde uror, ac doleo in tam cruentum certamen hanc talium Virorum dissensionem exire. Praeter preces nihil habeo in his malis solatii. Scribo brevius, quia parum tutum videbatur hoc tempore ea scribere, quae Tecum inprimis cupiebam commentari. Tu ad nos vide ut multum, ac quoties est occasio, scribas. Vale ac fratrem et uxorem tuam meis verbis saluta. Filiae meo nomine osculum dabis.

Philippus tuus.

---

38. No. 424 b. (Vol. I. p. 836.) (hoc anno.)

Thomae Blaurero.

Autographum in eadem Collectione Simleriana (S. Msc. 17.) asservatum habet inscriptionem: Melanchthon ad Thomam Blaurerum Senatorem Constantiensem. Apographum accepi per Cl. V. *Voegelinum.*

Thomae Blaurero, senatori Constantiensi, amico suo.

S. Dedi Milichio Nonni poëma ut describi Tibi curaret quemadmodum flagitasti. Neque ego ipse gravarer describere si neminem haberemus alium qui id oneris tua caussa susciperet. Sed ego ita existimo Milichium gaudere sibi oblatam esse occasionem demerendi Tui. Nunquam mecum est; est autem quotidie domi nostrae, quin de Te deque tua erga se voluntate honorifice loquatur. Neque tamen cedit ei in Te amando Vogelius[1]). Is, cum haec scriberem, rogabat me, ut sui mentionem apud Te facerem, ac Te hortarer, ut suu studia propinquis commendares, Tuque susciperes eum et tuendum et iuvandum, si qua parte posses. Hoc ut facias Te etiam atque etiam, mi Thoma, rogo. Est enim humanitatis id tuae adolescentem flagrantem optimarum artium studio et praeditum moribus optimis summa ope iuvare. Mihi nunc notior est Vogelius, quam fuit his proximis annis, quia nunc non tantum auditor est meus, sed etiam συμφοιτήτης in Mathematicis discendi in quae ille omnibus viribus ingenii cognoscenda incumbit. Neque facile dixerim quantum eius vel consiliis vel studio delecter. Nam et facile illis ipsis disciplinis et magnum ac utile instrumentum inde mihi videtur allaturus ad Medicinae scientiam, ad quam, ut scis, ille se iam olim contulit. Quaeso igitur te, ut des operam, ut sentiat meam commendationem apud Te sibi profuisse. *Περὶ εὐχαριστίας* non libuit scribere. Expecto enim a vobis ea de re aliquid. Nostri nihil mutarunt, neque tamen valde pugnant, tametsi metuam his praeludiis tragoedium tristiorem successuram esse. Lutherum nihil opinor responsurum esse ad *ὑπερασπίστην*, si hic desinat Erasmus[2]). Vale. Saluta meis verbis fratrem et tuos omnes.

Philippus.

ANNO 1527.

39. No. 453[b]. (Vol. I. p. 880.) 2. Aug.

Martinus Lutherus ad Phil. Melanchthonem.

Hanc epistolam legas in de Wettii collectione epistolarum Lutheri Tom. III. p. 189. No. 887.

1) Nota Simleri: i. e. Vogelinus, Constantiensis.

2) Nota Simleri: Erasmus edidit Hyperaspisten adversus Lutherum 1526.

40. No. 465 b. (Vol. I. p. 893.) 8. Sept.

Simon Grynaeus ad Melanchthonem.

Haec epistola a Grynaeo ad Melanchthonem Heydelbergae VI. Id. Sept. scripta incipit: „Philippo Melanchthoni Simon Grynaeus S. D. Cum nuper bibliothecas eas" etc. Continet literaria praesertim de Livianis aliquot voluminibus nunquam hactenus visis, item iudicium de genio illius aevi. Memoratur in libro inscripto: „Index et argumentum Epistolarum ad D. Erasmum autographarum quae adservantur Lipsiae in bibliotheca J. F. Burscheri." Lipsiae 1784. 8. Hanc epistolam nondum vidi.

---

41. No. 465 b. (Vol. I. p. 893.) 10. Sept.

Gregorio Pontano.

Ex autographo Vinariensis Bibliothecae Magniducalis.

Ampliss. viro D. Gregorio Bruk doctori Iuris, Cancellario Principis Saxoniae Electoris, Suo patrono.

S. O. Accepimus literas, ampliss. Domine Cancellarie, quibus evocamur ad visitationem Doct. Hieronymus [1]) et ego. Neque sane recusamus parere voluntati Illustriss. Principis. Sed hoc significandum vobis duxi, me hinc sine aliquo scholae detrimento non posse discedere. Nam ego unus sacras literas hic interpretor, et aliquam partem laboris etiam in prophanis literis tradendis sustineo. Et quidem plus oneris hoc tempore suscepi, quoniam pauci professores hic sunt. Huc accedunt multa alia scholae negotia, quae me hic alligant. Quare rogo vos, ut ab Illustriss. Principe petatis, ut hoc tempore nos hic relinquat. Praeterea, ut maxime sit ad inspectionem Ecclesiarum proficiscendum, ita multa sunt ecclesiastica negotia, de quibus oportuit prius vobiscum deliberare. Nam sine consilio vestro pleraque eiusmodi negotia expediri non possunt. Et nondum scimus an Principi probentur ea, quae ante egimus. Quare optarim non ita praecipitari rem maximam et maxime variam, Inspectionem Ecclesiarum. Quidquid Illustriss. Princeps decreverit, faciam. Opto tamen, ut de scholae utilitate cogitet. Vos rogo, ut iterum mihi voluntatem Principis significetis. Valete et ignoscite mihi toties ad vos scribenti. Datae Jenae die Martis post Nativitatem B. Mariae.

Philippus.

---

1) Hieronymus Schurff.

42. No. 465ᶜ. (Vol. I. p. 893.) 10. Sept.

Hieronymus Schurff ad Gregorium Pontanum.

Ex autographo eiusdem Bibliothecae.

Dem achtbaren und hochgelarten Ern Gregorio *Bruck* Kantzler Doctor, meynem lieben Hern und Gefattern

zu handen.

Meinen willigen freuntlichen Dienst zuvor. Achtbar hochgelarter lieber Herr und Gefatter Ich thue euch guter Meynunge und mit gutem Bestem zu wissen, wohe Myr Philippus itzundt von dannen zeucht und sich ein Zeitlang in die Visitation begibt, das das cleyne heufflein zurstrewet wurd und schwerlich widder zurück kümpt. Dieweil ich In denn vor den geschicktesten zu disem Werke, so vil es die Visitation und Unterrichtunge etc. der Pfarren etc. belanget, achte und auch dermassen befunden, so wage ich one sein beywesen darbey nichts fruchtbarlichs auszurichten. Zu dem so haben mich die besten schüler in Iure zu Wittenbergk, ob ich auch hierher zu zcyhen und lesen bedacht were, so wolten sie sich auch zeur stethe verfügen, anreden und fragen lassen, das ich gern vermittelst gotlicher hülff zu thun zugesaget. Und byn also mit Weib Kyndern etc. mit merglichen Unkosten anher kommen. Wohe unhn mein Lection auch fallen wurde, so würden dieselbig zeum grossern teil und was ichtens in Iure verstendig von hynnen czihen. Ueber disses alles so bin ich in der Visitation gar nichts nutze, und aufenglichen, so vil wie das einkomen der pfarn betrifft und was itzlichem Prediger und Caplan verordenet werden soll, wurdt überflussiglichen wol und bedechtlichen von Ern Hansen Edel von der Pleunitz etc. und Asmus von Haubitz verschaft, so vil aber die Visitation an ir selbst belanget, wie und welcherley gestalt die Ministri Verbi geschickt sein sollen etc. darzu weis ich mich ganz ungeschickt und ungenugsam. So bin ich auch kein Theologus, der wegen ich darbey nichts ausrichten kann, dann allein das ich aus bewegenden Ursachen, so ich auch zu seiner Zeit wol wil anzeigen, dar von ein boße gewissen erlange. Ist der wegen mein gantz freuntlich vleissig bit, Ir wollet bey m. Gst. H. dem Churf. helffen verfügen, das ich von solcher Visitation entbunden werde, die weil Got habe Lob Andere darzu tüchtig, als der Probst, Licentiatus Benedictus Pauli u. A. vorhanden seint. Das ich mich und vil eins grösseren zu euch gentzlichen vertröste. Euch auch meins Vermögens zu dyenen bin ich alzeit sonderlich willig. Dat. Ihene Dynstags nach Nativitatem Marie Virg. Gloriosiss. A. D. 1527.

Hyeronimus Schurpff.

43. No. 465 d. (Vol. I. p. 893.) 10. Sept.

Phil. Melanchthon et Hier. Schurff ad Consiliarios Electoris Saxon.

Ex Melanchthonis autographo eiusdem Bibliothecae.

Den Gestrengen Ehrnvesten und Hochgelarten unsers Gdest. Hrn des Churf. zu S. verordenten Rädten zu Torga, unnsern günstigen Herrn und Freunden.

Unnsern fruntlichen Dienst zuvor, Gestrenge, Ehrnveste, Hochgelarte Gunstige Herrn und Freund. Wir haben ewr schreyben, darinn yhr uns zu der Visitation, von unsers gnedigsten Herrn wegen foddert empfangen. Darauff fügen wir euch zu wissen, diweyl die meisten Schüler der Universitet zu Witeberg aus gnedigem Zulassen unnsers gnedigsten Herrn hieher ynn Jhen gezogen, und doch kheyn Doctor in iure nochmals sunst alhie, denn ich Doctor Hieronymus Schurff, auch niemand in theologia liset, denn ich Philippus Melanchthon, das wir besorgen, das wir nicht on schaden der Schul abkommen mögen. Es fallen auch teglich andere sachen fur bey disen Jungen leuten, darumb wir nicht füglich lang von der Universität seyn könden, denn von nötten ist in disen leufften, dises heufflin mitt sonderlichem vleys zu samen halden. Darumb bitten wir yhr wollet solchs unserm gnedigstem Herrn von unsern wegen anzeygen, und seyne Churfürstlich Gnad bitten, das sie uns gnediglich hie bleyben lasse, unnd auff dis mal nicht abfoddern wolde, denn wir achten ie notturfftig seyn, die Universitet, so vil möglich, beysamen halden, und nicht lassen von eyn [ander] lauffen. Euch freuntlich zu dienen sind wir willig. Dat. zu Jhen, an Zinstag post Nativitatis B. Mariae Anno XXVII

Hieronymus Schurpf Doctor
Philippus Melanchthon.

---

44. No. 467 b. (Vol. I. p. 894.) 9. Oct.

Consiliariis Electoris Saxoniae.

Ex Melanchthonis autographo eiusdem Bibliothecae. In fine huius epistolae legitur haec annotatio: Peter Wolfram zum Arnshaug Klester schickt diesen Brief ein, den er sich von Melanchthon hat schreiben lassen, als jener Vicar seiner Anordnung zu folgen sich geweigert.

Amplissimis viris dominis Consiliariis Illustrissimi Principis Saxoniae Electoris etc. in aula.

S. D. Amplissimi viri. Cum inspiceremus Ecclesias vicinas oppido Neustat, mandaverunt visitatores duo Iodoco Pastori in

Moderwitz de certa caussa, ut suam parochiam cum Cobitsensi parochia mutaret. Sic meritus erat, ut posset omnino privari parochia. Nos autem tantum transferre voluimus ad alium locum, et non deteriorem quam Moderwiciana Parochia sit. Neque enim erat faciendum, ut quotidie ob oculos praefecti versaretur, qui quandam eius cognatam abduxit e quodam monasterio, nec postea duxit uxorem, sed diu vagantem ac errantem reliquit. Talis nebulo merito prorsus ex ditione Principis illustriss. eiiceretur. Nunc autem visitatoribus recusat obtemperare. Quaeso igitur, ut efficiatis, ut nostro decreto obtemperet. Neque enim ferendum est, ut contemnat autoritatem cuiusquam a Principe missi, vir talis. Et nos eius tranquillitati consuluimus, qui praefectum habet iusta de caussa parum propitium. Valete Relic.. (?) die Mercurii post festum S. Francisci datae Jenae.

Philippus Melanchthon.

Habuimus praeterea alias caussas eius puniendi, quas non libuit scribere.

---

45. No. 470 b. (Vol. I. p. 896.) 27. Oct.

Martinus Lutherus ad Phil. Melanchthonem.

Hae litterae inveniuntur in illa de Wettii collectione Tom. III. p. 214—216. No. 909., ubi legantur.

---

46. No. 500 b. (Vol. I. p. 933.) (exeunte anno 1527. vel ineunte anno 1528.)

Idem ad eundem.

Haec epistola, cuius Melanchthon in litteris d. 7. Jan. 1528. ad Joach. Camerarium scriptis in fine (Corp. Ref. I. p. 936.) sic mentionem fecit: „Mitto tibi Lutheri epistolam proxime mihi missam“, periisse videtur, Conf. de Wettii collectio epistolarum Lutheri a Joh. Car. Seidemanno continuata Tom. VI. (Berlin 1856. 8°.) p. 89. No. 2381.

ANNO 1528.

47. No. 501 b. (Vol. I. p. 938.) (m. Januario.)

Georgius Spalatinus ad Mart. Lutherum et Phil. Melanchthonem.

Haec epistola quaestiones continens, quae Luthero et Melanchthoni a Spalatino proponuntur, invenitur in libro: Johann Erhard Kappens Kleine

Nachlese einiger, größten Theils noch ungedruckter, und sonderlich zur Erläuterung der Reformations-Geschichte nützlicher Urkunden. I. Theil. (Leipzig 1727. 8°.) p. 159—162. No. XIX. sic inscripta: Ge. Spalatini Frage-Stücken an D. Martin Luthern und Philip. Melanchthonem wegen Ersetzung der Pfarr zu Gnanstein, ob solche dem Grafen von Leißnick zu überlassen sey. Aus Spalatini autographo. s. l. et d. — C. A. H. Burkhardt in libro suo: ***Dr. Martin Luther's Briefwechsel. Mit vielen unbekannten Briefen und unter vorzüglicher Berücksichtigung der de Wette'schen Ausgabe.*** (Leipzig 1866. 8°.) p. 131. hanc epistolam inscripsit: „1528. Januar.", quem secutus sum. — Lutheri responsum exhibetur in illo Kappii libro I. p. 163 sq. No. XX. et in de Wettii collectione T. III. p. 278. litt. K.

Hieuor hat der Herr D. Martinus Luther den von Einsidel geraten, das sie die Pfarr zum Gnansteyn eyn zeitlang solten noch vnbestalt lassen. Wie denn bescheen. Nu ist Abraham von Einsidel in vergangener Fasten mit dem von Leysneck, als des orts Lehen-hern, zu rede kummen, dozumal hat im der von Leysneck eyn Vorschlag gethan, das er ein pfarrer gegen Inen vorschreiben wolt. Dem solten die von Einsidel das Leben leyhen, dasselb hat Abraham von Einsidel in bedencken genommenn. Weil dann der von Leysneck ein zeitlang in Behem gewest, hat Heinrich von Einsidel im vngeferlich vor vier wochen antwort darauf gegeben, das sein Bruder vnd er aus vil vrsachen in die Bestellung der pfarren nicht wusten einzulassen. Dann es auch irer gegeben antwort desselben artickels halben irem G. H. Hertzog Georgen &c. gethan entgegen sein werde. Als hat der von Leysneck Henrichen von Einsidel zum selbigen mal ein andern vorschlag gethan, das sein Bruder Abraham vnd er nach eynem geschickten mann trachten solten, Sein Gnad wolt den namen haben, als hett er in gin Gnansteyn verordent, welchen vorschlag Heinrich von Einsidel auf ein Hindergang an sein Bruder Abraham genommenn, Nu sind die von Einsidel in bedencken gestanden, es solt vielleicht gut seyn, das man denselben vorschlag angenommen hett, domit das arme Folck bey Gottes Wort bleiben, vnd mit einem christlichen pfarrer oder prediger versehn sein mochte, dann sie mochten sonst mit eynem vngeschickten mann, von dem sie nichts den verelagens vnd beschwerung gewertig weren, wie zu besorgen, vberladen worden, haben alsso furgehabt, rats darinn zu gebrauchen. Als ist gleich Mitwoch nach Egidii vom Grafen zu Leisneck ein schrifft an die von Einsidel kummen. Lauts hiebey verwarter Copien,

Nu hat der pfarrer zu Penick, den der von Leißneck zu den von Einsidel nebst bemelter schrifft geschickt, bericht, das sein Gnad den Priester, so er zur Pfarr zum Gnansteyn verschriben, befolen, meß zu halten, vnd cerimonien nach christlicher Kyrchen-ordnung, weil dann sein bruder Abraham nicht vorhanden, so hats Heinrich von Einsidel in eyn bedencken genommen, nicht lenger den acht tage, seyn gnaden zu berichten, was sie zu thun gesynnt weren,

Nu hat Heinrich von Einsidel dem von Leisneck zuuor dise antwort gegeben, das sie sich nicht wusten der pfarr bestellung halben einzulassenn,

Die von Einsidel habens eyn weil dafur gehalten, berurter vorschlag des von Leysneck solt Inen anzunemen, oder aufs wenigst zuuersuchen seyn,

Dann die armen leute wurden dadurch mit Gottes gnediger hülff ein prediger oder pfarrer bekummen, der inen das heilige wort Gottes verkundigte,

Derselbig pfarrer muste aber, so vil ymmer mit gutem gewissen zuuerantworten, das vnterlassen, das Hertzog George zu zorn bewegen mochte,

Die von Einsidel habens auch dafur gehalten, Hertzog Georg wurde Gottes wort desselben orts nicht hindernn.

Ob auch gleich Hertzog George denselben pfarrer nicht leiden konten, so hettens die von Einsidel auf den von Leysneck zuschieben, als der in dahin verordneth,

Solt aber diser vorschlag von den von Einsidel nicht angenommen werden, so mochte der von Leysneck ein für sich dahin ordnen, der nicht geburlich christlich maß im wort vnd sonst halten mocht,

Solt aber Hertzog George eynen dohin ordnen, kan man wol dencken, was maß der halten würde, Dann derselb pfarrer mocht die arme leut nicht allein mit Gottes wort nicht versehen, sonder auch dohin dringen, sich mit entfahung des sacraments vnd andern nach des Babsts myßbrauch zu halten, wo nicht sie angeben vnd verclagen, das sie entweder gestrafft werden, oder widerruffen mustenn,

Es meynen wol etliche, es solt dem von Leysneck zu antwort zu geben sein, das die pfarr vor handen, wenn er dohin verordneth, dem wurde sie offenn seinn, Es solt dem pfarrer auch von den leuten nichts vnpillichs widerfarenn, vnd sein detzem vnd ander gerechtickeit folgen ꝛc.

Und wirt besorgt, man wolle den von Einsidel ein pfarrer eyndringen.

Ideo petitur, propter Deum et Christum eius, ut, depensis tot eorum periculis, respondeatis per hunc tabellarium, statim rediturum.

Primo quid putetis faciundum.

An permittendum Comiti a Leysneck, ut ipse Einsidelis mittat parochum.

An vero ut Einsideli ipsi suscipiant aliquem.

Et, si vobis videtur ab Einsidelis aliquis suscipiendus, ut vos celibem aliquem, pium et eruditum mittatis Einsidelis, ab ipsis Comiti a Leysneck presentandum.

Nam quem tu mi D. Philippe Einsidelis commendasti tantopere, Concionatorem olim Gerensium, nequaquam voluit se ditioni Ducis Georgii submittere, ut aliquando tyrannidem expertus. Fuit enim tum apud Heinricum Einsidelum, tum apud me, multa mecum

collocutus, vere egregius alioqui senecio. Consulite igitur obsecro in medium, rem gratissimam Einsidelis facturi, preserlim et celantes et remittentes omnia. Coguntur enim pii iuvenes multa timere, imo omnia habere suspecta.

---

48. No. 518 b. (Vol. I. p. 950.) (exeunte Martio vel ineunte Aprili.)

Martinus Lutherus ad Phil. Melanchthonem.

Melanchthon in fine epistolae fere 6. April. ad Joach. Camerarium scriptae (Corp. Ref. I. p. 952.) haec addit: „Epistolam a Luthero accepi hac hora, priusquam tuas literas obsignassem, hanc tibi misi.“ Haec epistola nondum inventa est. Conf. Seidemanni Tom. VI. epistolarum Lutheri p. 92. No. 2386.

---

49. No. 536 b. (Vol. I. p. 982.) 9. Jun.

Ioannes Pr. Elector Sax. ad Lutherum, Melanchthonem et centurionem Wittenbergae.

Haec epistola legatur in Burkhardti libro supra memorato p. 135 sq.

---

50. No. 542 b. (Vol. I. p. 989.) 17. Jul.

Idem ad Lutherum et Melanchthonem.

Haec quoque epistola exhibetur in Burkhardti libro recensito p. 137., ubi eam legas.

---

51. No. 544 b. (Vol. I. p. 993.) 25. Jul.

Idem ad Lutherum, Schurfium, Melanchthonem et Pauli.

Haec etiam epistola legatur in illo Burkhardti libro p. 138—140.

---

52. No. 560 b. (Vol. I. p. 1010.) 30. Nov.

Martinus Lutherus ad Phil. Melanchthonem.

Haec epistola legatur in de Wettii collectione Tom. III. p. 405. No. 1055.

ANNO 1529.

53. No. 586[b]. (Vol. I. p. 1037.) 19. Febr.

Visitatores circuli Franconiae Coburgi versantes ad Lutherum et Melanchthonem.

Hanc epistolam vide in Burkhardti libro supra memorato p. 156—158. — Lutheri responsum invenitur in de Wettii collectione Tom. III. p. 425. No. 1075.

---

54. No. 595[b]. (Vol. I. p. 1045.) 31. Mart.

Io. Oecolampadius ad Melanchthonem.

Haec epistola ab Oecolampadio ad Melanchthonem pridie Cal. April. scripta invenitur in Sculteti annal. Decad. II. (Heidelbergae 1620. 8°.) ad annum 1529. p. 236—239. et in Epistolis Oecolampadii et Zwinglii lib. III. fol. 121b—122a, ubi autem per errorem ad a. 1528. reiecta est.

Ioannes Oecolampadius ornatissimo viro Philippo Melanchthoni, et eruditione et vitae integritate claro.

Gratia et pax a Christo [1]). Magis absentem literis interpellare tuam humanitatem, Melanchthon ornatissime, hactenus non sum veritus: sed pristinae familiaritatis necessitudinem qualibuscunque tandem epistolarum, certe [2]) amicarum, si non eruditarum, officiis conservare studui. Quanto magis mihi temperare [3]) non possum, quin propiorem insalutatum non relinquam: et profecto id coram facerem, si quidem vel pericula non prohiberent, vel ab ecclesia mea commode abesse possem. Nihil enim tuo colloquio in terris gratius optatiusque evenire posset, multis certe nominibus: sed hoc potissimum, ut de rebus ecclesiae fideliter tecum agerem, si possent e medio tolli schismata quaedam nuper, non dico a quibus, invecta. Tum sane iucundum mihi foret ex hac vita migrare, id quod opinor ex variis meis ad te literis [4]) accepisti. Nisi forte malo infortunio nullae ad te pervenerint, quod suspicari licet ex perpetuo silentio tuo. Nondum enim ausim insimulare te, quem cuncti mansueto Christi spiritu praeditum testantur, ita surrexisse supercilium, ut λιτὰς

---

1) Illa inscriptio et hoc initium, quae in Epistolarum collectione memorata leguntur, a Sculteto omissa sunt.

1) certe] apud Scultetum deest.

3) temperare] in Epistolarum collect. legitur: temporare

4) ad te literis] sic Epist.; Scult.: literis ad te

familiarium inauditas sine responso dimittas. Itaque satis mirari non possum. Optima quaeque de te mihi polliceor, et ne verbo quidem spes fovetur. Merear tandem id gratiae[1]), ut sciam te amicitiae renuntiasse. Et[2]) quo pacto id facies, nisi et Christo valedicas, qui et ipse mihi κεφαλή? Persuasum enim mihi, nullum ex membris illius, qui illum verum et Deum et hominem fatentur ac credunt, beneque erga omnes ea fide conspicuos affecti sunt, ab aliis membris, quae idem spiritus vegetat, abiici posse. Neque in hoc falli potero, utcunque fratrum imbecillitas officii sui interim parum memor est. Non ignoramus hic, quae ὁ τέκτων, τοῦ ἀντιχρίστου οὐ πρόδρομος, ἀλλὰ παρόντος κῆρυξ isthic fabricet Philippica (de Macedone inquam, non de te, nostro vere candido) fraude, ut nobis primum negotium faciat, quo deinde et vos quoque invadat. Sed ante oculos pennatorum frustra proiicit retia. Equidem non mediocre coelestis patris benevolentiae indicium[3]) censeo, quod et tu in hoc praeclaro Principum Germaniae conventu amicis et piis suggerere valeas ea quae pacis, et quae in gloriam Christi. Proscribi cupit nescio quis Sacramentarios. Scilicet illi fidei sinceritas cordi est? et hoc pacto concordiae consulet, si crassius et loqui et sentire περὶ τῶν μυστηρίων, quam par est, inculcarit? Interim crepat multas sycophantias: quasi nobis sit figura ac phantasma, non veritas Christus: quasi imbecillis, non omnipotens Christus: quasi unicum angulum occupans, et[4]) non ubique sit ac portet omnia verbo virtutis suae. Belle scilicet, si distinctius de naturis unius naturae, id est (ut quod ἐμφατικωτέρως dicere volui, explicem) personae[5]) loquimur[6]), idcirco alteram negare videamur. Et si divinitatem negemus passam in sua natura, ideo cogamur negare etiam Christum Deum passum: et si asseramus[7]), corpoream Christi dimensionem et quantitatem non esse ubique locorum; ideo inficiemur Christum, qui humana, quae semel assumsit[8]), nunquam dereliquit, non esse ubique locorum, non esse inter duos aut[9]) tres in suo no-

1) Merear tandem id gratiae,] sic Epist.; Scult.: Vereor tandem futurum,
2) Et] sic Epist.; Scult.: At
3) indicium] sic Scult.; Epist.: iudicium
4) et] sic Epist.; Scult.: ac
5) unius naturae, id est — personae] sic Epist.; Scult.: unius personae
6) loquimur,] sic Scult.; Epist.: loquitur,
7) si asseramus] sic Scult.; Epist.: si non asseramus
8) qui humana, quae semel assumsit,] sic Scult.; Epist.: qui humana semel assumpsit,
9) aut] sic Epist.; Scult.: et

mine congregatos, non esse in fidelium cordibus. Tales audio isthic nostrae fidei interpretes ac calumniatores haberi. At te oro per Christum, ut maledicorum hominum effrenem licentiam, quatenus licet, apud pios remoreris, indicando [1]), non eo pertingere nostros sermones: imo addere hoc tuto poteris, neutiquam nos boni consulere, si quis dicat, veluti Iudam et pecus nos communem panem, vel solum sacramentum edere, *χάριν γὰρ τὴν ἀόρατον μετὰ τῶν συμβόλων ὁρατῶν δίδομέν τε καὶ λαμβάνομεν ὥςπερ πάντες οἱ πιστοὶ [2]) γεγυμνασμένα αἰσθητήρια ἔχοντες.* Et plane contumelia Apostolos affici semper diximus, si quis super eos solam igneam linguam et signum Spiritus consedisse dicat, negans interim vere participes gratiarum Spiritus sancti: quamvis nequaquam sentire potuerimus, igneam linguam esse substantive Spiritum sanctum, sicut neque flatum. Neque dubito, quin idem et vos catholice affirmetis. Quid igitur hic tantum controversiarum? Unde haec iterum volui tibi indicata, ut ostendere possis quibusdam, si ponant contentiones, non deesse viam, qua concordia paretur ecclesiis. Atqui istis anathematismis, exsibilationibus, ac fulminationibus nihil proficitur. Interea tamen Deus [3]) suos non relinquet.

Porro de statu ecclesiae Basiliensis, rumor cuncta nuntiat, tametsi pleraque vanius. Una re gloriamur, discordem Christi praedicationem sublatam [4]), et quod Magistratus totus in hoc est, ut iuxta verbum Christi quam purissime sua plebs vivat, quicquid alii nugentur. Certe non est illis integrum expectare generale illud Concilium, ut interim conniveant ad plurimorum impietatem. Laborant item, ut gymnasium instaurent, literaeque bonae cum pietate plantentur. Vale. Basileae prid. Cal. Aprilis, Anno 1529 [5]).

---

55. No. 613b. (Vol. I. p. 1072.) (mense Maio.)

Iacobo Sturmio.

Hanc epistolam ex autographo, quod in Tabulario Seminarii theologici Argentoratensis asservabatur, primum edidit Dr. theol. *Car. Schmidt,*

---

1) indicando,] sic Scult.; Epist.: iudicando,

2) *πιστοὶ*] sic Epist.; Scult.: *πίστει*

3) Deus] sic Scult.; Epist.: Dominus

4) discordem Christi praedicationem sublatam,] sic Epist.; Scult.: ablatam discordem Christi praedicationem,

5) 1529.] sic recte Scult.; Epist.: 1528. — Melanchthonis responsum d. 8. April. 1529. datum legitur in Corp. Ref. Vol. I. p. 1048—1050. No. 598.

huius Seminarii Professor, in *Christ. Guil. Niedneri* Ephemeridibus inscriptis: Zeitschrift für die historische Theologie. Tom. XVI. (Lipsiae 1846. 8°.) p. 433. Nr. 1.

Clarissimo viro domino Iacobo Sturmio, senatori Argentinensi, patrono suo praecipuo.

S. D. Cum adolescens *Henricus*[1]), et propter valetudinem, et quia literis suorum revocatus est, domum redire constituisset, rogavit me magnopere, ut sibi literas ad te darem, quod speraret meam sibi commendationem apud te profuturam esse. Ego itaque confisus humanitate tua summa, non gravatim gessi morem adolescenti, teque rogo ut pro tua prudentia ac doctrina *Henricum* tueri atque adiuvare velis. Videtur ingenium ad magnarum rerum administrationem idoneum habere, modo ut accedat cultura et studium. Hac in re plurimum tu poteris efficere, ut in hoc curriculo studiorum, in quod magna cum spe ingressus est, retineatur. Idque ut facias, te etiam atque etiam non solum propter adolescentem, sed etiam propter ipsas literas et rempublicam rogo. De me tibi promitto, quantum possum daturum me esse operam, ut intelligas me rationes meas ad tuam voluntatem et consilia accommodaturum esse. Perspexi enim, ea quae geris quaeque sustines, optimo studio suscepisse, non privato affectu ullo. Bene vale. Mense Maio.

Philippus Melanchthon.

---

56. No. 618[b]. (Vol. I. p. 1077.) 20. Jun.

Thomae Blaurero.

Hanc epistolam *Keimius* l. l. (v. supra p. 13.) p. 290. Nr. VII. primum typis describendam curavit.

Optimo viro, domino Thomae Blarero, senatori Constantiensi, amico suo.

Scripsi tibi nuper per quendam Memmingensem *περὶ δείπνου κυριακοῦ*; nunc quoniam illuc mittebat nuntium *Milichius*[2]), qui, quod faustum felixque sit, nuper uxorem duxit, addidi meas literas ac te mea causa etiam rogo, ut pompae nuptiali Milichii

---

1) Schmidtius haec adnotavit: Heinrich Kopp (Copus), von Straßburg, studirte damals zu Wittenberg, und später das Recht zu Bourges; er wurde nachher Stadtadvocat in seiner Vaterstadt, welcher er wesentliche Dienste leistete als Abgesandter an den kaiserlichen Hof.

2) Nota Keimii: Jakob Milichius, Docent der Mathematik und Philosophie in Wittenberg. C. R. 4, 1028.

interesse velis. Soror ei collocata est uxoris doctoris Augustini. De controversia illa περὶ δείπνου κυριακοῦ sic crucior, ut acerbius in vita nihil expertus sim. Omnes fluctus tentationum obruunt me et tamen nihil invenio, cur discedam a sententia Lutheri. Cingliana factio qua conscientia persuadere aliis conetur, quod sibi non persuasit, miror. Et maximum est periculum, incerta conscientia tale dogma spargere, quod universae ecclesiae ac toti imperio horribilem mutationem videatur aliquando allaturum esse. Obsecro te, quantum potes, opprime disputationes illas prophanas istic ea de re. Sed fortasse plura coram. Vale. Witebergae 12. Cal. Jul. 1529.

Φίλιππος.

---

57. No. 618^c. (Vol. I. p. 1077.) 20. Jun.

Stephano Vigilio.

Huius epistolae, quae in Collectione Simleriana (S. Msc. 17) invenitur, apographum per Cl. V. *Voegelinum* accepi. Primum edita est a *Keimio* l. l. p. 291. Nr. VIII., qui eam recte ad a. 1529 refert; *Simlerus* vero eam a. 1526. scriptam esse putat, nam haec ei adnotavit: „Has pro Lutheri dogmate Euch. vehementer scriptas Melanchthonis literas refer ad a. 1526. v. Peuceri Narrat. historic. de Melanchthonis sententia ac controversia Coenae Domini p. 11."

Stephano Vigilio, Augustensi.

S. D. Tuae literae fuerunt mihi gratae, mi Stephane, sed fuissent gratiores, si fuissent longiores. Si ipse huc redieris, dabo operam, ut aliquam conditionem consequaris, qua te sustentes. Et scis multis prospectum esse nostro labore; quare nec tibi defuturi sumus. *Περὶ δείπνου κυριακοῦ* adhortor te propter Christum, ne factioni Cinglianae adsentiare. Ego summa diligentia scribo iam adversus Cinglii dogma ad D. *Ulricum* [1]. Et brevi prodibit meum scriptum [2]. Nihil metuo nec invidiam, nec Helvetiorum violentiam. Didici enim multis maximis tentationibus dogma Cinglii impium et falsum esse, et hanc meam epistolam patiar te ostendere, quibus volueris. Magnum est periculum ab illa factione. Ideo videris, ne te patiaris a veritate et simplici Scripturae sententia abstrahi. Vale foeliciter. XX. Junii a. inc.

Philippus.

Has literas meas quaeso te, ut Ulmam mittas ad Ulricum.

---

1) Ulr. Wieland. Conf. Keimii annotat. ad h. l.

2) Hoc scriptum, quod Mel. a. 1530. Myconio dedicavit, d. 3. Jun. 1530. nondum prodierat, vide quae Keimius huic loco adnotavit.

58. No. 618[4]. (Vol. I. p. 1077.) 20. Jun.

Ulrico Wielando.

Haec epistola primum edita est a *Keimio* l. l. p. 291 sq. Nr. IX.

Venerabili viro domino Ulrico Wielando Ulmensi Phil. Melanchthon salutem dicit.

Saepe flagitasti, ut sententiam meam de coena domini exponerem tibi pluribus verbis. Ego vero nihil magis velim, quam in hoc officii genere tibi ac tui similibus, si queam, gratum facere. Neque enim recuso vel meae fidei rationem reddere, vel cum bonis viris de doctrina christiana conferre. Sed me hactenus multae et variae causae remoratae sunt, quominus voluntati tuae satisfacerem. Neque tamen interea spectator huius fabulae prorsus otiosus fui, ut sunt Epicuraei quidam, qui cum irrideant religionem, has disputationes nihil putant ad se pertinere. Videbam homines non solum ingeniis et doctrina praestantes, sed et auctoritate magna praeditos novum dogma serere. Videbam allegari veteris ecclesiae testimonia contra receptam sententiam. Itaque et studiose audivi illos et inquisivi diligenter hac de re veterum sententias, ut causam cognoscerem totam. Saepe etiam optavi, ut de hac controversia aliquot boni viri inter se colloquerentur. Ea res videbatur mihi magis ad ecclesiae concordiam profutura, quam violentae scriptiones, quae passim sparguntur. Nunc autem quoniam tibi hinc discedenti ita promisi, mitto non tam disputationem, quam meae conscientiae testimonium. Nam in hac sententia, quam in hoc libello (loci veterum scriptorum de coena domini[1])) complexus sum, re diu multumque agitata acquiesco. Nunquam sciens, praesertim de religione, falsa docere in ullius gratiam aut odio cuiusquam velim. Quare de hoc negotio nullius neque gratiam neque odium in consilium adhibui. Non ignoro autem, qualia iudicia subiturus sim. Nam illi, a quibus dissentio, valde secunda studia non tantum populi, sed etiam eruditorum habent. Et ita sunt instructi doctrina et ingeniis, ut quemlibet odiosum reddere possint. Itaque non solum vehementer, sed etiam astute disputant. Multas coniecturas, multa verisimilia colligunt, et in his veterum testimonia, quae callide interpretantur, ut vetus ecclesia magna ex parte videri possit ipsis patrocinari. Cum hoc artificio labefactant dogma publice

1) Hunc Melanchthonis libellum in Corporis Reformatorum Volumine XXIII. p. 731 sqq. recudendum curavi.

receptum, non leviter perturbant conscientias, sed perturbant tantum et ad dubitandum adducunt. Quare cum nihil afferant, quod conscientiae satisfaciat, aequum est, ut ignoscant nobis certiora requirentibus. Te quoque, mi Ulrice, adhortor, ut prudenter administres provinciam tuam nec proponas ecclesiae ullas incertas opiniones. Non potest verbis explicari, quantum sit periculi, dubitante conscientia novum dogma serere, praesertim tale, quod non tantum ecclesiis, sed etiam omnibus rebus publicis in universo imperio horribilem mutationem adferre possit. Haec pericula praemetiri animo debebant isti, qui aliis persuadere conantur, quod sibi nondum persuaserunt. Dum blanditur novitas, dum adplaudit theatrum, nihil dubitant animi. Sed multo aliter in tentatione iudicant, ubi saepe nobis extorquentur etiam illa, quae antea firmissima videbantur. Atque ita velim existimes Cinglii dogma tenta[tum] defendere neminem. Vale feliciter.

---

59. No. 619 b. (Vol. I. p. 1077.) (mense Junio.)

Io. Oecolampadius ad Melanchthonem.

Ad illam Oecolampadii epistolam, d. 31. Mart. 1529. ad Melanchthonem scriptam, quam supra p. 35—37. ex Sculteti Annalibus (addita varietate, quae in lib. III. epistolarum Oecolampadii et Zwinglii invenitur,) recudendam curavimus, Melanchthon d. 8. April. eiusdem anni respondit (vide Corp. Ref. I. p. 1048 sqq. No. 598.). Huic Melanchthonis epistolae opposuit mense Iunio Io. Oecolampadius responsum, quod Melanchthoni in conventu Marpurgensi eodem anno habito ipse tradidit tandemque eam publicam fecit. Hoc legitur in Sculteti Annal. ad annum 1529. Decad. II. p. 243—247, in Io. Oecolampadii et Huld. Zwinglii Epistol. (Basileae 1536. Fol.) lib. III. fol. 132b—134b, et in Io. Oecolampadii Dialogo de Eucharistia separatim edito (Heidelbergae 1572. 8°.) p. 18—31., ex quo libro hic recuditur.

Ioannes Oecolampadius Philippo Melanchthoni S.

Igitur mi Philippe, si fieri omnino nequit, ut solitis inter nos certemus officiis, id quod gratissimum esset: boni consulamus, vel amicitiam illam nostram veterem in tantis temporum nostrorum difficultatibus ac periculis manere salvam, et non labefactatam. Qua in re operam etiam ipse dabo, ut eam, quoad spiritus hos regat artus, inviolatam conservem. Porro haec ipsa, ut ἀνυπόκριτος sit, exigit, me vel respuantur, quae amice admonent, vel intermittantur, quae admonere possent studia. Ea propter amica illa et diserta tua de Coena Dominica Epistola

animo perquam placido a me suscepta est: tametsi minus persuadeat, et intempestive a Typographo tua invulgata sit, maluissem quidem non publicatam. Auspicatiora enim ac magis plausibilia eruditi hactenus e tua officina retulerunt. Veruntamen animadvertens quae hodie secula sint, et quod tuum consilium, facile indignationem exclusi. Sunt enim amicorum etiam delicta, si qua inconsideratius fiant, cum infecta esse nequeant, vel oblivioni danda, vel aequissima interpretatione honestanda: id quod et de te mihi polliceor, si quidem in hac satisfactione quippiam desideraveris, etiamsi in lucem prodierit, cavebo tamen ne prodeat, nisi de tua sententia antea certior reddar. Nunc epistolae tuae respondebo, servans et ipse epistolarem brevitatem: tu iudicio, quo prae aliis singulari praeditus es, attentiore legas. Videris enim hactenus, ut libere dicam, humanum quiddam passus: vel certe, nisi me omnia fallant, nostram de Eucharistia sententiam nondum habuisse perspectam. Non enim abhorrere a nobis oportebat, quasi novum aliquod dogma adferamus: neque enim vel Christi verbum a nobis negligitur, vel Patrum observabiles termini suo moventur loco, quandoquidem a nobis accuratius, quam vulgo putant, sunt lecti. Dabis extortae gloriatiunculae veniam. Sunt etiam maiore fide ac candore tractati, quam ut calliditas, vel γραφοτύραννις studium nostrum existimari debeat. Accipe igitur qua ratione in sacris Scripturis, et in ecclesiasticis scriptoribus versemur: et opinor consilium hoc nostrum minime te damnaturum. Indubitatum autem habe, nos nequaquam nostri ingenii viribus fisos: id quod primum a religiosa Patrum, quantum ad hanc rem pertinet, observantia cognosces. Nam ubi ambiguum et obscurum ac concisum quiddam alicubi scribunt, operae pretium duximus, eorum quae scribunt certam mentem ex apertissimis ipsorummet declarationibus cognoscere. Quid hoc, oro, viae compendio tutius? Utique rectum factum fateris. Ecce passim obvium est, quod Sacramentum corporis Christi ψιλῶς et sine additamento Corpus et sanguinem Christi appellitant. Quoniam autem contentio orta est, quid de eo Sacramento sentiendum, nonne prudenter eo recurrimus, ubi dilucidius et copiosius de hoc tractant? quod et fecimus non sine iudicio ac delectu, obvia quaeque devorantes. Est inter alios applausibilis fidei, et dilucidae enarrationis scriptor, Augustinus Hipponensis, quem super hac causa ut audiremus, dignum indicavimus. Persuasum enim est, si ille clare nobiscum faciat, neutiquam a nobis dissensuros, quotquot illum antecesserunt orthodoxos Doctores, quibus-

cunque tandem verbis sententiam suam explicent. Quomodo enim ille diversum ab Ambrosio, a quo initiatus est, doceret? Quomodo Cypriani, Tertullianique, patriae suae clarissimorum Scriptorum, fidem ignorasset? Quomodo Romanorum, Graecorum, et Aegyptiorum confessioni, quam [1]) alias citare non dedignatur, contradiceret? Ille igitur aurem vellicavit, et ab errore revocavit, cum diligentius expenderem, quid in tertio de Trinitate, quid in lib. 16. de doct. [2]) Christiana, quid in Epistolis ad Bonifacium, Euodium, et Dardanum, quid adversus Faustum et Adimantum rescripserit. In quibus libris omnia palam et dilucide narrat: In eandem locutionum classem coniicit, Hoc est corpus meum, Anima est sanguis, Petra erat Christus. Consuetudinem sui seculi fuisse testatur, Sacramenta rerum signatarum vocabulis appellari solita. Probe monet, ne signa pro rebus accipiamus. Ostendit verba et sacramenta eiusdem efficaciae, atque id genus multa. Unde non parum miror, quo pacto hoc verbum tibi exciderit, quod ad meam causam Doctores torqueam, qui me sibi tam potenter vindicant. Verum quoniam disputationem devitamus uterque, coniectare inde potes, quod nostrum in tractandis ecclesiasticis Doctoribus studium sit. Itaque pluribus nunc molestus esse nolim. Unum quod a te commemoratur praeterire silentio non licet: Veteres, ais, cum de resurrectione disputarent, allegasse Coenam: nec inepte. Significavit enim Christus se resurrecturum esse, quia corporis sui *κοινωνίαν* instituit. Necesse enim erat, ut viveret corpus, quod nobis impartiendum erat. Quod si veteres sensissent, absens corpus repraesentari, quomodo inde probarent resurrectionem? Haec tua argumentatio. Non ignoro, mi Philippe, cum Tertullianum, cum Irenaeum sic ratiocinari solitos: nec miror, sunt enim haec sacramenta, ut Nicenus canon habet, *τῆς ἡμετέρης ἀναστάσεως σύμβολα*. Nonne et Paulus a Baptismo colligit nos complantatos in similitudinem mortis Christi, ut resurrectionis quoque consortes reddamur? Verum ad declarationem exemplo magis familiari utamur. Nonne et sponsa ostenso arrabone coniugem sibi obtigisse probat? nec secus hic agitur. Etenim cum panis qui nobis Corpus Christi repraesentat, naturam habeat alendi corpus, utique et coelestis panis si per fidem manducetur in se habet, ut vivificet ac pascat in vitam aeternam, sicut apud Ioannem testatur ipse de se: Panis autem, quem ego

1) quam] in Epistolarum lib. III. legitur: quas

2) de doct.] Dialogus: doct.

dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Iam corpus Christi, quod manducatur fide, ut pro nobis fractum, et in cruce mortuum, minime nos pasceret, nisi divinum esset, et resurrexisset, nobisque resurrectionis causa fuisset. Quid igitur mirum, si a tanti Sacramenti symbolo nostra resurrectio colligatur? Origenes, ut est allegoriarum dives, etiam abunde probat. Sed haec nunc sufficiant, maxime quia Dominus inquit: Haec est enim voluntas Patris, qui me misit, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem in novissimo die. Tu vero resurrectionem colligis, quia corporis sui in Coena *κοινωνίαν* instituit? Age vero mi Philippe, et hanc Paulinam consideremus clausulam. Spectas enim arbitror ad hoc, quod ait: Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Et quid, oro, hisce verbis voluit? numquid volebat carnaliter carnem Christi a nobis edi communiter, ut consortium resurrectionis adsequamur? Eadem nimirum ratione crassius et de Baptismo ratiocinari liceret. Sed quod huc attinet, nemo pie et sine mendacio panem frangit, nisi qui credit etiam pro se Christi corpus fractum, et se cum caetera multitudine participium tantae dignitatis habere. Quibus Christus suum spiritum non denegavit, et quorum in se carnem gestavit, ut sit sua, eamque pro illis patri in cruce obtulit: ii utique magnam cum Christo societatem habent, etiamsi carnalem illam manducationem ignorent. Illi sunt certe membra corporis eius, de carne eius, et de ossibus eius. Illi sunt pueri, qui communicarunt carni et sanguini eius. Haec est vera nostra communio, quam necessario sequitur resurrectio. Nam cum caro nostra sit eiusdem naturae cum carne Christi, et inhabitet in nobis idem spiritus, qui corpus Christi e mortuis excitavit: utique idem et nostra corpora excitabit, quomodo et alio in loco Paulus ratiocinatur: Si mortui non resurgent, nec Christus resurrexit. Ubi autem haec recipiuntur, et ex confesso sunt, quid facilius et evidentius, quam ex symbolis tanta nobis mysteria annuntiantibus, probare resurrectionem? praesertim si in verba promissionis Christi signis adhibita respicias, et videas ea non tam signis, quam nobis miram dignitatem exhibere. Porro quod nondum tibi satis innotuerit nostra sententia, quomodo adesse Corpus Christi asseramus, hinc liquet, quod subdis haec verba: Etiamsi non resurrexisset Christus, tamen absens corpus et consumptum repraesentari potuit, sicut in fabulis Hector repraesentatur. Non assentimur Philippe: non enim vere panis nobis corpus Christi figurabit, si non pascamur. Non pasceremur autem, si vel destituti spiritu

Christi, vel si corpus Christi mortuum mansisset, et consumptionem esset expertum. Quae enim nobis inde spes resurrectionis? Proinde nullo modo vere corpus per panem significari poterat, nisi divinum esset quod resurgere potuerit, et nobis quoque resurgendi causa esset. Atqui corporalis Christi praesentia: tam non attinet ad nostram resurrectionem roborandam, quam non opus erat Centurioni ad curandum puerum suum. Idcirco, mi Philippe, si quid voles de hac re disserere, vide et ipse quam periculosam provinciam accedas. Mihi certissimum est, veteres orthodoxos pro nobis stare, quamvis ab hominibus non pondeamus, tametsi prophetantibus illis non minus quam viventibus, aures libentes arrigamus. Omnibus tamen modis sanctius est nobis verbum Dei: de quo deinceps, quanta eius religione teneamur. Videmur tibi a proprietate verborum discedere, et conscientiis male consulere: sed immerito male audimus. Non enim qui genuinam verborum mentem servamus, proprietatem relinquimus, sed multo magis astruimus. Nonne fideliter agimus, si intellectum nostrum in obsequium Christi abducimus? Laudabis scio. Iam quod est verbum fidei? nonne fateri Christum verum hominem esse Dominum, et resurrexisse a mortuis? Igitur adulterinum est, quicquid huic confessioni derogat. Ponere autem corpus Christi *ἀσχημάτιστον καὶ ἀπερίγραπτον, καὶ ἄτοπον, καὶ πολύτοπον*, quid aliud est, quam imaginarium et non verum asserere Christum? et si talem in pane invenimus, quomodo analogiae fidei consentaneum erit, carnem Christi sub pane praesentem carnaliter manducari? Consentaneum ergo, nihil proprietati verborum decedere, si tropus admittatur: ne quippiam statuatur humanitati Christi adversum, id quod dogma vestrum minatur. Tropus sane custoditus, proprietatem verbi, quod Christus voluit, explicat: neglectus autem longe aliud, quam loqui oportebat, edocet, facietque ut cum articulis fidei strenue pugnetur, nullaeque scripturae, imo ne iota unum astipulentur, sed simul contradicat, quicquid Christum pie nobis praedicat. Hic tu refugies, et indignam Christiano opinionem dices, Christum aliquam coeli partem occupasse, tanquam in carcere sedentem. Bene dicis: Nemo enim Christianus sic loquitur. Coeli quippe locum Christi corpori tribuentes, non carcerem, sed ipso dignissimum habitaculum damus: et nihilominus aliquem locum coeli occupat, qualiscunque tandem ille sit, propter veri corporis modum, ut Augustinus ait. Sed et Lucas Actorum primo, et Paulus ad Thessalonicenses et Philippenses convincunt Christum alicubi localiter, ut sic dicam, contineri, idque in coelis. Et praescribit

hoc fidei regula, a qua quicquid dissidet, iure nobis abominatio est et anathema. Deperiret alioqui tota nostrae resurrectionis ascensionisque spes, si veritatem humanae carnis sic prodamus. Videris igitur, quibus nitare, et quos sequaris. Nos enim non rationis fiducia, neque geometriae certitudo, sed fidei (quae veritatem corporis Christi asserit) religio, ne secus sentiamus, obstringit. Fides non patitur forma, specie, dimensionibus, quantitate, partium situ, et similibus, verum et nostro consubstantiale corpus omnino exui: sive de his geometrae doceant, sive non doceant. Christus qui discipulis manus et digitos ostendit, hanc suspicionem evellit. Proinde mi Philippe, ad scripturas ipse non accedo, nisi fide primum armatus: nihil superstruo, nisi hoc fundamentum praeiecerim, nullam vocem accipio, quae Iesum neget vel Dei vel hominis filium, et sic in obsequio Christi mancipium. Attendo non solum, quid sonent verba, sed quid pastor ille optimus suis ovibus dicat, atque id genuinam verborum proprietatem et simplicitatem iudico. Quod tibi quoque necesse est ut probetur. Nam alioqui non video, quid errorum scripturis non confirmetur, quomodo haeretici unquam confutentur, quid sani proferri queat, quandonam conscientias consolaturi sumus? Hoc sane est τὸ ἐπίπεμπτον, quod in sanctissima oblatione adiiciendum. Haec erit in symbolis theologia sincerior, non si panem fecerimus substantive corpus Christi, vel sub pane corpus dicamus, vel corpus etiam ab impiis manducari dicamus: sed si ex sensibilibus insensibilia et invisibilia cognoscamus, et externis relictis, ad spiritualia proficiamus. Verum Deum et verum hominem Christum fatemur: sed corpori illius alium locum assignamus, cui vos innumera loca, quod veritati corporum non congruit. Aut si corpus hic localiter contineri inficias itis, quid volunt contentiones vestrae, quibus absurda refellitis, et multa loca uni corpori vindicatis, tot miranda confirmatis, adorationem requiritis, mireque, ut nodum illum solvatis, torquemini? Unde autem habes quod dicis, contendere nos corpus Christi tanquam in Tragoedia repraesentari? Causam certe nostram multo aliter proponimus. Iudae et infidelibus hoc eveniat, qui veritatem non amant Nobis autem et fidelibus, per spiritum Christi haeredibus, ampliora et promissa sunt, et exhibentur. Multum sane inter Sacramentorum veritatem, et scenicam vanitatem interest. Videmus in theatris histriones, puellis arrabones coniugii tradere, et coniugii iura non constare. Videmus in nuptiis sponsum, sponsam anulo subarrare, et nemo separat, quos Deus coniunxit. Ridebimusne spon-

sam, et eam theatricae[1]) saltatriculae comparabimus? dicentes, Annulum habes, signum coniugii habes, sponsum non habes: nisi in annulo corporaliter sponsum habere[2]) dicas. Quas tu haberes gratias ei, qui te sola aqua tinctum, et ab invisibili gratia alienum diceret? licet aquam non assereres esse spiritum sanctum, vel gratiam eius, et negares eam, utpote ratione non praeditam, gratiae spiritus capacem? Possisne maiori contumelia notari? Sic et nobiscum, ubi Sacramentorum honos illaesus manet, ibi fictitiae repraesentationes non sunt: ubi in veritatis ac sinceritatis azymo aguntur omnia, ibi non sola figura quaeritur, sed sanctissimi foederis, et indubitata[3]) exhibendorum promissorum contestatio fit, habet fides suam possessionem, habet hypostasin, habet gustum per spiritum. Neque enim humiliter ad panem vel vinum respicitur, sed exaltantur interim animi per fidem. Multum abest a scenica vanitate, qui Christum ubique agnoscit ob immensam eius maiestatem, qui illum in corde ut in templo experitur propicium, qui et in coelis gloriosa carne regnantem, magna societatis eius olim potiendae fiducia, celebrat, eaque carne vegetatur ac pascitur. Quomodo talis maxime in Coena ἄχριστος reputabitur? Etiam nos non reiicimus promissionem, Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi: fatemur non defore Christum, duobus in suo nomine congregatis. Gaudemus enim esse inhabitatorem cordium tanta felicitate, ut et conscientiae quietae, vivaces ac beatae sint, et ultra nec esuriant, nec sitiant. Quid igitur periculi denuntiatur? quae conscientiarum terriculamenta supersunt, ubi nullus accusator auditur, nulla condemnatio timetur, omnia adversa manca sunt, omnis tentatio cedit? Quis mortuus Hector tantum valet in Tragoedia? Augustiora igitur et diviniora sunt nostra. Demum in hoc potissimum haeres: quum Christus unus sit Deus et homo, et humanitatem a divinitate avellere neutiquam liceat, convinci, ut etiam in Coena corpus Christi sit praesens. Hic mi Philippe plus periculi. Circumspecte enim de naturis in Christo loquendum, ne pro una persona, unam naturam statuamus, et dum humanitati plus quam par est tribuimus, divinitatem ac humanitatem foedemus, facientes ex divinitate naturam, quae incrementum recipiat, et humano corpori veram corporis substantiam adimamus, si sit ἀσχημάτιστον. Aliter de verbi, aliter de

1) theatricae] in Dialogo typogr. errore legitur: Beatricae.
2) habere] Epist.: haberi.
3) indubitata] Epist.: indubitato.

corporis natura loqui convenit. Verbum proprio loco non tenetur, et supra omnem locum est. Si ita de corpore loquaris, corpus nequaquam erit. Inhabitat verbum suum templum, et totum inhabitat: sed ideo non est angustius, et nihilominus etiam totum est in coelo. Prodigiose in hunc modum de corpore loqueremur. Quum Lazarus[1]) moreretur, non erat illi corpus vel humanitas Christi praesens, et nihilominus non erat separata a divinitate, quae ubique praesens, de qua re Fulgentius ad Thrasib. lib. 2. copiosius: et Augustinus ad Dardanum, multisque aliis in locis. Sunt autem et alia, quae me movent certissimis plerophoriis, ita ut (quantum ad hanc rem) coram Deo, extra periculum me esse confidam, utcunque mundus abhorreat. Proinde tu, ut in aliis prudenter agis, in hanc arenam non nisi optime instructus progredere. Periculosiorem enim tu mea oppugnando, quam ego defendendo, provinciam subiturus es. Consultius item et mihi videretur, si brevi aliquot viri super hac re in colloquium veniant, id quod optas, et ego in votis semper habui. Sed orandus Deus, ut citra contendendi libidinem et fastum congrediantur, ne indigni divina veritate, maiore dissidio laborare incipiant. Infeliciter certe libellis digladiatum est, qui vel innocentissimi a maledicis pessime excepti sunt. Quod si maior expectanda calamitas, et mutuis sic concidemus vulneribus, nihil inde futurum video, quam ut exarmatos fidei hostes, in nostrum excidium, iuvemus. Sed ut concludam, non est quod tantopere nostra displiceant, nulla est *καινοτομία*, nulla vel scripturae sacrae, vel fide dignorum patrum depravatio: nihil iacturae facimus, Christum non divellimus. Carne eius spiritualiter pascimur, et *μυστικῶς* manducamus: tantum elemento non plus tribuimus, quam par est. Habes itaque mi Philippe Oecolampadium, quamvis dogmate dissentientem a te, semper tamen ac constanter optima tibi precantem. Vale.

---

60. No. 620 b. (Vol. I. p. 1079.) (ineunte Julio.)

Philippus Landgravius Hassiae ad Lutherum et Melanchthonem.

Haec epistola edita est a Ch. Gotthold Neudeckero in libro: Urkunden aus der Reformationszeit. (Cassel 1836. 8°.) p. 95 sq. No. 28. — Lutheri et Melanchthonis responsum d. 8. Jul. datum legitur in Corp. Ref. Vol. I. p. 1080 sq. No. 621.

---

1) Lazarus] in Dialogo deest.

An Lutherum und Philipp Melanchthon.

Philipps von gots gnaden Landgrauen zu Hessen, Grafen zu Catzenelnbogen 2c.

Gnad und Fried von Got durch Christum unsern Herrn und erleuchtung des heiligen Geistes zu waarem verstande und waarer bestendigkeit Amen.

Hochgelarter Besunder lieber. Wir haben euer beider insonderheit antwort auff unser neher schreiben, Das wir zu euch mit eignen handen Belangend ein freuntlich undisputirlich umherrede mit dem Oecolampadio und etzlicher seines Anhangs, Des zwispalts In Unser Christlichen Religion Fleisch und Bluts unseres Herren und seligmachers Ihesu Christi halber: in welchen ir uns zu dem vermelten tage uff Michaelis zu Marburgk einzukommen und solch freuntlich gesprach vorzunemen und zu schreiben: empfangen alles was inhalts noch der lenge verlesen: Und weil Wir der trostlichen unzwifenlichen Zuuersicht sein: Gefalle solch umherrede, wo Got darzu gnade verleihe: Darumb wir Inen herzlich mit Ernst bitten wollen: zu einer gutlichen vergleichung und allen guten geraichen: Auch das Jegenteil Uns zu solchem tage mit Gots gnediger verleihung unbeschwert zu erscheinen zugeschrieben hatt, So begeren wir an euch abermals ganz gutlich mit gemach, ir wollet euch hierin gutwillig erzeigen, zu solchem tage erscheinen und uff den tagk Michaelis bei Unns zu Marburgk gewißlich ankommen, Volgendes Donnerstags solch freuntlich und gutlich undisputirlich umherrede, darbei Wir, wil Got, eigner person sein wollen, im Namen Gottes anzufahen unnd das nicht abschlagen noch verhindern, damit deßhalb kein ergernis erstee. An dem thut Ir on Zweiffel allen schwachen gewissen zu trost und ein Christlich gut Wergk, das wir verhoffen zu guten uns solle gereichen. Nachdem aber wir in diesen sachen kein sonder an sich williche oder vertregliche mittel (wie Ir als die woluerstendigen wol konnt bedenken) vorschlagen konnen, So ist unser gnediges gestimmen, Ir wollt selbst uff wege und mittel die zu vergleichung und vereynigung solchs Zwispalts gelangen mugen, trachten. Das wollen wir euch nicht verhalten und sind auch zu allem gnedigen willen geneigt.

---

61. No. 640 b. (Vol. I. p. 1107.) 12. Oct.

Mart. Lutherus ad Io. Agricolam cum Melanchthonis postscripto.

Hanc epistolam cum postscripto legas in de Wettii collectione Tom. III. p. 513 sq. No. 1156.

---

62. No. 642 b. (Vol. I. p. 1109.) 12. Nov.

Senatus Coburgensis ad Lutherum et Melanchthonem.

Haec epistola, in qua Senatus Coburg. a Luthero et Melanchthone petit, ut magistrum scholae idoneum mittant, qui magistri Philippi Eber

bachii d. 18. Oct. ibi mortui munus suscipiat, legitur in Christiani Schlegelii libro: Initia reformationis Coburgensis in vita Ioannis Langeri, primi Superintendentis ac Pastoris huius urbis evangelici descripta. etc. (Gothae, 1717. 4°.) p. 86. — Lutheri et Melanchthonis responsum invenitur in de Wettii collectione Tom. IV. p. 205 sq. No. 1336., ubi autem dies 25. Dec. anni 1530. (pro 1529.) adscriptus est, conf. Burkhardt l. l. p. 167. not. **).

Den Erwirdigen und Hochgelahrten, Herrn *Martino* Luther, ***Doctori***, und ***Philippo Melanchthoni***, ***Magistro***, zu Wittenberg, unsern sonderlichen Herren und Freunden.

Unsere freundliche Dienste, und was wir Liebes und Gutes vermügen, allzeit zuvor, Ehrwürdiger und Hochgelahrte, gönstige liebe Herren und Freundte, der wohlgelehrt *Magister*, ***Philippus*** Eberbach etwan unser Schulmeister, hat den 18. Tag Octobr. seinen Abschied von dieser Welt genommen, GOtt der almechtig woll seiner Seelen gnedig und barmhertzig sein, und weil dann zu Aufferziehung unsir Jugent, der, Gott Lob, eine gute Zal ist, die hohe Notturfft erfordert, ein andern Schulmeister zu haben, Und ytzo keinen, der solchen Standt vorsein mocht, bei uns wissen: Ist derwegen an euch unser gantz fleißige Bitt, Ir wollet euch ümb unsern Willen, und bemeldter Jugent zu gut, so viel bemühen, und nach einen gelehrten Mann, der zu Unterweisung der Jugent geschickt, wie ir zu thun wisst, mit Fleiß trachten, und uns denselben, so förderlich es gesin mag, zuschicken, Und euch solches unsers Ansinnens, als zu den wir uns alles gutes vertrösten, nit entgegen seyn lassen, das um euch und euer itzlichen sonderlich wollen wir unsirs Vermügens ingedenck sein: Damit ir aber auch einem habt anzuzeigen, was sein Besoldung und anders ist, so hat er sein Wonung auf der Schul, dye Cost in den Pfarhauß, oder, als wirs nennen, auf der Probstei, und sein Belonung ist funffzig Gulden; davon muß er die Schul Winters-Zeit mit Holtz versorgen; so sind zwey Gesellen, als ***Bacalareus*** und ***Cantor***, so ***Magister Philip*** seliger bey sich gehabt, vorhanden, mit dem mag ers eine Zeitlang versuchen, haben wir euch im besten auch nicht pergen wollen, und bitten ümb gönstige Antwort durch dissen Boten. ***Datum*** Coburg unter unsir Stat *Secret*, Freytags nach Martini *Anno* XXIX.

ANNO 1530.

63. No. 676 b. (Vol. II. p. 33.) 28. Mart.

Andreae Cricio.

Haec epistola a Dr. *Kętrzyński* in Commentariis menstruis, qui a Dr. R. Reicke Regiomonti Pruss. eduntur, Altpreußische Monatsschrift,

Tom. VII. fasc. 8. a. 1871. primum divulgata est cum praefatione, in qua de *Andreae Cricii* (proprie *Krzycki*) vita scriptisque disserit. Autographum huius epistolae Curnicii, Posnaniae oppido, asservatur.

Philipus Melancton Andree Cricio S. P. D.

Exposuit mihi mandata Rme. P. tue martinus iuuenis singulari ingenij suauitate preditus. Ego vero tametsi intelligo que sit ingenij et doctrine in me mediocritas: tamen hoc tuo de me iudicio magnopere delector. Nihil enim in omni vita accidere mihi potest honorificentius quam talia de me bonorum virorum testimonia. ac nemo mihi plus tribuit quam Rma. p. tua quia istuc invitas et consuetudine tua frui iubes. quaquidem mihi nihil esset optatius: Sed hoc tempore hereo hic alligatus multis magnis causis. ex quibus si quando expedire me potero, querendus erit aliquis Mecenas qui ocium suppeditet Ad ea studia tractanda, atque illustranda, que in hijs occupationibus non vacat perinde calere, ut vellem. nihil vero malim quam contingere talem portum mee senecte ac studijs meis qualem mihi ostendis. De alijs rebus omnibus scribam ad te copiose alio tempore. Nunc enim domo aberam. cum hec scribebam obrutus negocijs molestissimis. Quare Rma. p. tua ignoscet breuitati literarum mearum. Valeat R. p. tua postridie dominice letare. 1530.

---

64. No. 677 b. (Vol. II. p. 34.) 22. April.

Martinus Lutherus ad Philippum Melanchthonem.

Hanc epistolam vide in de Wettii collectione Tom. IV. p. 2 sq. No. 1200.

---

65. No. 678 b. (Vol. II. p. 38.) 29. April.

Idem ad eundem.

Haec quoque epistola legatur in eadem collectione Tom. IV. p. 10. No. 1207.

---

66. No. 687 b. (Vol. II. p. 47.) 12. Maii.

Idem ad eundem.

Hanc epistolam, qua Lutherus respondet Melanchthonis litteris d. 4. Maii Augustae scriptis (vid. Corp. Ref. II. p. 38—40. No. 679.), legas in eadem collectione Tom. IV. p. 14—16. No. 1211.

67. No. 687 c. (Vol. II. p. 47.) 15. Maii.

Idem ad eundem.

Hanc epistolam vide in eadem de Wettii collectione Tom. IV. p. 16 sq. No. 1212.

---

68. No. 708 b. (Vol. II. p. 78.) 31. Maii.

Ioannis, Electoris et Ducis Saxoniae, responsio exhibita Comitibus a Nassau et Nevenar (alias Nuenar), missis Caesaris, ad mandata Caesareae Maiestatis Augustae.

(Manu Phil. Melanchthonis exarata.)

Autographum Melanchthonis, ex quo hoc responsum h. l. edo, multis lituris (eius more) plenum, in eodem Codice Guelferbytano, qui primo loco priorem Apologiam Confessionis Augustanae in Corp. Ref. Vol. XXVII. p. 275 sqq. a me editam continet, secundo loco fol. 1a—15b legitur (cui Archivarius quidam adscripsit: „Nu: XXXI."). Dav. Chytraeus in sua lat. Historia Augustanae Confessionis (Francofurti ad M. 1578. 4°.) p. 37—42. et Georg. Coelestinus in sua Historia Comitiorum a. 1530. Augustae celebratorum (Francofordiae cis Viadrum 1577. Fol.) Tom. I. fol. 50b—53b, nonnullis mutatis, hoc typis describendum curarunt. Germanice legitur in Dav. Chytraei german. Historia der Augspurgischen Confession (Rostock 1577. 4°.) fol. 32a—38a. et in Ioh. Ioach. Muelleri Historie von der Evangelischen Ständte Protestation und Apellation (Jena 1705. 4°.) p. 506—517., praemissa Caesaris instructione (p. 502—506.), cui a Ioanne Electore hoc Melanchthonis scripto respondetur. Utrumque germanice exhibetur etiam in Car. Ed. Foerstemanni Urkundenbuch zu der Geschichte des Reichstages zu Augsburg im J. 1530. Tom. I. (Halle 1833. 8°.) p. 220—224. et p. 224—235.

Instructio pro Comitibus a Nassau et Nuenar ad Caesaream Maiestatem.

Illustris et generose, propinqui carissimi, et fideles.

Mandata C. M. domini nostri clementissimi, quae vos iuxta instructionem exhibitam nobis pertulistis ad nos dei gratia, Iohannem ducem Saxoniae, Electorem, accepimus cum debita reverentia, et obedientia, quemadmodum decebat, nomine Imperatoris et domini nostri perlata accipere, et mandata illa, et quae praeterea clementer nobis C. M. significavit, sic intelleximus, quod C. M. acceperit responsum non satisfecisse animo nostro, quod C. M. vobis et nostro consiliario Iohanni de Doltzik superioribus diebus dedit, quodque id vehementer miretur Caesarea M. propter certas causas, quae in Instructione recensentur, videlicet quod non putasset C. M. molestum nobis fore, quod Caes. M.,

cum alioqui clementissime respondisset, non exposuerit mentem suam, sed distulerit ad petita respondere: quia si expendissemus responsionem, potuisse nos ex ea colligere, quod ipsa etiam C. M. nihil unquam magis habuerit in votis, quam ut prae omnibus gloria dei illustretur, cognoscutur et summo honore afficiatur. Sed quia hoc praecipuum negotium tam grave, tamque difficile erat, non potuerit de eo procul agi per scripta, aut legatos, quodque C. M. bona in spe sit, rem deo volente coram convenire et componi posse, postquam obtulimus nos [1]) ad ea quae digna sunt christiano principe.

Itaque significat C. M., si nos, aut, si nos valetudine impediremur, filius noster, aut ambo, iter susciperemus ad C. M. et ad Monacum expectaremus, dum sciremus, quod C. M. fieri vellet: gratum C. M. adventum nostrum fore. Quodque in eo colloquio possit res placide componi, si venissemus ad C. M. et foedera nulla haberemus, et nos, quemadmodum decet Electorem, et filius noster, quemadmodum principem decet, nos gereremus.

Quod etiam alios articulos praeterea C. M. posset audire deo volente, et de ipsis deliberare, atque agere. Sive autem videretur opportunum venire, sive secus videretur, petit etiam C. M. ut deinceps, donec C. M. veniret Augustam et de his negotiis bonam ordinationem faceret, nostri concionatores taceant, ut minus sit disputationum.

Ad extremum addita est imperatoria petitio, ut quidquid ad haec omnia et singula responsum fuerit, propere et diligenter rursus C. M. ut sciat, quid sit expectandum, significetis.

Initio agimus gratias C. M. domino nostro clementissimo, cum debita reverentia et obedientia propter [2]) significationem clementiae summae erga nos, et praecipue propterea, quod Maiestati suae gratum fuit, quod nos obedienter obtulimus ad ea quae christiano principe digna sunt, deinde quod C. M. non gravatur nos coram ad M. S. invitare, et singulari clementia significat suam M. nobiscum aut cum filio nostro de praecipuis negotiis, sed certa conditione, sicut instructio commemorat, per sese velle colloqui.

Nos vero maxime cupiebamus ipsi cum filio nostro, pro nostro officio, quo magis conspici nostra erga C. M. reverentia atque obedientia posset, ad C. M. statim initio proficisci, postquam rescivimus C. M. venisse ad Insbruk, quemadmodum et alii qui-

1) obtulimus nos] Chytraeus: nos obtulimus; autographum habet: nos obtulimus nos.

2) propter] sic Chytraeus; in autographo deest.

dam principes fecerunt, ac mandata dedimus ea de re nostris, ut in aula C. M. quantum commode fieri posset, sciscitarentur, utrum adventus noster C. M. futurus videretur non ingratus. Verum intelleximus, ob hanc causam non videri consultum, ut illo veniremus, quod hic congressus offensurus esset alios principes ac populos, et suspicionem parituros, et moram quandam C. M. properanti ad conventum indictum, allaturus.

Deinde C. M. significavit nobis secundo per quosdam M. suae consiliarios, quod M. sua petat, ut non gravatim hic Augustae M. suam expectaremus, quia Ma. sua decrevisset iter maturare, et brevi huc venire. Huic petitioni obedienter hactenus paruimus, toto iam mense hic desidentes, postquam venimus huc ad ostendendam fidem atque obedientiam nostram [1]) erga C. M. evocati binis literis Imperatoriis, et severe scriptis.

Nunc rursus significata nobis optima voluntate cupiebamus ad M. suam statim proficisci cognitis illis mandatis, quae sunt in Instructione perscripta, ut apud C. M. nos coram purgaremus, et C. M. declararemus perpetuam fidem atque obedientiam nostram erga M. S. et animum dignum christiano et catholico principe. Sed ex Instructione intelligimus C. M. voluntatem esse, ut vos duo, Domini et Comites, prius statim significetis M. suae, quid ad omnia et singula nobis proposita responderimus. Quare, ut hac in re quoque C. M. et voluntati Instructionis mos gereretur, duximus Caes. M. domino nostro clementiss. et vobis loco M. suae, cum debita reverentia et obedientia haec exponere.

Primum de eo, quod videmur non satis aequo animo accepisse responsum C. M. scitis vos, Comes de Newenar, quod, postquam a reditu vestro a C. M. una cum consiliario nostro Iohanne Doltzik., nobis exposuistis, et quid egeritis apud C. M., et quid C. M. responderit, nos reverenter atque obedienter Caes. M. gratias egisse, propterea quod singulari clementia nostra negotia audivit, et respondit de collatione feudi, et negotium Ducatus Saxoniae. Et quanquam tunc commemoravimus causas, quare speraverimus futurum, ut de aliis articulis etiam clementer et plane responderetur, quemadmodum vos fortasse Comiti Guilelmo de Nassau ad Insbruk scripsistis, tamen hoc affirmare vere possumus, eam commemorationem summa cum reverentia erga C. M. factam esse, ut intelligi possit magnitudo necessitatis nostrae, et nos plurimum semper spei atque praesidii collocare in bonitate ac

---

1) ad ostendendam — nostram] sic Chytr.; in autogr. legitur: ad ostendendum et fidem atque obedientiam *(quae vox litura deleta est)* nostram.

benignitate C. M. Esset enim acerbum nobis, ulla in re intempestiva commemoratione offendere voluntatem C. M. Quod absque malevolis nostris fuisset, qui suae parti magis favent, et asperius de nobis loquuntur, facile credimus ac nobis certo persuademus C. M. de illa nostrae necessitatis commemoratione benignius responsuram fuisse, quia constat, quam vetus sit coniunctio atque amicitia nobilium familiarum Austriacae atque Saxonicae, quemadmodum honorifice testatur instructio. Eamque ob causam semper in omnibus nostris iustis causis plurimum confisi sumus clementia C. M. et adhuc confidimus, praesertim cum C. M. saepe significaverit nobis clementiam suam erga nos.

Quod vero malevoli nostri conati sunt commovere C. M. mentione Edicti, id accidit praeter opinionem nostram, quia malevoli nostri non poterunt ostendere, quod sex Electores, ideoque in his cariss. Frater noster Dux Fridericus B. M. Edictum illud cum aliis principibus ac populis approbaverint, et C. M. clementer meminit, et meminerunt alii Electores, quae fuerit voluntas, sententia et consilium Fratris nostri, cum de illo Edicto faciendo deliberaretur, neque difficile esset ostendere, si opus esset.

* Ad haec, Caes. M. clementer consideret et expendat haec negotia, quorum in Edicto mentio est, ad religionem, et privatam cuiusque conscientiam pertinere, in quibus reprehendi non potest, quod ab aliis Electoribus, religione coacti, dissenserimus. Nam in aliis rebus omnibus, quae ad Imperium tuendum et ad C. M. colendam pertinent, confidimus et confirmare possumus Cariss. Fratrem nostrum B. M. et nos, quod non dicimus gloriandi causa, summa voluntate, studio, opibus, opera, pro nostris viribus, ita serviisse utilitati Imperii, ut, quod dicimus non extenuantes aliorum egregia merita, nulli in hoc genere officii cedere debeamus.

Facile autem intelligi potest non licuisse Fratri nostro et nobis, deo et verbo dei, sine quo salvus fieri nemo potest, adversari. Neque ignorant isti, qui nos laedere cupiunt, quomodo Edictum Wormatiense in omnibus postea conventibus visum sit offecturum tranquillitati Germaniae, quodque iudicatum sit omnino opus esse christiana synodo, et aliquoties in hanc sententiam summo consensu ab omnibus Electoribus principibus et populis decreta facta sunt. Quare non oportuit malevolos nostros nunc Edictum exacerbare, quod antea ipsi quoque mitigaverunt.

Quod si de hac tota causa, ex quibus initiis atque occasionibus orta sit, disputandum esset, possemus, deo adiuvante, cum debita reverentia vere et solide ita, ut nemo redarguere possit,

recitare, quam impios et manifestos abusus in Ecclesiis quidam docuerint, quorum pertinax et violenta defensio praebuit occasionem huic dissidio Quare nostris imputare non debebant.

Ad haec speramus fore, deo volente, in hoc conventu, ut C. M. audiat, qualis sit doctrina, quae in nostra ditione docetur, cum non minus nobis licebit[1]) nostram opinionem, quam aliis principibus et populis licebit suas opiniones proponere, iuxta Edicti verba, quo conventus indicitur, quemadmodum et obedire C. M. pro nostro officio parati sumus.

Neque existimassemus malevolos nostros nunc Edicti mentionem facturos fuisse, etiam si quid in nostra parte erratum esset, quod tamen ostendi non poterit, quia in literis, quibus indicitur conventus, C. M. significat, se in hoc conventu velle agere de hoc dissidio componendo, et quo id fieri melius et salubrius possit, petit discordias omitti, simultates deponi, praeterita errata Christo salvatori nostro condonari, et diligentiam adhiberi, ut unius cuiusque opinio audiatur, cognoscatur et expendatur, et componi controversias ac redigi ad unam christianam veritatem, et emendentur omnia, quae in utraque parte falso exposita aut tractata sunt, quemadmodum C. M. clementer meminit verba literarum, et propter has clementiss. literas Caes. M. multo minus decuit istos causam neque auditam, neque cognitam condemnare tanquam erroneam, ut nobis apud C. M. conflarent odium.

Quod vero apud C. M. multo infestius accusant nos malevoli, quod cum aliis, qui in simili causa Caesareae M. non obediant, contra Edictum C. M. societatem et foedera fecerimus, et illos adhuc tanquam caput sustentemus. Ad haec respondere summa et inevitabili necessitate cogimur, quod nemo in toto Imperio vere hoc dicere aut ostendere posset apud C. M., quod aut Frater noster B. M. aut nos fiducia ullius foederis amplexi simus Evangelium. Consentaneum est, et alios propter voluntatem dei amplexos esse hanc doctrinam, non propter fiduciam ullius foederis.

Quia tamen hoc nomine accusant nos apud C. M. malevoli, ut ex instructione intelligi potest, rogamus cum debita reverentia et obedientia, ut Caes. M. velit hic clementer audire defensionem nostram et eorum, qui una accusantur, si qui in praesentia accusabunt nos[2]), ubi Caes. M. ad illorum accusationem, audita nostra

1) licebit] sic Chytr.; in autogr. legitur: habet

2) hic clementer audire — accusabunt nos,] haec Spalatinus in autographo in margine adscripsit, deletis Melanchthonis verbis: „nos una cum aliis qui simul accusantur praesentibus malevolis hic clementer audire,"

defensione, cognoscet nos falsissime accusari, quod contra M. S. foedera fecerimus.

Nam quod cum quibusdam vicinis coniunximus nos, id neque contra C. M., neque in praeiudicium aliorum[1]) factum est, sed ad naturalem et iustam defensionem singulorum contra iniustam vim, si qua de facto inferretur contra ius his periculosis et difficilibus temporibus absente C. M.

Ideo non oportuit adversarios[2]) apud C. M. hanc societatem aliter interpretari, quam facta est, sed causas et occasiones eius rei considerare, et meminisse, quam multae atroces minae saepe in Imperio auditae sint, quae non iniuste moverunt nos, ut nos cum amicis nostris non illicite coniungeremus, tantum ad defensionem, ne qua vis susciperetur, antequam ad C. M. res referri posset[3]). Et si protulerint apud C. M. adversarii[4]) nostri foedera prius[5]) facta, quam nos societatem cum amicis nostris fecimus, neque nos gravabimur nostra proferre, ut C. M. intelligere possit, utri primum coeperint et utri praebuerint causam quaerendi socios.

De concionibus hic omittendis deprecamur C. M. cum summa reverentia, ne cogat nos eas prohibere, quin bona conscientia prohibere non possumus. Num concionatores nostri nihil docent, nisi simplex et manifestum Evangelium, neque permissuri essemus eos alienas et inutiles disputationes admiscere. Quare difficillimum nobis esset, prohibere verbum dei, et manifestam veritatem doceri. Praeterea cum omnes homines plurima habeant pericula, adversus quae muniri non possunt nisi verbo dei, periculosum esset et nobis praesertim in hac aetate et valetudine carere verbo dei. Quare si deum timemus, et verbum dei magni facimus, rogamus cum debita reverentia, ne conciones prohibeantur.

Nostri concionatores etiam quotidie post conciones sedulo hortantur populum ad orandum deum pro felici statu totius christianae reipublicae et praecipue ut deus det Caes. M. tanquam potestati divinitus constitutae et principibus Electoribus et aliis

1) neque in praeiudicium aliorum] sic Spalatinus in margine autographi scripsit, postquam deleverat Melanchthonis verba: „neque contra alios."

2) adversarios] hanc vocem Spalatinus scripsit, deleta Melanchthonis voce: „malevolos."

3) ne qua vis — posset] Melanchthon his verbis in margine adnotavit: „hic accipe verba ex Teutonico m. k. m."

4) adversarii] sic Spalatinus in margine scripsit; Melanchthon scripserat: „malevoli", quae vox deleta est.

5) prius] sic Spalatinus, deletis vocibus „vel ante", quas Melanchthon scripserat.

principibus et populis Imperii gratiam his periculosis temporibus, sic tractandi omnia Ecclesiastica et civilia negotia in hoc conventu, ut gloria dei amplificetur, et pax et concordia constituatur.

Fideliter etiam docent populum contra errores et impia dogmata in hac urbe de sacramentis sparsa. Quare grave esset et damnosum, prohibere conciones, cum aliquos de populo appareat diligentius institutos in his concionibus ad sanitatem redire. Nec plus disputationum ex his concionibus oriri potest, quia nihil novi huc affertur. Multis iam annis haec doctrina hic et alias agitata est.

Et difficile esset ideo prohibere manifestum Evangelium, quia aliqui offendi videantur, cum illi sine culpa docentium offenduntur, et plerumque tales ne audiunt quidem. Hactenus in duobus conventibus Spirensibus docuerunt publice nostri concionatores: Nihil ortum est mali, nullus tumultus excitatus est, nemo visus est, qui factus esset deterior. Nulla vox cuiusquam concionatoris audita est, vel seditiosa, vel contumeliosa, vel docens aliquid, quod non esset catholicum.

Et Caes. M. clementer velit considerare, quanto plus scandali allatura res esset, si conciones prohiberentur. Postquam enim Edictum de hoc conventu pie et haud dubie maximo consilio scriptum ubique in totum mundum evulgatum est, quod uniuscuiusque opinio et sententia hic audiri et controversiae componi et redigi ad unam christianam veritatem debeant: si autem nunc prohibeantur conciones, multorum conscientiae perturbabuntur, et ita accipietur res, quasi C. M. velit hanc doctrinam neque cognitam, neque iudicatam opprimere. Non dubitamus autem, quin C. M. nolit hanc suspicionem de M. S. spargi, quod harum literarum autoritatem in dubium revocet.

Et si nos, pro nostro officio et fide, qua obligati sumus ad honorem C. M. amplificandum, et omnia bona promovenda, consulere deberemus Caesareae Maiestati, non possemus M. suae aliud consulere, quam ne pateretur mutari illa promissa, quae continentur in literis, quibus indicitur conventus, sed ut iuxta illas literas adhibeatur diligentia, ut, controversiis indicatis et compositis, redigantur Ecclesiae in concordiam christianam. Quod ut nos reverenter admoneremus C. M. bono et simplici animo, officio nostro adducti sumus, et considerata conditione horum negotiorum et temporum iudicamus, si quis secus consulit C. M., id neque

M. suae, neque Imperio, neque universae christianae reipublicae profuturum esse, neque simplici animo quenquam secus consulturum esse.

Ideo C. M. dominum nostrum clementissimum cum debita reverentia et obedientia rogamus, ut C. M. non inclementer accipiat hanc responsionem atque commemorationem, quae nobis necessaria fuit, et quod non licet nobis contra conscientiam nos obligare, ac velit C. M. noster clementissimus dominus et Imperator esse, quemadmodum reverenter confidimus.

Nos quoque, donec deus vitam nobis concedet, deo adiuvante praestabimus Caes. Maiestati tanquam domino nostro a deo constituto, obedientiam debitam omni officii genere, summa fide ac voluntate. Et in negotiis Imperii, quidquid suscipiendum ac faciendum erit quocunque tempore una cum aliis nostris amicis, Electoribus et aliis principibus, pro amplitudine et utilitate Imperii conservanda, ita nos geremus, ut speremus nos et deo, et Caesareae Maiestati, et universo Imperio officium nostrum probaturos esse.

Postremo, quod ad reliquos articulos attinet, speramus Caes. M. clementer consideraturam esse, quod nihil rogamus, de quo quisquam iure queri possit, et benigne nobis ea, quae rogamus, concessuram esse. Nos vicissim dabimus operam omni genere officii, vel cum periculo fortunarum et corporis nostri, ut pro his beneficiis gratitudinem nostram C. M. cum debita reverentia declaremus.

Petimus autem a vobis comitibus, vel utroque, vel singulis, ut iuxta mandatum C. M. hanc nostram responsionem, quae nobis necessaria fuit, cum debita reverentia, et apte pro vestra prudentia, C. M. exponere velitis. Nos efficiemus vicissim, ut intelligatis, vos hoc officium honestissimum in principem gratum contulisse. Datae Augustae sub sigillo nostro, ultimo die Maii Anno M. D. XXX.

---

69. No. 710ᵇ. (Vol. II. p. 82.) 2. Junii.

Martinus Lutherus ad Philippum Melanchthonem.

Hanc epistolam vide in de Wettii collectione Tom. IV. p. 30 sq. No. 1219.

---

70. No. 713ᵇ. (Vol. II. p. 85.) 5. Junii.

Idem ad eundem.

Hanc epistolam vide ibidem Tom. IV. p. 32 sq. No. 1221.

71. No. 714[b]. (Vol. II. p. 86.) 7. Junii.

Idem ad eundem.

Vide ibidem Tom. IV. p. 35. No. 1223.

---

72. No. 726[b]. (Vol. II. p. 110.) 17. Junii.

Iudicium Melanchthonis.

Hoc ex Melanchthonis autographo editum est a Foerstemanno in libro: Urkundenbuch Tom. I. p. 293. Nr. 100., ex quo h. l. repetitur.

M. Philipp Melanchthon's Bedenken über die Frage, ob die Predigten dem Verlangen des Kaisers gemäß einzustellen seyen.

Dweyl K. M. anzeigt, das sie beyder part predigen verbiet, so Ists in kheyn preiudicium, das vns das predigen verbotten, sonder hatt dis ansehen, als sey K. M. In Zweyfel welches recht, vnd wolle es zu not horn ꝛc.

Item, ob schon K. M. nicht beyder part predigen verbott, so geburt vns dennoch nicht alhie zu predigen, do wir kheyn vocatio zu haben.

Item K. M. erbeut sich, die sach, lauts des ausschreybens zu horn, der halb condemnirt sie diese sach nicht, quia significat, se velle cognoscere.

Item. das scandalum sey wie gros es woll, die predig nach zu lassen, so ists viel grosser scandalum die Sach zerruten. Diß zu verhuten, Ist nicht vnrecht, die predig anstellen [1]).

Vnd auff diser meynung beharre ich, das ich wollt, das die fursten die sach nicht zu hart vnd scharff furnemen, sonder liessen die predig auff K. M. suchung oder mandat beruwen.

Daneben acht ich, es werde K. M. nicht entgegen seyn, das Ihm eyn furst In seynem gemach lasse eyn predig thon zu zeytten, wie wol sie sunst offt ausserhalb der nott eyn monat oder zwey nicht zur predig khomen.

---

73. No. 730[b]. (Vol. II. p. 117.) 19. Junii.

Iusto Menio.

Apographum, ex quo hanc Melanchthonis epistolam h. l. primum edo, in Bibliotheca Regii Seminarii theologici Wittenbergensis asservatur.

Iusto Menio pastori Isenacensis ecclesiae suo amico.

S. D. Sex integris hebdomadis desedimus, priusquam venit Caesar. Is ingressus est urbem Augustam pridie corporis Christi [2]),

---

1) anstellen] i. e. abzustellen.

2) i. e. 15. Iunii; festum enim Corporis Christi anno 1530. celebrabatur die Iovis 16. Iunii, conf. Antonii Pilgram Calendarium chronologicum medii potissimum aevi monumentis accommodatum. (Viennae 1781. 4°.) p. 113.

quod faustum foelixque sit. Statim initio prohibuit, ne nostri concionarentur: cum nostri non statim essent assensi, tenuit disputatio per triduum. Tandem eo decursum est, cum imperator flecti non posset, ut utrique parti interdicerentur conciones, imperator sibi ius retinuit constituendi concionatores, sed ea lege, ut illi tantum legèrent nudum textum. Id hodie ita servatum est. Haec sunt conventus principia. Praeterea nihil adhuc agitur. Neque quam spem vobis ostendam, intelligo. In aula Caesaris nihil est ipso lenius Caesare. Mitigavit enim et his diebus acerbissimas sententias principum contra nos dictas. Legatus pontificius Campegius dicitur hortari, ut armis res geratur. Fuit Caesari Cancellarius Campegius, vir summus. Is fuit auctor pacis, quo nuper mortuo, aulici, qui nobis non male volunt, palam praedicant, nihil spei se habere de cognitione. Hac ex re facile iudicari potest, quantum sit periculi: quare commendabitis vos Christo et rogabitis, ut det pacem vestris liberis et uxoribus. Antiochus adhuc tolerabilis fuit, ut fortasse futurus esset in officio, si quid aequi impetrare possemus. Vale foeliciter. Dominica post festum corporis Christi.

Φίλιππος.

---

74. No. 745 b. (Vol. II. p. 145.) 27. Junii.

Martinus Lutherus ad Philippum Melanchthonem.

Haec epistolam legas in de Wettli collectione Tom. IV. p. 48—50. No. 1234.

---

75. No. 753 b. (Vol. II. p. 157.) 29. Junii.

Idem ad eundem.

Hanc quoque epistolam vide in eadem collectione Tom. IV. p. 51—54. No. 1236.

---

76. No. 755 b. (Vol. II. p. 158.) 30. Junii.

Idem ad eundem.

Haec etiam epistola legatur in illa collectione Tom. IV. p. 61—64. No. 1240.

---

77. No. 755 c. (Vol. II. p. 158.) 30. Junii.

Martino Luthero.

Apographum, quod h. l. secutus sum, in Bibliotheca Regli Seminarii theologici Wittenbergensis invenitur. Primum editum est a R. Baxmanno

in Niedneri Ephemeridibus „Zeitschrift für die historische Theologie", a. 1861., Tom. XXXI. Fasc. IV. p. 601—642. No. VII. inscript.: „Dreissig noch nicht gedruckte Briefe Luthers, Melanchthons und einiger Zeitgenossen. Mitgetheilt von R. Baxmann." p. 20 sq. epist. V.

D. Martino Luthero Patri suo cariss.

Peculiares tabellarios ad te duos[1]) misimus hac hebdomade, per quos scripsimus, quid hic hactenus gestum sit. Neque postea aliquid accidit, quod sit memorabile. Confessio nostra exhibita est proximo sabbatho. Nunc deliberant adversarii, quid sit respondendum. Concurrunt, conferunt operas, concitant principes, qui tamen per sese satis commoti sunt. Eckius summa vi contendit a Moguntino, ne vocetur res in quaestionem, quia iam damnata sit. Nostra pars sane infirma est. *Πλείονες οἱ κακοί.* Sublevamur sententiis Moguntini et Augustani et Brunswigii. Neque tamen hi valde pugnant. Bavari etsi dicebantur facti, audita confessione, placatiores, tamen a Georgio et Joachimo non dissentiunt. Hi sunt duces et quidem acerrimi alterius partis. Imperator scripsit ad Erasmum, evocans eum ad conventum. Ego ne divinare quidem possum, quid sit nobis sperandum in tantis odiis inimicorum, in tanta inscitia aulae, cuius iudicio pendemus. Nullum ibi virum, ne quidem mediocri doctrina praeditum invenio. Tantum igitur a Deo expectandum auxilium, quem tu orabis, ut et gubernet nostras actiones, et concedat pacem. Ferdinandus iterum recepit Budam in Hungaria, quae videtur nova occasio futura belli Turcici. Nam Turci cogentur suum socium, quem ipsi Regem appellarunt, restituere. Aldeburgae tempestas horribilis per triduum fuit. Fulmine tactae turres duae, altera arcis, altera templi. Tandem secuta repente magna vis aquarum. Haec me valde terrent. Vale feliciter. Postridie Petri et Pauli[2]).

Philippus.

---

78. No. 756ᵇ. (Vol. II. p. 160.) 3. Julii.

Martinus Lutherus ad Philippum Melanchthonem.

Hanc epistolam vide in de Wettii collectione Tom. IV. p. 67 sq. No. 1243.

---

79. No. 759ᵇ. (Vol. II. p. 163.) 5. Julii.

Idem ad eundem.

Haec quoque epistola legatur in eadem collectione Tom. IV. p. 68 sq. No. 1244.

---

1) duos] haec vox, quae in apographo legitur, in Baxmanni editione deest.
2) Annus 1530 non adscriptus ex ipsa epistola cognoscitur.

80. No. 780 b. (Vol. II. p. 192.) 13. Julii.

Idem ad eundem.

Vide eandem collectionem Tom. IV. p. 88 sq. No. 1254.

---

81. No. 785 b. (Vol. II. p. 199.) 15. Julii.

Idem ad Ionam, Spalatinum, Melanchthonem, Agricolam.

Vide eandem collectionem Tom. IV. p. 96 sq. No. 1258.

---

82. No. 788 b. (Vol. II. p. 206.) 18. Julii.

Ioannis, Electoris et Ducis Saxoniae, responsio ad postulata Caroli V. Imperatoris. Augustae, 4ta post divisionis Apostolorum, 1530.

(Manu Phil. Melanchthonis exarata.)

Haec responsio die 21. Julii Carolo V. exhibita, in qua agitur de renovatione investiturae Electoratus Saxoniae; de confirmatione pactorum dotalium de Ducatibus Iuliacensi, Clevensi et Bergensi; de nundinis in urbe Gotha instituendis, invenitur in eodem Codice Guelferbytano, ex quo illam eiusdem Electoris responsionem No. 68. edidi, tertio loco fol. 16 a—34 a. Typis descripta est, multis locis mutata, in Dav. Chytraei lat. Historia Augustanae Confessionis (Francof. ad M. 1578. 4°.) p. 125—130. et in Georg. Coelestiui Historia Comitiorum a. 1530. Augustae celebratorum (Francof. cis Viadrum 1577. Fol.) Tom. II. fol. 245 a—248 b., a quo sic inscripta est: Scriptum Ducis Electoris Saxoniae, in quo a C. M. Investituram Electoratus Saxoniae, et pactorum Dotalium cum Iuliacense confirmationem petit, cui, absoluta petitione ardens, pius ac verus erga verbum Dei zelus non tantum Christiano Principe: verum etiam omnium seculorum memoria dignissimus annectitur. — Haec responsio aeque ac praecedens No. 68. h. l. ex ipso Codice lituris pleno editur, ubi alia manus ei inscripsit: „Auguste 1530. Quarta post Diuisionis Apostolorum." et in sinistro margine ab alia manu adscripta sunt verba: „Responsio ad certa postulata."

Invictiss. Imp. Caesar Auguste, Domine Clementiss. Ad ea, quae C. M. V. proximo sabbato post diem S. Margaretae per Illustres principes, generosos Barones mihi proposuit de tribus articulis, videlicet de renovatione Investiturae Electoratus Saxoniae, de confirmatione pactorum dotalium, de Ducatibus scilicet Iuliacensi, Clevensi et Bergensi, postremo de nundinis in urbe Gotha instituendis, cum petivissem tempus ad deliberandum, duxi C. M. V. cum debita reverentia et obedientia hoc modo respondere.

Primum de renovatione Investiturae Electoratus Saxoniae, ut C. M. V. causas meae petitionis melius intelligat. Scit C. M. V.

quod Bulla aurea, quam C. M. V. clementer confirmavit et approbavit, clare de successoribus Electorum sic constituit. Si decedat Elector secularis sine heredibus masculis de corpore, ut succedat in Electoratu frater illius maximus natu. Quam ob causam extincto carissimo fratre meo, Duce Friderico Electore Saxoniae sine heredibus masculis de corpore, mihi competit ius in dicto Electoratu Saxoniae succedendi.

Ad haec C. M. V. concessit mihi antea nominatim simul cum fratre meo dictum Electoratum cum Regalibus in feudum, quemadmodum ostendunt literae feudi a C. M. mandatae, ex quibus hic articulus descriptus est, qui signatus est litera A. quas C. M. V. in conventu Wormatiensi fratri meo dedit, et iuxta Bullam auream mihi nominatim concessit dictum Electoratum in feudum, si frater meus sine heredibus masculis de corpore decessisset.

Et si opus erat, post mortem fratris ulteriorem petere investituram, non est ea res neglecta.

Statim enim post mortem fratris intra dimidium annum apud Regimen Imperiale C. M. V. iuxta Imperii ordinationem, sicut decebat, rursus investituram petivi.

Et quia res ad C. M. V. reiecta est, iuxta responsum Regiminis, et ego duos consiliarios ad C. M. V. propter hanc causam in Hispaniam misi, C. M. V. clementer dedit Indultum ad biennium, in quo clementer et sine conditione C. M. V. consensit, se mihi concessurum esse feudum, ubi rediisset in Imperium, iuxta literas, quarum exemplum hic signatum est litera B.

Deinde C. M. V. simile indultum mihi concessit ad annum per sollicitationem vicecancellarii C. M. V., amici mei, Episcopi Constantiensis et Hildeshemensis, cum simili promissione clementissima, futurum, ut C. M. V., si rediisset in Imperium, feudum mihi conferret, iuxta literas, quarum exemplum hic signatum est litera C.

Praeterea ut magis etiam declararem meam diligentiam dignam obediente Principe, nuper misi ad Inspruk ad C. M. V. meum consiliarium Iohannem Doltzik, profectum cum propinquo meo, comite Wilelmo de Nassau et com. Wilel. de Newenar, quibus C. M. V. iterum clementer sine omni conditione respondit in hanc sententiam, quod C. M. V. esset mihi collatura dictum feudum, postquam venisset Augustam.

Postremo nuper hic cum debita reverentia et obedientia idem a C. M. V. petivi, non existimans futurum, ut praesertim collatio feudi differretur, aut revocaretur in dubium.

Sed quia animadverto me apud C. M. V. impediri a quibusdam parum amicis, de quibus deus scit me non esse male meritum, ideo duxi mihi valde necessariam esse hanc commemorationem, quomodo C. M. V. dictum Electoratum, si frater meus decessisset, concesserit mihi in feudum datis literis feudi, deinde supra illam collationem concesserit Indultum post mortem fratris per literas obsignatas. Postremo nuper in Insbruk consenserit tandem, se mihi hic collaturum esse feudum.

Quare iterum cum reverentia et obedientia, quantum omnino debeo, et praestare possum, rogo, ut C. M. V. clementer conferat in feudum dictum Electoratum et Regalia Ducatus Saxoniae mihi et meis heredibus, et agnatis hactenus simul investitis, iuxta illas minime ambiguas nec disputabiles literas, et clara promissa, quorum feci mentionem.

Et cum cariss. frater meus per hanc dignitatem Electoratus in Electione, quod citra iactantiam dictum volo, non inter postremos faverit C. M. Vestrae provehendae ad illud fastigium Imperii, non patiatur C. M. V. meam causam impediri per adversarios meos, ne voluptatem inde capiant adversarii, si ego nunc heres [1]) fratris in hoc ipso Electoratu aliquid periculi et dilationis sustinere cogar.

Quod vero etiam petivi, ut C. M. V. pacta dotalia, quorum mentionem feci, sine aliorum praeiudicio, si qui praetendant se ius habere, confirmet, id factum est et nunc et antea propter illas causas, quas affinis meus, et affinis mea de Iulich et Cleve, et ego per meos oratores missos in Hispaniam, iuxta nostram utrorumque sigillatam Instructionem, satis copiose exposuimus C. M. Vestrae. Et maxime propter clementiss. promissa, quae C. M. V. primum fratri meo, deinde mihi per secretarium C. M. V. Iohannem Hanart [2]) iuxta literas fidei C. M. V. et Instructionem, inter cetera in hanc sententiam fecit, videlicet quia C. M. V. ex certis causis tunc allegatis non posset exequi sponsalia contracta inter sororem C. M. V. nunc Reginam Portugalliae, et filium meum Ducem Iohannem Fridericum, iuxta sigillatas literas illius contractus, quas haud dubie C. M. V. meminit. Ideo si meus frater aut [3]) ego coniugem filio meo alibi quaereremus, vellet C. M. V. clementer eam

---

1) ego nunc heres] sic Chytr. et Coelestin.; in Cod. inter voces *si* et *fratris* 4 integrae lineae et 5 breviores in margine adscriptae deletae sunt.

2) Hanart] sic Cod.; Coelest.: Honart; Chytr.: Hanault (item in seqq.).

3) aut] sic Cod.; Chytr. et Coelest.: et.

rem consilio, promotione, et auxilio iuvare, et magnum aliquod beneficium Caesareum addere filio meo, quod beneficium dictus Hanart, me nihil petente, iuxta sigillatas literas, quas una cum Instructione illorum mandatorum adhuc penes me habeo, exposuit.

Cum autem iuxta dei voluntatem filio meo contigerit uxor D. Sibylla, filia Ducis Iuliacensis et Clevensis primogenita cum huiusmodi pactis dotalibus, quae cum debita reverentia Caes. M. V. declaravimus: et filius meus cum uxore sua, et ego petamus confirmationem a C. M. V. sine aliorum praeiudicio, si qui praetendant se ius habere, quemadmodum antea et nuper in Insbruk post adventum C. M. V. per consiliarium meum Ioannem Doltzik etiam in scriptis petivimus. Iterum cum summa reverentia rogo, ut C. M. V. clementer velit considerare illas causas recitatas, et clementissima promissa, et multiplicia et fidelia obsequia harum familiarum Saxoniae [1]), Iuliacensis et Clevensis, et de confirmatione illa dotalium pactorum clementer respondere, quemadmodum antea spem ostendit se responsurum esse. Idem rogo et [2]) de nundinis in oppido meo Gottha confirmandis, cum nemo iure queri possit id cum suo praeiudicio fieri, quemadmodum in Insbruk C. M. V. ex scriptis intellexit causas illius Emporii instituendi. De his rebus oro, ut C. M. V. tanquam dominus meus clementissimus benigne respondeat, quemadmodum confido C. M. V. simili erga me clementia atque benignitate usuram esse, sicut Clariss. Maiores C. M. V. semper erga me usi sunt.

Quod autem C. M. V. difficilia quaedam postulata de religione mihi exponi fecit, scit C. M. V., quod me, et quidem simili edicto, quod ad religionem attinet, sicut alios status vocavit, scilicet ut in hoc conventu dissensionibus et simultatibus depositis, et praeteritis erratis Christo salvatori nostro condonatis sic ageretur, ut omnes uniuscuiusque opiniones et sententiae inter nos in caritate et mansuetudine mutua audirentur, intelligerentur. et expenderentur, et ad unam christianam veritatem redigerentur.

Quare et ego et alii quidam Principes et civitates, ut obediremus illi edicto et propositioni C. M. V. factae initio conventus, exhibuimus C. M. V. cum debita reverentia in utraque lingua, latina et germanica rationem et confessionem, quo modo in mea ditione, et illorum ditionibus doceatur, et quemadmodum conveniebat, subscripsimus illi confessioni.

---

1) Saxoniae,] sic Cod. et Coelest.; Chytr.: Saxonicae,

2) et] sic Chytr. et Coelest.; Cod.: vt

Et in praefatione illius confessionis ego cum aliis subscriptis obtulimus nos, quod non gravatim cum aliis Electoribus, Principibus et statibus velimus deliberare et conferre de aequis et tolerabilibus modis, ut, quantum honeste fieri [1]) possit, conveniamus, et re inter nos agitata citra odiosam contentionem, deo dante, discordiae dirimantur, et ad unam veram concordem religionem reducantur [2]), sicut omnes sub uno Christo sumus et militamus.

Qua in re nihil detrectamus, quod cum Deo et bona conscientia fieri potest, quod ad christianam concordiam prodest.

Et adhuc offero me cum debita reverentia erga C. M. V., quod non recuso convenire cum aliis, quantum omnino cum deo et bona conscientia fieri potest. Et ex supervacuo, neque christianum concilium, in quod consensi, defugio. Ac spero de bonitate dei futurum, ut in hac placida collatione, aut certe in concilio nunquam convincamur per scripturas sanctas, quod per meam et coniunctorum meorum confessionem et rationem doctrinae sub scriptam, me a veritate dei et a Caes. M. V. tanquam supremo defensore christianorum abalienaverim.

Et si qua in re admonitus fuero, quod vel ego aliquid sentiam, vel doceatur aut institutum sit in mea ditione aliquid contra deum ac verbum et [3]) ordinationem dei, deo dante sic me geram, quemadmodum haud dubie et alii mei coniuncti facient, ne C. M. V. aut alii iudicare possint, quod per curiositatem cupiam me a verbo et ordinatione dei, et a catholica Ecclesia ulla in re segregare: sed multo magis quod cupiam ex toto animo iuxta verbum et ordinationem dei cum catholica Ecclesia sentire.

Praeterea opus est inprimis cognoscere, quos articulos nostros alii oppugnare velint, ut vicissim christianam et necessariam rationem reddere possimus, quemadmodum in fine confessionis exhibitae nos obtulimus, si dei beneficio articuli illi, qui controvertuntur et ab aliis oppugnantur iam in hoc conventu, iuxta scripturas sanctas ad unam veritatem reduci possent, iuxta literas, quibus conventus indicitur.

Quanquam enim in omnibus rebus omnino, quae cum deo et bona conscientia fieri possunt, quaeque ad V. C. M. et Imperii

---

1) fieri] sic Chytr. et Coelest.; Cod.: ferri

2) reducantur,] sic Cod. et Coelest.; Chytr.: deducantur,

3) ac verbum et] sic Cod.; Chytr.: ac verbum aut; Coelest.: contra verbum ac

dignitatem amplificandam pertinent, paratus sum cum summa reverentia C. M. V. semper obedire, ita ut, si res et V. C. M. postulet, neque vitae meae, neque corporis mei, neque fortunarum, neque ullius alterius discriminis habiturus sim rationem, tamen cum haec causa religionis pertineat proprie ad gloriam dei, et ad meam conscientiam, et salutem animae, et cum hanc doctrinam, quae in mea ditione docetur, et quam professi sumus ego et alii multi coniuncti, in scriptis latine et germanice exhibitis coram C. M. V. et statibus Imperii, et adhuc profiteor, eam, et quidquid illi iuxta scripturas sanctas consentaneum est, sentiam et credam catholicam et christianam esse et consentientem verbo dei et ordinationibus dei, neque diversum ex scripturis sanctis ostensum sit, scilicet quod confessio nostra dissentiat a scripturis sanctis, seu verbo et ordinationibus dei, peto, ut C. M. V. clementer pro sua pietate ac bonitate consideret, quod neque ego neque alii mihi coniuncti possimus sine exitiali offensione conscientiae et sine contumelia nominis divini, coram deo, et C. M. V. et toto mundo deficere ab illa doctrina et verbo et ordinatione dei, et iudicare verbum et ordinationem dei, quae est aeterna et nunquam peritura veritas, non esse verbum et ordinationem dei.

Neque vero existimo C. M. V. fuisse petituram, ut hoc modo deficerem ab hac doctrina, nisi adversarii nimia assiduitate hoc apud C. M. V. obtinuissent.

Cum igitur sentiamus, quod haec doctrina et ordinatio, quae apud nos docetur, sit verbum et mandatum dei, necesse est etiam adversarios pro me et aliis mihi coniunctis pronuntiare ac fateri, quod non liceat nobis in tali conscientia ab ea deficere. Et quod coram deo et hominibus licuerit, imo etiam oportuerit nos cognoscere, recipere ac tolerare in nostris ditionibus verbum et ordinationes [1]) dei, non obstantibus humanis traditionibus, aut consuetudine, quae contra mandata dei aut instituta aut recepta est.

Nam ut in mea confessioae et aliorum, qui mecum coniuncti sunt, saepe commemoratum est, deus severe praecipit, ut de verbo suo et ordinationibus suis magis obtemperemus sibi, quam hominibus. Idem praecipiunt sanctorum patrum sententiae, quae passim in Iure canonico perscriptae extant, et quarum aliquae in confessione nostra citatae sunt: Quod verbum et mandatum dei non possit humanis traditionibus aut contraria consuetudine, quantumvis vetusta, aboleri.

1) ordinationes] sic Cod.; Chytr. et Coelest.: ordinationem

Idem statuunt et aperte concedunt omnia scripta Iura, si quid contra divina et naturalia iura a quoquam mandatum aut rescriptum fuerit, ut id rescriptum sive mandatum, sive ordinatio, habeatur irrita et inanis.

Hinc C. M. V. iudicare potest, utrum merito accusemur ego et alii mihi coniuncti, quasi in hac re non praestiterimus debitam obedientiam.

Praeterea novit C. M. V., quomodo cariss. frater meus, Fridericus Dux Saxoniae Elector, significaverit C. M. V., quod gravaretur in illud Edictum consentire. Idque postea in aliis conventibus Imperii, videlicet Noribergensi, et priore conventu Spirensi mitigatum et relaxatum est ex certis causis[1]), quas tunc Electores, principes et status in quadam Instructione communi consensu complexi sunt, et una legationem ad C. M. V. in Hispaniam mittere decreverunt.

Cum igitur Deus C. M. V. universis Christianis tanquam summum gubernatorem ac dominum temporalem et custodem disciplinae civilis praefecerit, cumque C. M. V. nuper mihi clementer significaverit, quod C. M. V. nunquam sciens contra scripturas sanctas factura sit, ex qua voce in his difficillimis ac tristissimis negotiis maximam accepi consolationem: oro, ut C. M. V. non patiatur se eo pertrahi, ut constituat aut praecipiat aliquid contra illa, quae Deus, cuius C. M. V. vices gerit[2]), tanquam superioris domini[3]), et aeterna sapientia, omnium hominum prudentiam et consilia longe superans constituit, ordinavit et praecepit, sed C. M. V. in hac re respiciat gloriam Dei, et clementer consideret hominum salutem, aut certe in maximis rebus, propter assiduam et importunam sollicitationem adversariorum non praecipitet iudicium, quemadmodum fortassis isti optant. Verum si sine profectu fuerit placida collatio inter nos instituta in hoc conventu, ad quam intelligit C. M. V., quod me saepe obtulerim paratum: nec defugiunt eam alii mihi coniuncti, permittat C. M. V., ut tutiores sint conscientiae, ut hae gravissimae controversiae, quia ad gloriam dei et ad salutem animarum pertinent, quibus rebus nihil maius neque in coelo neque in terra cogitari potest, reiiciantur ad generale, liberum et Christianum concilium, quemadmodum C. M. V. clementer consensit. Et Electores, principes

1) ex certis c.] sic Cod.; Coelest.: certis de c.; Chytr.: certis c.

2) cuius C. M. V. vices gerit,] sic Cod. et Chytr.; apud Coelest. desunt.

3) tanquam superioris domini,] sic Cod.; Chytr.: tanquam superior Dominus; Coelest.: tanquam supremus Legumlator,

et status in multis conventibus, propter causae magnitudinem, summe necessarium et utile esse deprehenderunt et indicaverunt, et cum debita reverentia a C. M. V. petiverunt, ut de concilio indicendo pro auctoritate Imperatoria cum Rom. Pontifice ageret, ut tandem veritas patefacta illustraretur et recte instituta diligentius servarentur, et abusus corrigerentur.

Ac velit C. M. V. clementer expendere, quomodo hoc interpretaturi essent homines non solum in Germania, sed etiam apud exteras nationes, cum toties de generali, libero et christiano concilio deliberatum sit, et communi consensu expetitum, et toti Imperio spes de eo facta sit, si iam mentio concilii obrueretur, praesertim si etiam collatio in hoc conventu instituta sine profectu fuisset, cumque inevitabilis necessitas in tot abusibus Ecclesiarum, de quibus ubique publicae querelae sunt, synodum cogi postulet.

Quanquam nihil dubitamus C. M. V. propter gloriam dei, et universae Ecclesiae, maximaeque [1]) Germanicae nationis salutem, daturam esse operam, ne frustra videatur spes concilii ostensa esse [2]).

Haec precor accipiat C. M. V. clementer, simplici et bono animo a me [3]) propter necessitatem meam, et aliorum, qui mihi coniuncti sunt, commemorata. Nec patiatur se commoveri, ut concipiat aliquam indignationem adversus me, aut in simili causa [4]) adversus alios, qui mecum sentiunt, propterea quia non possim [5]) a verbo et mandato Dei bona conscientia ad eum modum deficere, sicut petitur. Sed velit mihi, sic me toties ex supervacuo offerenti, clementissimus dominus et imperator esse, nec caesaream benevolentiam atque clementiam erga me mutare [6]).

1) maximaeque] sic Cod.; Chytr. et Coelest.: maximeque

2) Quanquam nihil dubitamus — ostensa esse.] Coelest.: Quin igitur, propter gloriam Dei et universae Ecclesiae, maximeque Germanicae nationis salutem, C. M. V. datura sit operam, ne nobis frustra videatur spes concilii facta esse, nullo modo dubitamus.

3) a me] haec Chytr. omisit.

4) causa] Chytr.: casu

5) possim] Chytr.: possum

6) Haec precor accipiat C. M. V. — erga me mutare.] Coelest.: Haec omnia, quae mihi mihique in religione coniunctis sociis necessario commemoranda et recensenda fuerunt, ut C. M. V. clementer et sine animi commotione accipiat intelligatque humiliter rogo, et quia non possum, a verbo et mandato Dei, pro ut petitur, deficere, C. M. V. propterea nullam indignationem graviorem in me, mihique coniunctos concipiat, sed Dominus et Imperator noster clementissimus esse pergat et permaneat.

Quidquid autem concedere ac facere unquam potero, quod non fuerit contra verbum dei et contra conscientiam meam, deo dante, ea in re [1]) cum debita reverentia praestabo, ut C. M. V. cognoscat me [2]) Electorem fidelem, obedientem, tranquillum et pacis cupidum esse, et usque ad ultimum spiritum semper mansurum esse, maximeque abhorrere ab impiis et perniciosis dogmatibus et consiliis turbulentis. Neque quisquam deprehendet unquam me talibus ulla in re favere [3]).

Quod autem per ista verba (alii mihi coniuncti) quibus usi sumus in proximo scripto propter civitates Noriberg. et Reutlingen, quae in doctrina nobiscum consentiunt [4]), confoederatio quaedam intelligitur, non sperassem futurum, ut adversarii haec verba captiose [5]) interpretarentur ad irritandam C. M. V. contra me.

Neque fuit causa, cur isti sic suspicarentur, aut odiosa interpretatione commoverent C. M. V. contra me. Nam [6]) in confessione res postulabat subscribere istos, qui idem sentiunt, quia facile iudicari potest, me et meos amicos in tam arduis negotiis non exhibuisse confessionem aliorum causa, neque rationem reddituros esse de omnibus, quae in aliis locis docentur [7]) non consentanea nostrae confessioni, cui subscripsimus.

Ad haec novit C. M. V., quid responderim, cum de eadem re perferrent ad me mandata C. M. V. comes de Nassau et comes de Newenar ex Insbruk, quam responsionem de confoederatione precor, ut [8]) C. M. V. et hic recordari velit [9]).

Quod vero etiam de Helvetiis falsissime insimulor, quasi aut expetiverim illorum societatem, aut cum eis foedus aliquod fecerim, oro, ne patiatur C. M. V. animum suum a me abalienari talibus criminibus manifeste falsis. Sic enim respondeo, neminem mortalium vivere usquam [10]), qui vere dicere aut affirmare possit,

1) ea in re] sic Cod.; Chytr.: ea re; apud Coelest. desunt.

2) me] apud Chytr. deest.

3) Neque quisquam — favere.] haec apud Coelest. desunt.

4) consentiunt,] sic Cod. et Coelest.; Chytr.: sentiunt,

5) captiose] sic Cod.; Coelest.: tam captiose; Chytr.: tam copiose

6) Nam] apud Coelest. et Chytr. deest.

7) docentur] sic Cod. et Coelest.; Chytr.: docerentur

8) ut] apud Chytr. deest.

9) cum de eadem re — — recordari velit.] Coelest.: cum de eodem negotio C. M. V. Legati Comes Nassaensis et Comes Nevenarensis ex Oenipente ad me mandata perferrent, cuius de confoederatione responsionis, ut C. M. V. et hic recordari velit, precor. — (Hanc responsionem vide supra p. 52—59. No. 68.)

10) usquam,] Coelest.: uspiam,

tantum abest, ut probare possit [1]), quod ego unquam in omni vita mea expetiverim societatem Helvetiorum. Multo magis hoc falsum est, quod societatem cum eis fecerim. Nemo poterit dicere, quod miserim ad eos, aut ulli mandata dederim aut clam privatim, aut publice cum Helvetiis de foedere agendi, aut quod me sciente unquam talis aliqua actio suscepta sit. Peto igitur, ut C. M. V. pro sua iustitia istos meos malevolos, qui de tali confoederatione me apud C. M. V. insimulant, iudicet esse vanissimos, nec habeat eis fidem, donec probent hoc crimen, quemadmodum fateri [2]) aequum est: tametsi satis scio nunquam probaturos esse, ac ne leves quidem coniecturas eius rei comminisci posse.

Proxima hyeme exposuit mihi agnatus meus Dux Saxoniae Georgius, quod similia essent delata ad fratrem C. M. V. Regem Hungariae ac Bohemiae, dominum ac cognatum meum. Verum ita respondi et Regiae Celsitudini, et meo agnato, ut sperem, ipsis satisfactum esse, et innocentiam meam declaratam, meque satis purgatum esse. Neque secus videor intellexisse vel ex Regia Celsitudine, vel ex agnato meo, quin mea purgatione contenti sint [3]).

Haec omnia, quae mihi necessario dicenda esse putavi, precor, ut C. M. V. pro sua Caesarea et ingenita bonitate dignetur clementer accipere et intelligere. Ego vicissim officium boni principis et obedientis erga C. M. V. semper summa fide ac diligentia facturus sum, nec recusabo ullum usquam periculum corporis aut fortunarum pro C. M. V. subire.

---

83. No. 789 [b]. (Vol. II. p. 208.) 19. Julii.

Martinus Lutherus ad Phil. Melanchthonem.

Haec epistola legatur in de Wettii collectione Tom. IV. p. 99 sq. No. 1261.

---

84. No. 792 [b]. (Vol. II. p. 217.) 20. Julii.

Idem ad eundem.

Vide ibidem Tom. IV. p. 102—104. No. 1263.

---

1) tantum abest, ut probare possit,] sic Cod.; apud Chytr. et Coelest. desunt.

2) fateri] sic Cod.; Coelest.: facere illos; Chytr.: facere hoc

3) sint.] Coelest.: fuerint.

85. No. 793 b. (Vol. II. p. 218.) 21. Julii.

Idem ad eundem.

Vide ibidem Tom. IV. p. 105—109. No. 1265.

[Melanchthonis et Lutheri de primatu papae iudicium, quod Bretschneiderus Corp. Ref. Vol. II. p. 318. No. 867. ad d. 28. Aug. affert, Foerstemannus Urkundenbuch Tom. II. p. 75. Nr. 118. fere 13. Julii scriptum iudicat; Burkhardtus l. l. p. 181. memorat Datum apographo Hamburgensi adscriptum: „feria IV post Jacobi" (i. e. 28. Julii), Seidemannus in de Wettii collectione continuata Tom. VI. p. 117 sq. No. 2407. huic iudicio adscripsit: „3m Juli."]

86. No. 815 b. (Vol. II. p. 242.) 31. Julii.

Idem ad eundem.

Vide in de Wettii collectione Tom. IV. p. 115 sq. No. 1270.

87. No. 816 b. (Vol. II. p. 243.) (1. aut 2. Aug.)

Idem ad eundem.

Vide ibid. Tom. IV. p. 120. No. 1273. conf. Seidemann. l. l. Tom. VI. p. 554. not. 6.

88. No. 817 b. (Vol. II. p. 244.) 3. Aug.

Idem ad eundem.

Vide ibid. Tom. IV. p. 122—124. No. 1275.

89. No. 817 c. (Vol. II. p. 244.) (3. aut 4. Aug.)

Idem ad eundem.

Vide ibid. Tom. IV. p. 124—127. No. 1276.

90. No. 844 b. (Vol. II. p. 280.) 15. Aug.

Idem ad eundem.

Vide ibid. Tom. IV. p. 133 sq. No. 1281.

91. No. 851 b. (Vol. II. p. 294.) 20. Aug.

Idem ad eundem.

Vide ibid. Tom. IV. p. 134—136. No. 1282.

92. No. 852[b]. (Vol. II. p. 295.) (20. vel 21. Aug.)

Melanchthonis iudicium de falsa accusatione, Nestorii doctrinam ab Evangelicis esse acceptam.

Hoc iudicium h. l. repeto ex Foerstemanni Urkundenbuch Tom. II. p. 271 sq. Nr. 155.

Nestorius duas personas posuit in Christo et posse naturam in Christo sine divina esse.

Ita si nos poneremus tantum Christi corpus in Sacramento, et divinitatem non poneremus ibi esse, sequeretur, quod divideremus Christum exemplo Nestorii. Ideo respondimus, quod totus Christus sit in Sacramento, ne quis suspicetur, nos divellere naturas aut duas personas ponere.

---

93. No. 858[b]. (Vol. II. p. 305.) 24. Aug.

Mart. Lutherus ad Phil. Melanchthonem.

Vide de Wettii collectionem Tom. IV. p. 138 sq. No. 1285.

---

94. No. 862[b]. (Vol. II. p. 314.) 26. Aug.

Idem ad eundem.

Vide ibid. Tom. IV. p. 145—147. No. 1289.

---

95. No. 866[b]. (Vol. II. p. 317.) 28. Aug.

Idem ad eundem.

Vide ibid. Tom. IV. p. 155—157. No. 1295.

---

96. No. 890[b]. (Vol. II. p. 348.) (7. Sept.)

Phil. Melanchthonis iudicium de iure Principum et praedicatorum evangelicorum suam doctrinam amplectendi et abusus abolendi.

Hoc iudicium Foerstemannus e Melanchthonis autographo Tabularii Vinariensis Reg. E. Fol. 37. Nr. 2. fol. 100—101[a]. edidit in libro suo Urkundenbuch Tom. II. p. 400—409. Nr. 182., ex quo h. l. repetitur. — D. 7. Sept. ipse adscripsit eam ob causam, quod aliud Melanchthonis scriptum de simili quaestione, quod e Kappii Nachlese II, 730. in Corp. Ref. Vol. II. p. 348 sqq. No. 890. recusum est, illo die signatur.

M. Philipp Melanchthon's Bedenken über die Fragen: ob die evangelischen Prediger und Lehrer ohne Zulassung der Episkopen und Prälaten ihre Lehre hätten annehmen und die frühern Mißbräuche abschaffen können, und ob auch die evangelischen Fürsten dazu ein Recht gehabt haben.

Die erste frage.

Ob wir recht gethan, das wir dise vnser lahr gepprediget vnd angenomen haben, vnd die mißbreuch fallen lassen, ehe die Bischoue vnd prelaten solch lahr zugelassen vnd bestettiget, vnd ob wir der halben, billich, als Schismatici mogen gescholden werden.

Antwort.

Nach dem der gegenteyl vnser lahr an yhr selb nicht straffen khan, vermeynet ehr sie doch mit disem schein nider zutrucken, nemlich, das nicht geburt habe, ettwas zu leren, anzunemen, oder zu endern, one der Bischoue zu thun,

vnd erstlich aus diser vrsach, dweyl die Bischoue In ordenlichem Regiment sitzen, soll niemant In der kirchen ettwas ordnen oder anrichten, denn alleyn sie, als denen solchs alleyn beuollen.

Zum andern, So habe die kirch dise ietzige ordnungen, als die messen, vota ꝛc. so lang gehalden, Nhu khonne die kirch nicht yrren, darumb soll man yhre breuch nicht anfechten,

Zum dritten, so soll man schismata verhuten, von wegen des vngehorsams, denn es stehet geschrieben, melior est obedientia, quam victima, vnd ob schon In der kirchen ettlich mißbreuch gewesen, sollt man doch dieselbigen geduldet haben, damit man nicht vngehorsam anrichtet,

Zum vierden, der gleichen sollt man vmb lieb willen die suachen christen getragen haben, wie Paulus leret, sonderlich dweyl das hohist gebott ist von der lieb.

Zum funfften, dweyl solche spaltung nicht on krieg vnd grosse emporungen abgehen, sold man der kirchen gebrechen geduldet haben, zu verhutung grosser ergernis, die durch krieg vnd emporungen khommen möcht.

Aus disen vrsachen vermeynet der gegenteyl zu erhalden, das wir billich schismatici sollen gescholden werden, als die wir wider der kirchen prelaten gehandelt, den gehorsam zerrissen, vnd wider die lieb gethan haben ꝛc. vnd diser scheyn mage bey vielen eyn seer gros ansehen haben.

Aber da gegen Ist Im grund vnd Inn der warheit also zu antworten, wie wir auch wissen, das wir for got entschuldiget sind, ja haben mussen dise lahr annemen ꝛc.

Erstlich, die prediger belangend, Muss man bekhennen, das eyn Iglicher prediger schuldig ist, das heuptstuk christlicher lahr zu predigen vom glawben an Christum, vnd dasselbig nicht bergen auß eyniger vrsach, drumb spricht

Chriſtus, wer mich bekennet for der welt, den will ich auch bekennen vor Gott, wer mich verleuknet, den will ich auch verleuknen ꝛc. So lehret die ſchrifft an allen orten, das der hohiſt gottis dienſt ſey, recht predigen, credidi propter quod locutus ſum, vnd heyſſt ſolchs ſacrificium laudis.

Daruber muſs man auch bekennen vnd iſt am tag, das man vor diſer zeit nitt recht geleret hatt, was vns Chriſtus erworben, vnd das wir gewißlich durch glawben an Chriſtum vergebung der ſund haben, ſonder man hatt vns von Chriſto auff vnſer werk gewieſen.

Vnd vber das haben monch vnd pfaffen eygne, newe, falſche gotts dienſt, mit yhren orden, meſſen, vnd heylgen dienſt erticht, dadurch nit alleyn ſich ſelb, ſonder auch andere, fur welche ſolche werk gehalden, ſelig zu machen.

Diſe vnzeheliche mißbreuch vnd vnchriſtliche heydniſche lahr ſind die prediger auch ſchuldig geweſen zu ſtraffen, denn alſo ſpricht gott Ezechielis tertio, wen ich dem gotloſen draw, ehr muſſe ſterben, vnd du yhm ſolchs nicht verkundigeſt, das ehr ſich bekhere, ſo ehr alſo ſtirbt, will ich ſeyn blut von deyner hand foddern,

Drumb ſind die prediger, durch gottes beuelch gedrungen, alle diſe yrthumb vnd mißbreuch zu ſtraffen.

Vnd was bedarff diſes langer diſputatio, diſe ſach betrifft das ander gepott gottes, das man gottes namen nit mißbrauch, da wirt furnemlich vnrechte lahr verbotten, Nu geburt Jha den predigern nit, wider diſes gebott zu thon, ſonder ſollen vnd muſſen allen mißbrauch gottlichs namens ſtraffen, So iſt offentlich, das Chriſtus name In allen volgenden ſtuken, die zuuor
1. geprediget vnd getrieben, gelaſtert wirt, nemlich vnſer eygne werk machen vns
2. from for gott, vnſer werk mögen gnug thon für die ſund, vnd ſund weg-
3. nemen, die meſſ macht alle die Jenige from for gott, fur welche ſie gehalden
4. wirt, ob ſie ſchon kheyn guten gedanken darzu thon, Cloſterleben iſt der tauff
5. gleich, nimmet alle ſund weg, Iſt chriſtliche volkomenheit, Iſt vber den ehe-
6. ſtand, regenten ſtand, ꝛc. man ſoll die heylgen anruffen, der heylgen verdienſt
verſonet vnd bezalet gott nit alleyn fur ſie, ſonder auch fur vns, wie Chri-
ſtus verdienſt,

Das ſind offentliche blaſphemiae, Nu khan man nicht leugken, die papiſten haben alſo geleret.

Vber diſe ſind noch euſſerlich grobe mißbreuch, betreffend das regiment vnd leben der geiſtlichen, Bapſt vnd Biſchoue achten yhrs ampts nicht, machen ſich zu könig vber alle weltliche könig vnd keyſer, brauchen der kirchen guter zu yhr tyranney, vnd ſolchs geſchicht alles vnter dem heylgen namen Chriſti, Solch weſen approbirn, Iſt in alles wider das ander gebot.

Aus diſem allem iſt clar bewiſen, das vnſer prediger for gott ſind ſchuldig geweſen, die mißbreuch zu ſtraffen. Das aber der gegenteyl, wie droben erzelet, der Biſchoue gewalt vnd auctoritet anzeucht, man ſollt nichts

furgenomen haben, on yhr zuthun, man soltt gehart haben, Biß solch lahr ordinaria autoritate were zugelassen, daruff ist also zu antworten:

War ist, das den Bischouen beuollen, die kirchen zu lehren vnd regirn, wenn haben sie aber je yhrs ampts gewartet? dagegen mussen sie bekennen, das die prediger auch ordinariam vocationem haben, vnd wie den Bischouen, also auch den predigern beuollen, die kirchen zu lehren.

So haben vnsere prediger erstlich Bapst vnd Bischoue trewlich vnd vnterthenigklich vermanet, wie yhr schrifften beweysen, das Bapst vnd Bischoue wolden eyn Insehen haben In der kirchen mißbreuch, Aber Bapst vnd Bischoue haben solchs nit alleyn veracht, sondern auch die lahr angefangen zu verfolgen mit vnerhorter tyranney,

Dweyl nu die prediger Im predig ampt gewesen, sind sie schuldig gewesen die warheit zu verteydingen, vnd hatt sie gottes gepott gedrungen, Ihr ampt zu thon, Bapst vnd Bischoue machten, was sie wolden.

Gottes gebott leydet nit, das man verzihe, biß die weltt bestettige, oder zu lass, Ja der teuffel vnd die weltt muss vervolgen. Solden Christus vnd die Apostel gehart haben, biß das Annas vnd Caiphas das Euangelium zu gelassen hetten, wurden sie langsam geprediget haben, Aber Christus spricht, ehr sey khomen, das ehr seynes vaters willen außrichte, Also mussen die prediger alle thon, wie auch die Apostel thetten Actuum 5, do yhn das predig ampt verbotten ward, sprachen, sie mußten gott mehr gehorsam seyn, denn den menschen.

Auff das ander, das sie sprechen, sie seyen die kirch, vnd die kirch khönne nit yrren, wer von yhnen abfall, der fall von der kirchen, daruff Ist leichtlich zu antworten, das wir nit zulassen, das Bapst vnd Bischoue, monch vnd pfaffen, die kirch seyen, wie wol vnter yhnen vnd bey yhnen leut sind, die zur kirchen gehoren, welche nit Inn yhre yrthumb willigen, sonder eyn rechten glawben haben, denn Paulus lehret vns Ephes. 5, das kirch sey alleyn die Jenige, so gottes wort haben vnd damitt gereyniget werden, darumb allenthalben, wo gottes wort recht getriben vnd verstanden wirt, da ist die kirch vnd sunst nindert.

So hatt vns auch der heylig geist gewarnet, das wir wissen sollen, das Bapst vnd Bischoue nit die kirch seyen, denn es stehet geschriben, das der Antichrist zur letzten Zeit eyn gros gewaltig regiment In der kirchen haben werde, wie Paulus spricht, der Antichrist werde sitzen vnd herschen Im tempel gottes, das ist Inn der kirchen, darumb ob schon der gegenteyl den namen der kirchen haben will, so sind sie doch nit die kirch, vnd hatt doch die kirch vnter yhnen so viel hundert Jar mussen bleyben vnd erhalden werden,

Also ob wir schon des Antichrists yrthumb straffen, sind wir darumb nit von der kirchen gefallen, denn wir halden eben dasselbig, welches die rechten christen, so vnter seyner tyranney gelebet, gehalden haben, ob sie woll In

ettlichen stucken so claren bericht nit gehabt haben, denn das muß man auch zulassen, das rechte christen mangel vnd gebrechen haben khonnen, vnd betten mussen, Et dimitte nobis delicta nostra.

So weyß man, das zum offter mal leut gewesen, die des Bapsts yrthumb angefochten, welche doch auch vnter yhm gewesen, vnd ist also die kirch beliben, wie wol Bapst vnd Bischoue, monch vnd pfaffen der mehrer teyl In offentlichen yrthumben vnd sonden gelegen,

Vnd ob wir schon In eusserlichen dingen, als fleysch essen, vnd der gleichen, andere weyß haben, denn etliche rechten christen zuuor gehabt, sind wir damit nicht von yhn gefallen, denn solch eusserlich ding ist nit nöttig zu eynigkeit der kirchen, Ja wenn mans nöttig machen will, so muss man dagegen mit wort vnd werken fechten.

Auffs drit, vom vngehorsam, dazu haben vnsere prediger nit vrsach geben, sonder Bapst vnd Bischoue haben die vnsern verbannet vnd veruolget, vnd kheyn gehorsam von yhn haben wollen, sie verleukneten dann gottes wort, vnd der spruch melior est obedientia, quam victima, soll nit dahin gedeutet werden, gottes gehorsam auff zu heben, sonder sagt da von, das man gottes gepott hoher achten soll, denn opfer, so wir one gottes gepott auß eygner wahl furgenomen haben, denn dise wort stehen auch bey dem selbigen spruch, gott wolle haben, das man seyner stimme gehorche, vnd frage nit nach opfer, sagt clar, Seyner stimme.

auff das vierd, das man vmb lieb willen die mißbreuch solt geduldet haben, vnd der suachen verschonet, Ist zu antwortten, das Paulus von suachen redet, Aber der papisten yrthumb sind nit solch geprechen, die bey dem glawben stehen mögen, sonder werffen Christum gantz weg, Zu dem so will Paulus, das man dennoch die suachen fur vnd fur leren soll, Instruite eos, spricht ehr, Item Bapst vnd Bischoue haben sich zu widersachern gemacht, die lahr nit leyden wollen, das heyssen nit suachen, sonder tyrannen vnd gots lesterer, gegen denen man nit sweygen soll oder khann.

Auffs letzt, krieg vnd ergernus belangend, Ist leyder also, das der halben gottes wort von anfang der weltt verhasset, darumb das man sagt, es bring vnfrid, denn es strafft alle zeit vnrechte lahr vnd das gottloß wesen In der welt, vnd endert alde breuch, das khonnen weyse leut nit leyden, Aber Christus hatt vns getröst, das wir vns nit sollen abschrecken lassen von seinem beuelch, ob wir schon Empörung, krieg vnd ander ergernus sehen, denn ehr spricht, Non venj mittere pacem, sed gladium, Ich binn nit khomen friden zu senden, sonder das suert. Der gleichen haben wir Exempla, Moises mußte fort, vnd seynen beuelch außrichten, wie wol ehr sahe, das das aller schoenest reich auff erden[1]) drob zu poden gehen müßt. Nu Ist der beuelch das Euan-

1) Spalatinus in margine autographi Melanchthonis annotavit: das konigreich zu Egypten.

gelium zu predigen viel hoher vnd grosser, denn Moises beuelch, denn ehr betrifft die Ehr Christi, daran gott viel gelegen ist, betrifft das Ewig leben, betrifft die gantz welt, nit alleyn eyn volk, wie Moises beuelch.

So wissen wir Inn der warheit, das aller streyt ob disem eynigen artikel ist, das wir leren, das wir durch glawben an Christum, nit durch vnser eygne werk vnd verdienst, vergebung der sunden erlangen, vnd das man sich gewißlich des trosten soll, vnd daruff verlassen, das wir vmb Christus willen, nit durch vnser verdienst, gnad erlangen, denn Christus Ist alleyn gesetzt als der versöner, des gerechtikeyt vns geschenckt wirt durch den glawben.

Dise lahr will das gegenteyl nit leyden, dweyl nu der handel so wichtig vnd die ehr Christi belanget, vnd viel grosser ist, denn Moises sach, mussen wirs auch gott beuehlen, es khomen ergernus, krieg, oder anders.

Christus vnd die Apostel haben auch gesehen mit grossem smertzen, das der Juden reich zu poden gehn wurde, von wegen der vervolgung des Euangelij, haben dennoch müssen fort faren, vnd yhr ampt außrichten.

Diß alles ist der massen gegrundet, das wir nit zweyfeln, das wir for gott also zu lehren schuldig gewesen, es gehe wie gott will, vnd mogen die vnsern billich nicht schismaticj gescholden werden, dweyl sie durch gottes gepott gedrungen sind, die mißbreuch zu straffen vnd nicht schuldig gewesen, auff Bapst vnd Bischoff zu warten, sonderlich dweyl Bapst vnd Bischoue solche lahr verdammet vnd verfolget haben [1]).

Dergleichen auß ob angezeygten vrsachen ist das volk auch schuldig gewesen, dise lahr anzunemen, die alden yrthumb vnd mißbreuch fallen zu lassen, als nemlich die vnrechten vnd ergerlichen messen, falschen vnd gottlosen wahn vom closter leben, eheloß leben :c.

Denn diser beuelch gottes von Christo, Hunc audite, betrifft nit alleyn die prediger, sonder auch die zuhörer, vnd die gantz weltt, darumb ist Jedermann schuldig, dem Euangelio zu volgen vnd nicht zu harren, so lang biß Bapst vnd Bischoue zulassen oder bestettigen, Es stehet nit, Papam audite, Episcopos audite, Es stehet von Christo, Hunc audite. Item Si quis aliud Euangelium praedicauerit, anathema sit.

Die ander frag.

Ob auch die fursten recht gethan, das sie nit alleyn fur yhr person die lahr angenomen, sonder haben auch gestattet, die mißbreuch zu endern, Item haben In clostern vnd stifften die alden mißbreuch nicht dulden wollen.

Antwort.

Aus vor angezeygten vrsachen Ist clar, das die fursten recht gethan haben, das sie dise lahr fur yhre person angenomen,

1) haben.] hanc vocem in illo autographo Spalatinus adscripsit.

Daraus folget nu, das sie recht gethan haben, das sie zugelassen, das die geistlichen selb yhre mißbreuch haben fallen lassen.

Denn wie hette den fursten geburet, dise lahr zu vervolgen, die prediger zu verjagen vnd ermorden, so sie doch die lahr fur recht gehalden.

Ja, wenn schon die fursten dise lahr nit hetten billichen wollen, sonder weren Jnn zweyfel gestanden, ob sie recht oder nit, hetten sie dennoch recht gethan, das sie Jnn solchem Zweyfel kheyn tyranney hetten wöllen furnemen wider die armen priester, viel weniger hette yhn geburt, wider yhr eygene gewissen die erkante warheit zu verdammen vnd zu vervolgen, vnd wiewol keyser vnd andere potestaten gebotten, dise lahr zu vervolgen, nicht zu endern, sind sie doch nit schuldig gewesen, solchen Edicten zu volgen, wie auch Jonathan seynem vatter vnd konig nitt gehorsam was, do ehr Jm gebott den Dauid zu bringen, sonder wagt seyn eygen leyb vnd leben, den Dauid zu retten vnd nitt zu vervolgen, vnd Abdias erhieltt hundert propheten wider seynes königs Achab verbott.

Dweyl nu die fursten schuldig gewesen, dise lahr[1]) vnd abthuung der mißbreuch nit zu vervolgen, khan man sie billich nit schismaticos schelden, dweyl sie doch hierinn anders nit gethan, dann dazu sie aus gottes gebott gedrungen sind, vnd haben kheyn freuelich oder muttwillige sonderung furgenomen.

---

97. No. 898ᵇ. (Vol. II. p. 361.) 11. Sept.

Mart. Lutherus ad Phil. Melanchthonem.

Vide de Wettii collectionem Tom. IV. p. 162 sq. No. 1301.

---

98. No. 902ᵇ. (Vol. II. p. 372.) 15. Sept.

Idem ad eundem.

Vide ibid. Tom. IV. p. 164—166. No. 1303.

---

99. No. 908ᵇ. (Vol. II. p. 383.) 20. Sept.

Idem ad eundem.

Vide ibid. Tom. IV. p. 168 sq. No. 1306.

---

100. No. 928ᵇ. (Vol. II. p. 408.) 21. Oct.

Senatui Gorlicensi.

Haec epistola ex autographo, quod in Milichiana Bibliotheca Gorliciae asservatur, quibusdam omissis edita est a Christ. Dan. Brueckner in

---

1) Spalatinus huic voci in margine adscripsit: des ewangelij.

hocce scripto: Zweyter Beytrag zur Kirchen- und Predigergeschichte der Churfürstl. Sächs. Sechsstadt Görlitz vom sechzehenden Jahrhunderte bis auf gegenwärtige Zeit beym Ausgange des 1770sten Jahres entworfen von Christ. Dan. Brücknern. (Görlitz, 1 plag. 4°.) p. 14. (in hoc secundo fasciculo paginae primi continuantur.)

Den Erbaren, fürsichtigen vnd weysen Burgermeistern vnd Rath der Stadt Gorlitz, meynen gunstigen Herren.

Meyn willigen dienst zuvor. Erbare, weyse, gunstige Herrn, wie es sich zugetragen, das Er Johann pomeranus auß fürfallender nott, Ewr schrifft an yhn[1]), mir zugestellt, wird ewr gesanter, zeyger diser schrifften gnungsam berichten, nachdem ich aber vermerckt, das ewer prediger, so biß anher bey euch das heylig Evangelium trewlich geprediget hatt kheyner vrsach halb, denn von wegen seynes Ehestands, von euch abgesetzt — — will ich euch nicht bergen, das mir neben andern beschwerlich gewesen ist, mit jemand auff der meynung, wie yhr geschrieben habt, zu handeln. — —. Es hat sich auch dieser meyn gunstiger Freund, Er Wolffgang Schyftel, nicht gern wollen gebrauchen lassen, zu solcher — — Handlung — —. Jedoch hab ich aus fleissigen anhalten ewres gesanten, darzu, auch Er Johann Manteis, allerley besserung, so fürfallen möcht bedacht vnd bewogen, vnd insonderheit das zu besorgen, das diejenigen, so an dieser Handlung nicht schuld haben, des Evangelii gantz möchten beraubt werden, derhalben haben Er Johann Mantel vnd ich mit gedachten Wolffgang gehandelt vnd yhn vermocht, zu euch zu ziehen, doch also, das wir, samt yhn, euch bitten, vnd vermahnen, den alden prediger zu behalten, vnd nicht der ehe halb zu verstossen — — hoffen dagegen, yhr werdet euch gegen yhn, als die verstendigen freundlich erzeygen, euch zu dienen bin ich willig. Den Freytag nach Lucae Anno 1530.

E. williger
Philippus Melantho.

101. No. 936b. (Vol. II. p. 435.) 8. Nov.

Iust. Ionas, Mart. Lutherus et Phil. Melanchthon ad Ioannem Ducem Sax. Electorem.

Hanc epistolam legas in Burkhardti libro supra recensito p. 186 sq.

102. No. 940b. (Vol. II. p. 440.) 14. Nov.

Ioannes Dux Sax. Elector ad Iust. Ionam, Mart. Lutherum et Phil. Melanchthonem.

Vide ibid. p. 187.

1) Hanc Senatus Gorlicensis epistolam d. 15. Oct. 1530. ad Iohannem Bugenhagium datam idem Brueckneruss in tertio fasciculo (Görlitz 1771. 4°.) p. 19. edidit.

103. No. 949b. (Vol. II. p. 450.) (hoc anno.)

Iohanni Webero.

Haec epistola h. l. repetitur ex hoc scripto: Incintae Academiae Ienensi Serenissimi Saxoniae Ducis Iohannis Friderici Constantia auspiciis conditae Seculum tertium mense Februario anni MDCCCLVIII prospere peractum diebus XV. XVI. XVII. Augusti sollenniter celebrandum votis pro perpetua felicitate susceptis gratulatur pristinae inter Ienam et Vitebergam necessitudinis memor Gymnasium Vitebergense. (Vitebergae. 1¼ plag. 4°.) Addito altero titulo: D. Martini Lutheri una M. Philippi Melanthonis duae epistolae ineditae nunc primum iuris publici factae a Theophilo Stier Gymnasii Vitebergensis superiorum ordinum collega, etc. Accedit epistola Lutheri a Dewettio parum recte edita. — Quo anni mense haec epistola p. 8. No. II. exhibita scripta sit, neque ex actis causae potest accuratius definiri, neque aliis indiciis. Causa ipsa, ad quam epistola spectat, ab editore p. 5 sqq. illustrata est.

Viro venerabili
D. Iohanni Weber Pastori Neustatensi.

S. D. Bene facis, quod constanter attingis controversias matrimoniales. De negotio d. georgii[1]) sic sentio quod illud matrimonium contractum, cum mulier incerta esset de vita, ac voluntate viri prioris (qui ipsa consentiente abiit) sit irritum. Est igitur liber georgius. Sed movet me scandali ratio, ne statim concedam ei ducere aliam uxorem. Agendum prius est per magistratus cum illa muliere, aut per vos cum amicis mulieris, ut res exploretur de vita prioris mariti certo. Si ipsa mulier velet abire ad priorem maritum, non detineas eam, quia hoc secundum coniugium non est iure contractum. Habes meam sententiam, quam te rogo ut ita modereris, ne plus offensionum ex hac re oriatur. Vale feliciter 1530.

Philippus.

Prohibebis etiam ne georgius et illa mulier, re inexplorata, redeant ad se mutuo. Sed si consentit virum esse mortuum, scandali caussa velim georgium hanc mulierem retinere.

---

1) Georgius Jüngkling, sacerdos Neustadii, quod ad Orilam situm est, electus initio anni 1529. Plauense coniugium contraxerat cum Elisabetha Moseria, quippe quae, quia prior Hieronymus Malter, artis balistariae scientissimus, anno 1526. cum Ludovico rege ad pugnam Mogacensem profectus non redierat, viduata putabatur. At tribus septimanis post foedus coniugale ab Elisabetha iterum Initum ille prior maritus per literas indicat, se in Hungaria retineri arte sua exercenda occupatum, atque petere, ut uxor sua Budam mittatur.

104. No. 949 [e]. (Vol. II. p. 450.) (hoc anno.)

Roelicero.

Hanc Melanchthonis epistolam, quam R. Zeune Berolinensis in suo Indice XIII. autographorum p. 13. No. 200. venalem obtulit, nondum vidi.

ANNO 1531.

105. No. 956 [b]. (Vol. II. p. 470.) 31. Jan.

Consilium Lutheri, Ionae, Melanchthonis et Spalatini ad Iurisconsultorum Vitenbergensium de defensione necessaria instructionem spectans.

Vide Burkhardt l. l. p. 188 sq.

---

106. No. 986 [b]. (Vol. II. p. 504.) (circa m. Junium.)

Iohanni Webero.

Hanc epistolam repeto ex illo scripto supra No. 103. recensito, ubi p. 9 sq. No. IV. primum edita est. Pertinet non solum ad istam causam Georgii Jüngkling, sed etiam ad hanc alteram Johannis Nicolai, in vico Drescht seu Dreitzch prope Neustadium ad Orilam sito plebani. Hic enim vere anni 1527. Iessae Saxoniae oppido sibi desponderat Evam ab Erbessio quodam viduam relictam Mellerstadio Franconiae oppido oriundam, ac nuptias Suinitii rite celebraverat. At d. 28. Oct. 1530. uxor ista, de improviso deserto coniuge, clanculum rediit in patriam, ut coniiciebatur, ad sororem Mellerstadii habitantem. Post aliquot menses maritus derelictus, Iohannis Weberi superintendentis consilio usus, adiit Lutherum et Melanchthonem, quorum ille Ianuario 1531. suasit, ut mulier in ius revocaretur; si non apparuisset, in contumaciam damnaretur, divortiique dicta sententia marito novi coniugii libertas permitteretur. Similiter postea etiam Melanchthon iudicavit. — Cum extrema linea huius epistolae cum ipso auctoris nomine desit, tempus, quo scripta sit, nonnisi ex verbis: „Apologiam confessionis nostrae recudo“ coniicere licet. Haec enim consentiunt cum illis, quae Melanchthon d. 7. Junii 1531. ad Brentium scripsit: „Nunc enim recuditur Apologia.“

Viro optimo d. Iohanni Weber
Pastori Neustatensi amico suo.

S. D. Dedi consilium Iohanni Nicolao, ut et privatim scribat ad fugitivam mulierem, petens ut redeat, aut de voluntate sua respondeat certo, et publice per magistratus a magistratibus istic ubi est mulier, petat eam remitti, etiamsi existimo hanc petitio-

nem irrisuros esse magistratus illius loci. Postea si illa nolit redire, liber pronuntietur, si tamen mulier etiam responderet, se nihil accusare in viro. Non est alia via in hac re tutior. De negotio d. georgii placet mihi tua sententia. Tu tamen observabis pro tua prudentia, qualia indicia de ea re futura sint in populo. Valde enim pertimesco has offensiones. Christus tuum ministerium gubernet ad gloriam Evangelii. Ministrum tibi fidelem, et tranquillum, hominem mihi bene exploratum brevi mittam. Est enim in vicino quodam oppido, nec tam subito evocari potuit. Novi nihil habemus. Apologiam confessionis nostrae recudo, quam spero bonis viris futuram gratam. Ubi erit absoluta, mittam tibi. Nondum editum est edictum contra nos, nec satis scimus, quid parturiant tam diu adversarii. Quanquam ego in hac opinione sum, hanc aestatem non abituram esse sine tumultu, orabis igitur deum ut his . . . .

. . . .

---

107. No. 993 b. (Vol. II. p. 512.) (mense Jul. vel Aug.?)

Iudicium Melanchthonis de Campano ad Bugenhagium Lubecae versantem scriptum.

Hoc invenitur in MSS. theol. Bibl. Reg. Berol. et primum a Foerstemanno in Niedneri Zeitschrift für histor. Theologie anni 1846. Fasc. III. p. 497., postea iterum a Car. Aug. Traug. Vogtio in libro suo: Johannes Bugenhagen Pomeranus. Leben und ausgewählte Schriften (Elberfeld, 1867. 8°.) p. 339. not. 3. publici iuris factum est. Bugenhagius hoc sic inscripsit: „Iudicium Philippi ad me Pomeranum anno MDXXXI. cum eram Lubecae.“ Ibi Evangelii docendi causa versatus est inde a d. 28. Oct. usque ad mens. Mart. 1532., conf. Vogt l. l. p. 338. not. 2. Melanchthonem hoc iudicium ad Bugenhagium scripsisse mense Iulio vel Augusto, ex eo coniicere licet, quod de eodem Campano (seu Kopmann) Melanchthon d. 15. Juli 1531. ad Conr. Heresbachium (Corp. Ref. II. p. 512 sq.) et Lutherus d. 13. Aug. ad Senatum Brunsuicensem (de Wette IV. p. 277 sq.) scripserunt.

Campanus ille fanaticus misit huc libros veneni plenos, litigat cum Luthero et Philippo et Pomerano, convellit doctrinam ecclesiae de trinitate, sanctum Spiritum omnino negat personam esse, filium non tollit, sed fingit, non magis unum esse cum patre, quam Adam et Eva sint unus homo. Ita aut duos deos ponit, aut filium non vere deum esse iudicat. Facit enim, quod solent haeretici, non satis explicat quid velit. Certe hoc palam dicit: filium non semper fuisse cum patre, sed patrem prius fuisse, postea filium genuisse, aeternum quidem, sed tamen infra aeterni-

tatem. Audis fanaticum hominem. Reliqui articuli omnes [1]) sunt merae *λογομαχίαι*. Haec scribo, ut isthic praemunias animos tuorum adversus huiusmodi venena. Bene vale.

---

108. No. 1000[b]. (Vol. II. p. 520.) (mense Aug.?)

Fragmentum epistolae Melanchthonis ad Thomam Blaurerum scriptae, quod Thomas Blaurerus epistolae ad Ambr. Blaurerum 25. Aug. scriptae inseruit.

Vide Keim Schwäbische Reformationsgeschichte (conf. supra p. 13. No. 23.) p. 300. No. XVIII.

Admonet me ea mentio, quam facis conceptarum insidiarum in Zwinglianos, quas fieri quidam posse arbitrantur composito cum Lutheranis negotio, ut significem tibi de literis, quae ad me perlatae sunt a ***Philippo Melanchthone***, in quibus censet, nos posse aliquid apud Lutherum conficere. Verba epistolae sunt:

Optarem autem, te aut tuum fratrem *πρὸς ἡμέτερον θεολόγον ἐπιστέλλειν περὶ ἐκείνου πράγματος*, quare, cum a vobis dissentire velit, ponat *τὸ σῶμα Χριστοῦ οὕτως πως σὺν τῷ ἄρτῳ εἶναι, ὥςπερ πανταχοῦ ὁ Χριστός ἐστιν. Εἰ γὰρ οὕτως πάρεστι κατὰ τὴν κοινωνίαν ὑποστάσεων, σῶμα οὐ πάρεστι σωματικῶς, ἀλλὰ ὁ Χριστὸς πάρεστιν οὐ κατὰ σῶμα, ἀλλὰ κατὰ τὴν θεότητα καὶ ταῦτα συμφωνεῖ τῷ Αὐγουστίνῳ.* De hac re velim, inquit, te aut alium quempiam, sed sine contumelia et sine mentione nominis mei interrogare.

Vide frater, quantum Philippus concedat et quid hominis unicum sit desiderium. Proinde, si tu hoc ad Lutherum scribendi munus velis suscipere, fac sciam; nam in tempore ut fiat, res ipsae urgent.

---

109. No. 1002[b]. (Vol. II. p. 530.) (mense Aug.)

Lutherus, Ionas et Melanchthon ad Ioannem Ducem Saxoniae Electorem.

Haec epistola, in qua ab Electore petitur, ut Iohanni Walthero Torgensi, musicae artis perito stipendium praebeat, deest, vide Burkhardt l. l. p. 197.

---

1) omnes] sic Foerstem., apud Vogtium deest.

ANNO 1532.

110. No. 1055 b. (Vol. II. p. 590.) 26. Maii.

Lutherus et Melanchthon ad Ioannem, Ducem Saxoniae Electorem.

Haec epistola, in qua uterque intercedit pro Thoma Neuenhan (Neuenhagen) Ienacensi, desideratur, vide Burkhardt l. l. p. 205.

111. No. 1057 b. (Vol. II. p. 592.) 1. Junii.

Ambrosio Blaurero.

Ex apographo collectionis Simlerianae Tigurinae (S. Msc. 32.). Apographon huius epistolae aliena culpa periit, quapropter h. l. omittitur; sed in huius libri fine exhibebitur, si alterum eius apographon accepero.

112. No. 1063 b. (Vol. II. p. 599.) 28. Junii.

Ioannes Dux Saxoniae Elector ad Lutherum, Bugenhagium et Melanchthonem.

Haec epistola videatur apud Burkhardtum l. l. p. 205 sq.

113. No. 1067 b. (Vol. II. p. 604.) (c. 3. Aug.)

Ioachimo Marchioni.

Haec epistola primum edita est in hocce libello: Zwen Trostbrieve, geschriben an den Durchlauchtigen, und hochgeborenen Fürsten und Herrn, Herrn Joachim Churfürsten und Marckgraven zu Brandenburg ꝛc. vom Türcken zuge. D. Martin. Luther. Philip. Melanton. (In fine:) Gedruckt zu Nürmberg, durch Johann vom Berg, und Ulrich Neuber. Lutheri epistola, quae in de Wettii collectione Tom. IV. p. 391—394. No. 1468. exhibetur, data est d. 3. Aug. 1532. Melanchthonis epistola eodem fere tempore latine scripta in hoc libello in vernaculam linguam translata est subiunctis latinis verbis, quibus auctor ipse usus est. Utraque lingua hanc Melanchthonis epistolam ex illo libello repetiit Max Töppen in libro suo: *Die Gründung der Universität zu Königsberg und das Leben ihres ersten Rectors Georg Sabinus.* (*Königsberg* 1844. 8º.) p. 304—307. — Inscriptionem et subscriptionem, quae in lat. epistola apud Toeppium desunt, ex illa d. 16. April. eiusdem anni ab eodem ad eundem data, quae in Corp. Ref. Vol. II. p. 575—577. legitur, ipse addidi.

Illustri Principi ac Domino Ioachimo Marchioni Brandenburgensi Principi Pomeraniae, Burggravio Noribergensi etc. Domino suo clementissimo.

Et reipublicae gratulor Celsitudinem vestram mitti ad Patriae, atque huius Imperii defensionem. Et vestrae Celsitudini gratulor

hanc mentem, quod a Deo auxilium et salutem petit. Christus ait: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. His freti promissis, oramus Deum, ut propter Christum et gloriam sui nominis Celsitudinem vestram gubernet, tueatur, defendat, et vos foeliciter reducat victores, reiectis ac deletis immanissimis hostibus. Id precari, id orare, et pro nostro Imperatore clementissimo, atque optimo Principe, et pro Celsitudine vestra, et universo nostro exercitu convenit. Etenim cum omnes omnium gentium historias, populorum mores, militiam, domesticam aut Castrensem disciplinam, res gestas atque Imperia colligo atque considero, invenio nullam extitisse nationem, in qua plus fuerit impietatis, crudelitatis, flagitiosarum libidinum, denique immanitatis in omni genere, quam in Turcis. Alii Reges ac populi ita gesserunt bella, ut postea Rempublicam legibus, moribus, et religione ornarent. At Turcae nullis iustis causis bella movent, gerunt crudelissime. Postquam vicerunt, Religiones, bonos mores, et totam Civilem disciplinam tollunt, et devictas nationes ad misserrimam et foedam servitutem redigunt. Itaque sciat Celsitudo vestra, bellum iure, et mandato Dei, tanquam adversus sevissimos latrones gerendum esse. Ipsi enim iam inferunt bellum tot seculis, et in lege sua Machometica id profitentur, se hostes esse omnium gentium. Itaque tanquam latrones depelli debent. Magna consolatio est tenere, quod mandato Dei cogamur eos depellere. Hac consolatione confirmet se Celsitudo vestra, et meminerit Deum adiuvare nos, quum ea gerimus quae iussit, ut ait David: Revela Domino viam tuam, et ipse faciet. Sed nolo esse prolixior. Extant enim libelli de hac re diligenter et accurate scripti, et lectu utiles. Christus regat, gubernet, ac defendat Celsitudinem vestram. Amen.

Cels. V.

deditissimus
Philippus Melanthon.

---

114. No. 1068 b. (Vol. II. p. 604.) (ineunte Aug.)

Ioannes Dux Saxoniae Elector ad Lutherum, Ionam, Melanchthonem et Pauli Wittenbergae.

Hanc epistolam primum edidit Burkhardt l. l. p. 206—208., ubi legatur.

115. No. 1087 b. (Vol. II. p. 622.) (a. 1532.)

Iudicia Lutheri, Melanchthonis et aliorum Theologorum Witenbergensium de defensione licita.

Haec iudicia legantur in Lutheri Operibus German. Ed. Ienens. Tom. VII. fol. 280 a — 283 a. et Ed. Erlangens. Tom. LXIV. p. 269 — 276.

---

116. No. 1087 c. (Vol. II. p. 622.) (a. 1532?)

Consilium Melanchthonis.

Hoc consilium legatur in Lutheri Operibus German. Edit. Erlangens. Tom. LXIV. p. 278. In hoc enim Tomo p. 277 — 280. ex Hortlederi opere vom deutschen Krieg Tom. II. p. 61. recuditur „Rathschlag Dr. Martin Luthers, Phil. Melanchthons und Johann Bugenhagens von der Frage: Ob ein Fürst seine Unterthanen wider des Kaisers oder anderer Fürsten Verfolgung um des Glaubens willen mit Krieg schützen möge? In utroque libro aeque ac in Walchiana Edit. Operum Lutheri Tom. X. p. 673. huic consilio adscriptus est a. 1523.; equidem suspicor, potius annum 1532. esse adscribendum.

ANNO 1533.

117. No. 1108 b. (Vol. II. p. 648.) 25. April.

Ioanni Cochlaeo.

Hae litterae leguntur in Ioh. Balthas. Ritteri libro: Evangelisches Denckmahl der Stadt Franckfurth am Mayn, etc. (Franckfurth a. M. 1726. 4°.) p. 181. Cochlaeus enim libellum sic inscriptum; „Von dem Geystlichen Priesterthum Christi vnd aller Gottgläubigen zehen Schluß-Reden, fürnemlich auß der Episteln zun Hebreern den hallstarrigen Pfaffen, an denen wedder Bitt, Warnung noch Straff helffen will, zum Faßnacht-Küchlein. Phil. Mel. (In fine quarti folii:) Ex — — — vltima Januarii, Anno MDXXV." ex Moguntia acceperat, sed ipse dubitaverat, Melanchthonem eius esse auctorem. Ut de hac re certior fieret, 1533. ad eum scripserat ac libellum miserat (vide ibid. p. 179.). Huic Melanchthon his litteris respondit.

Responsio Philippi Melanchthonis ad Ioannem Cochleum.

Salutem dicit. Habeo tibi gratiam et misso exemplo propositionum, quae sub meo nomine, nescio ubi, editae sunt. Non enim vidi antea, tantum abest, ut ipse scripserim. Meque non esse Autorem, testantur phrasis, Dialectus et illae obscenae ac scurriles figurae, a quibus ego natura abhorreo. Ad haec, quoties id argumentum tracto, discernere soleo inter Ministerium

Publicum Sacerdotum et Spirituale sacerdotium. Et constat meis literis praeclare ornari Ministerium Ecclesiae. Itaque recte feceris, quod me excusas, id scriptum non esse meum. Ego enim neque scripsi neque probo, Decrevi etiam me publico scripto purgare. Bene vale. Postridie Divi Georgii.

---

118. No. 1118[b]. (Vol. II. p. 656.) 4. Julii.

Monachis Hervordiensibus.

Haec epistola primum edita est a R. Baxmanno in Niedneri Ephemeridibus: Zeitschrift für die historische Theologie anni 1861. fasc. IV. No. VII. „Dreissig noch nicht gedruckte Briefe Luthers, Melanthons und einiger Zeitgenossen" p. 621. epist. VI.

Philippus Melanchthon piis et venerabilibus viris fratribus Collegii fratrum ut vocant Hervordiae suis amicis.

S. D. Luthero nunc non vacabat scribere, respondebit tamen alias, ac mihi mandavit, ut vobis significarem sibi displicere importunitatem istorum, qui vobis tam duriter adversantur. Quod est hoc novum dogma omnibus interdicere continentiam? Paulus aperte ait melius esse non nubere, si quis continere possit, et addit causam, ut expeditius servire possint ecclesiis. Itaque et ipse Lutherus non vult interdici continentiam omnibus, non vult tamen votis aut votis [1]) onerare vestros commilitones, aut alioqui ita alligare, ut se non possint commode explicare ex isto genere vitae. Optarim istos qui vobiscum hac de re litigant, cum velint perhiberi studiosi Evangelii, cum in aliis rebus, tum in hoc negotio erga fratres exercere plusculum aequitatis. Certe dilectio et aequitas ad Christianos etiam pertinent. Bene valete. die julii 4. anno 1533.

---

119. No. 1157[b]. (Vol. II. p. 696.) (a. 1533.)

Io. Rittesel.

Hanc epistolam, quam nondum vidi, O. A. Schulz Lipsiensis in autographorum Indice VI. p. 13. nr. 291. iterumque VIII. p. 8. nr. 66. venalem sic offert: „Deutscher Brief von Melanchthon an J. Rittesel 1533." Aliae duae eiusdem ad eundem epistolae, quibus annus non adscriptus est, leguntur in Corp. Ref. Vol. X. 38 sq. No. 7026 et 7027.

---

1) aut votis] haec verba, quae l. l. leguntur, delenda esse videntur.

ANNO 1534.

120. No. 1211[b]. (Vol. II. p. 780.) 27. Aug.

Mart. Bucerus ad Phil. Melanchthonem.

Ex apographo Simlerianae collectionis Tigurinae (S. Msc. 36.).

Philippo Melanchthoni.

Gratia et Pax Vir doctissime et pientissime. Dici non potest, ut me tuae literae exhilararint. Nam quae Tua Prudentia est, nihil tale Te moliturum scio, si non deprehendisses D. Doctoris [1]) animum sic habere, ut a tam sancta, nec minus necessaria Concordia minime abhorreat. Perge ergo hoc instituto, Te per Christum obsecro: devincies hic profecto Tibi universam Christi Ecclesiam eo beneficio, ut haud facile queas maiore. Annitemur Blaurerus, ego, et alii plerique pro summa virili, ne ab hac parte quicquam obstet. O beatos nos, si quorum spem plane non dubiam facis, potiri detur. Epistolam tuam, qua nobis sententiam vestram de officio Magistratus [2]) in eos, qui Ecclesiam pestilentibus exagitant Dogmatis, et eleganter exposuisti, et confirmatiss. probasti, accepi, et non modo nostro, sed et vicinarum Ecclesiarum magno commodo. Verum haec antehac, ni fallor, Tibi significavi. Responsum tuum ad pium illum Virum D. Langaeum legi, et subscribo Tibi in omnibus. Nam etsi perdifficilis videatur privatarum Missarum defensio, cum quod adeo cum instituto Christi male conveniant, tum quod aegre sic queant institui, ut fiduciae Operum, ex qua natae sunt, non rursum serviant: tamen videtur, non modo his Viris hactenus concedendum, sed illas etiam ea praescriptione, quam ponis, ferri posse, si reliqua, quae postulas, obtineri in universum contingeret. In ceteris, ne tantillum quidem est, ad quod offendi posse eos putem, qui vel mediocriter ad Regnum Christi instituti sunt. Illa quoque περὶ δικαιοσύνης moderatio proderit indubie plurimum. A cognitis sic facile ad incognita inducentur. Cum itaque Dominus dedit, ut plene per omnia nobis tam pulchre conveniat, fac, quod facis, Vir optime, excinde funditus dissidii illius pestilentissimi caussas, et si potes, mature. Instat enim nunc tanti Principatus [3]) Refor-

1) Nota Simleri: Lutheri.

2) (Simlerus adnotavit:) Hubertus in margine: Epistola de Magistratu: Multi sunt etc. . . . Dominica Laetare.

3) Wirtembergensis.

matio, cui quam vellemus Te adesse — Schnepfium nosti. Adest illi Blaurerus (quem virum scio Te probaturum ubi cognovis). Verum ut videtur, sicut Bibulus aderat Collega Caesari. Et tamen praesentiam Christi in Coena illi his ipsis verbis confessus est, quae ipsi nobis praescripsistis Marpurgi. Adesse videlicet Corpus et Sanguinem Domini, et exhiberi in Coena substantialiter et essentialiter, non autem quantitative, qualitative et localiter. Nos mallemus Verba Confessionis vestrae non quod non ipsum Christum vere ac solide, atque adeo substantialiter et essentialiter adesse, darique una confiteamur, sed quod praestare putemus, utrinque nos uti Verbis Scripturae, vel iis, quae et Vulgo queant intelligi. Quae etiam citius aliis persuadebimus. Sed da, Domine Jesu, ut colloqui copiose, cuius spem facis, de iis omnibus liceat, et brevi. Quia serum videbatur, rescribere per Mercatores, curavi has literas Tibi per Scribas Lantgravii praesentari. Optime vale, et commenda me D. Doctori, et reliquis Symmystis vestris. Id optant[1]) nostri omnes. Bedrotus nunc abest, alioqui scripsisset. Adiit salvendi animi caussa Grynaeum, quem utinam Princeps Wirtembergensis suae adhibeat Academiae. Vale quam felicissime. Argentorati VI Calend. Septemb. 1534.

T. Martinus Bucerus.

---

121. No. 1217[b]. (Vol. II. p. 787.) 16. Sept.

Mart. Bucero.

Ex apographo eiusdem collectionis (S. Msc. 36.).

Doctissimo Viro M. Bucero docenti Evangelium Argentinae, suo amico.

S. D. Hodie cum Luthero collocutus sum de Formula Concordiae, de qua inter vos convenit. Respondit, se eam probare, addens: Nihil enim dissimulato apud amicum; modo ut hoc sentiat. Itaque dedimus consilium Snepfio, ut sit contentus ea formula concordiae ac sententia, de qua cum Luthero Tu convenisti. Ac scripsimus idem Principi Hessorum. Ego si queam mea morte redimere concordiam, libenter effunderem hanc animam; sed vides, quae multorum sint ingenia. Me nemo perpellet unquam *μάχεσθαι ὑμῖν*. Landgravium hortatus sum, ut det operam, ut suscipiatur negotium faciendae concordiae: fortasse aliquid confici poterit rebus agitatis, quanquam aditus est ad concordiam non aspernandus nec difficilis Tua Ambrosium[2]) non

1) optant (?)] in apographo legitur: oeant

2) Nota Simleri: Blaurerum.

minus amo quam Tu, et habeo fortasse necessitudini plures caussas. Summa mihi cum ipso familiaritas, cum Fratre [1]) maxima coniunctio et suavissima. Ac profecto utrumque non minus quam fratrem meum germanum amo, qui mihi carissimus est. De Gallico Scripto vides, me de Missis nihil nisi disputationes movisse: Quid enim adhuc aliud illis proponeretur? Nos demus operam, ut inter nos constituamus piam ac solidam concordiam. Bene vale. XVI Septembris (1534.) Salutu amicos.

Φίλιππος.

ANNO 1535.

122. No. 1244 b. (Vol. II. p. 825.) 31. Jan.

Ioanni Duci Saxon. Electori.

Haec epistola, in cuius parte aversa Cancellarius D. Gregorius Brück Electoris decretum adscripsit, ex autographo a me descripta h. l. primum editur.

Dem Durchleuchtesten hochgebornen fursten vnd herrn, Herrn Johanssen, Churfursten, hertzogen zu Sachsen, Landgrauen zu Doringen, vnd marggrauen zu Meissen, meinem gnedigsten Herrn.

Durchleuchtester hochgeborner Churfurst vnd Herr. E c f g sind meine arme Dienst In vnterthenickeit zu vor. Gnedigster churfurst vnd Herr, nach dem Zeiger diser schrifft magister Mauricius, dweil ehr In E c f g land zu Olsnitz geborn vnd erzogen, bedacht an E c f g zu supplicirn, hatt ehr mich vmb ein Zeugnis von seinen studijs vnd wesen gebeten, welches ich jhm nit hab gewist [2]) abzuschlagen, derhalben bitt ich vnterthenigllch E c f g wollen dise meine schrifft gnediglich vernemen, vnd fuge E c f g zu wissen, das diser Mauricius ein fromer zuchtiger gesell ist, vnd von natur Zum studio wol geschickt, hatt auch seer wol studirt, vnd dweil ehr sich nu ettlich Jar vff die kunst der medicin geben bey Doctor Aurbach, des kinder ehr geleret hatt, wölt ehr gern in Italien zihen, da zu ehr hulff bey E c f g suchet, Darumb bitt ich vnterthenlglich E c f g wollen yhr disen gesellen, als ein armen vnterthan, vnd von wegen seiner guten geschicklicheit gnediglich lassen beuohlen sein, denn zu erhaltung guter kunsten, ist Ja von noten, das guten Ingenijs Furderung widerfahre, So hatt sich auch diser Mauricius, ob ehr gleich zu Leiptzck gewesen, mit der Religion vnd sonst nach der schul zu witeberg gehalden vnd

---

1) Nota Simleri: Thoma Blaurero.

2) i. q. gewußt.

wirt sich one Zweifel alle Zeit In vnterthenikeit dankbar erzeigen, Gott bewar E c f g alle Zeit gnediglich, Datum zu Witeberg Sontag nach Conuersionis Pauli 1535

E c f g

vntertheniger

diener

philippus Melanthon.

In huius epistolae parte aversa hoc responsum d. 7. Febr. 1535. adscriptum est:

Vf diese magistri philipssenn Melancton vorschrieft, hadt vnnser gnedigster her gewilligt, wen etwo von geistlichen prebenden sich eine vorledigen wurde, Das Ime die vff ein anzalh Jhar sol verliehen werden. Doch das er Zu wittennberg in der medicin studiren soll. Datum weymar Sontags Esto mihi 1535.

Cantzler g D. .

---

123. No. 1244 c. (Vol. II. p. 825.) 31. Jan.

Mart. Bucerus ad Melanchthonem.

Hanc epistolam ex autographo in Epist. Buceri Vol. II. p. 6. Scrinii Eccl. Argent. descriptam per V. Clar. Voegelinum accepi.

Clarissimo totius melioris et sanctioris eruditionis Antistiti, M. Philippo Melanchthoni, Patrono suo singulari.

Gratia et Pax, Philippe observandissime. Quam vero me beat, quoties nostri colloquii, quamlibet brevis recordor; recordor autem fere perpetuo. Quid enim animum Christianum, huic maxime addictum ministerio, et in hoc tam perturbato rerum statu, maiore perfundat voluptate atque cernere, muniri viam ad iustam Ecclesiasticarum rerum constitutionem! In horas multa animi solicitudine expecto, quid nobis effeceris. Misi mox ex itinere formulam nostram[1]) ad omnes superioris Germaniae Ecclesias, ubique gestiunt bonorum animi et nobis nihil non debere se profitentur, modo Dominus donet, ut D. Lutherus vel ferat nos, sed fratres in hac confessione. Capito interea Basileae fuit, viamque struxit, ut bona sit spes, Helvetiis quoque veram et exhibitionem et praesentiam Domini in Coena posse persuaderi, impetrarique, ut eam solide confiteantur. — Brentius solus omnibus iniquior nodum quaerit in scirpo, suspicatus, perfide scripta

---

1) (Nota Simleri:) Hubertus ad marginem: Puto istam esse: Negamus transsubstantiationem.

a nobis, quae ad Monasterienses hac de re scripsimus: et hic turbat nobis Schnepfium, alioqui aequiorem ex tua monitione. Hailbronnenses noluerunt tuo subscribere responso in Franciam. Althamerus quoque exigit palinodiam; plus tamen videtur illi quam Brentio nostra confessio satisfacere. Sed mittam ei nostram formulam; ea forsan satisfaciet. Nos omnes, ne dubita (ita ut convenit) bona fide praestavimus et ad concordiam Ecclesiarum, quo semel religio vel aliquo pacto queat restitui. Optime vale. Intra horam rescivi hunc puerum, qua et abeundum illi fuit. Commenda me D. Doctori[1]) et recrea nos bono nuntio. Saluta meis verbis quam officiosissime M. Franc. et reliquos tuos. Argent. pridie Calend. Febr. (1535.)

Tuus Bucerus.

---

124. No. 1257 b. (Vol. II. p. 846.) 15. Febr.

Philippus Landgravius Hassiae ad Melanchthonem.

Hanc epistolam nondum editam memorat Christoph. Rommel in libro suo Geschichte von Hessen Tom. III, P. II. (Cassel 1830. 8°.) in Annotatt. p. 148 nr. 8.). Eam nondum vidi.

---

125. No. 1261 b. (Vol. II. p. 854.) 2. Mart.

Lutherus et Melanchthon ad Ioannem Fridericum Ducem Saxoniae Electorem.

Hanc epistolam a Melanchthone scriptam, cui etiam Lutherus subscripsit, legas apud Burkhardtum l. l. p. 230.

---

126. No. 1271 b. (Vol. II. p. 871.) (m. Aprili aut Maio.)

Osiander ad Melanchthonem (et Melanchthonis responsio).

Huius epistolae Melanchthon mentionem fecit in epistola ad Mart. Bucerum d. 9. Maii 1535. (in Corp. Ref. Vol. II. p. 873. No. 1274.) his verbis: „Ultro ad me scripsit amantissime de te *Osiander*.“; sed hucusque nondum inventa esse videtur, neque Melanchthonis ad eum responsio. Conf. Ch. Gotthold. Neudecker Merkwürdige Aktenstücke aus dem Zeitalter der Reformation. P. I. (Nürnberg 1838. 8°.) p. 101. not. 6.

---

127. No. 1280 b. (Vol. II. p. 880.) 4. Jul.

Viduae cuidam Merseburgensi.

Haec epistola primum edita est a K. F. Th. Schneidero in hocce libello: *Luthers Promotion zum Doctor und Melanthons zum Bacca-*

---

1) Nota Simleri: Luthero.

laureus der Theologie. Nebst zwei bisher ungedruckten Briefen Melanthons. (Neuwied, 1860. 8°.) p. 35 sq. nr. I., ex quo eam h. l. repeto.

Der Erbaren vnd tugentsamen frawen, N. des alten Camerers nachgelaßne witfrawen zu Mersburg, zu handen.

Gottes gnad vnd trost durch vnsern herrn Jhesum Christum, Erbare tugentsame frawe. So es gottes will gewesen, wölt ich euch viel lieber ein frolicher bottschafft zugeschriben haben, Aber nach dem es gott also geschickt, hab ich euch disen fall auch nit verhalten wöllen, vnd fuge euch zu wissen, das durch gottes willen ewr lieber son, Basilius, so alhie studirt hatt, am tag Visitationis der allerheiligesten Jungfrawen Marie, christlich gestorben ist, vnd aus disem elenden leben, in das ewig selig leben, als ich nit zweifel, geschiden, vnd hatt sich also zu getragen, am vergangen Montag zuuor ist ehr in der nacht krank worden, an einer pestilentia, welche so gifftig hart gewesen, das khein artzney hatt helffen oder wirken wöllen, Denn warlich aller moglicher vleis, durch die Artzt geschehen ist, im das leben zu erhalten, Aber die krankheit ist zu gros gewesen, das ehr also am vierden tag sein leben volendet hatt, vnd ist nit lenger gelegen,

Wiewol ich nu weis, das euch als der mutter diser vall, groß leid vnd schmertzen bringen wirt, wie denn solchs naturlich, vnd billich ist, so bitt ich euch doch vmb gottes willen, ihr wollet gottes gebott in ewrem schmertzen auch bedenken, nemlich, das man trawren soll, doch nit zu seer, sondern soll dem schmertzen widerstehen vnd trost durch gottes wort annemen, denn gott foddert gedult, so wißt yhr das sterben vnd leben nit vnser eigen ist, sondern ist allein in gottes hand, dweil es nu gottes will also gewesen, so wöllet ewr hertz in gottes gehorsam ergeben, Da zu ist ewr lieber son Basilius in seiner iugent, ehe ehr die welt erkant, vngluk erfaren vnd noch in seiner vnschuld, verschiden, das yhr nit zweifeln solt, ehr ist bey Gott, in ewiger seligkeit, vnd bitt ietzund fur euch vnd seine lieben bruder vnd schwestern, denn ehr ist zuchtig, vnd gottsforchtig allezeit gewesen, vnd hatt ein guten christlichen verstand gehabt, Ach wie offt wunsch ich mir, das ich in solcher vnschult, vnd mit solchem christlichen verstand gestorben were, Dis vnd der gleichen viel vrsach wöllet bedenken, vnd euch, als eim Christen geburt, trösten vnd ewr hertz nit zu seer in trawren sinken lassen, Denn dises ist der hohen christlichen tugent eine, die gott fodert, das wir vnsere hertz zu gedult schiken, vnd vns selber trosten durch gottes wort, Christen mussen lernen leiden, wie auch vnser herr Christus selb hatt geliden, der wölle euch gnediglich trosten vnd sterken, Amen, datum zu Witeberg vff sontag nach visitationis B. Mariae 1535.

Philippus Melanthon.

128. No. 1284 b. (Vol. II. p. 889.) (fere med. Jul.)

Ioannes Fridericus Dux Saxoniae Elector ad Lutherum, Ionam, Bugenhagium, Melanchthonem et Crucigerum.

Haec epistola sine dato, quae a Burkhardto l. l. p. 233 sq. exhibetur, eiusdem iudicio scripta est eo tempore, quo pestis Witebergae grassabatur, sed Academis nondum inde Ienam secesserat secundum decretum, quod d. 18. Jul. a Rectore Academiae Witebergensis studiosis indicabatur, vid. Corp. Ref. Vol. II. p. 890.

---

129. No. 1287 b. (Vol. II. p. 891.) 21. Jul.

Concionatoribus Augustanis.

Haec epistola a Melanchthone latine scripta hac lingua primum edita est a Viro Rev. Carolo Schmidt in Niedneri Ephemeridibus Zeitschrift für die historische Theologie anni 1846. Fasc. III. p. 433—442. nr. XVI. inscripto: Dreizehn ungedruckte Briefe Melanchthons, p. 434. epist. 2. In Corp. Ref. Vol. II. p. 892. germanice versa legitur, quippe quod Viro Rev. Bretschneidero non contigerit textum latinum nanciaci.

Ministris Ecclesiae Augustanae Philippus Melanchthon.

Salutem plurimam. Reverendi et doctissimi viri, literae vestrae non solum pietatis, sed etiam eruditionis notas minime obscuras habuerunt. Quare mihi utramque ob causam gratissimae fuerunt, ac testem huius mei iudicii ac voluntatis habetis D. doctorem ***Gereonem***. Doctoris ***Urbani*** negotium ipse exponet vobis; ***Luthero*** excusavit se princeps literis propria manu accurate scriptis. Meum animum et iudicium de concordia nostrarum Ecclesiarum spero perspectum esse bonis viris, nec profecto moveor imperitorum animorum iniquis de me indiciis. Si quid possemus ut velimus, et spero aditum ad concordiam factum esse; Christus gubernet et provehat bonorum consilia. Vos quoque oro, ut infirmorum moderationem tueamini, quae mihi quoque probatur, et ut spero profutura est Ecclesiae Christi. Nescio an hoc quoque sit factum ultimae huius aetatis Ecclesiis, quod verae significationes, dilectiones, et necessariae Ecclesiis inter nos adeo negliguntur; doctorum congressus velut studio impediuntur, sed colloquemur per literas, si aliter non licet. Ego de vobis amanter sentio, vosque ex animo amo. Bene valete. 21. Julii, anno 1535.

Philippus Melanthon.

---

130. No. 1292[b]. (Vol. II. p. 895.) 1. Aug.

Mart. Bucero.

Apographon huius epistolae, quam Melanchthon M. Bucero in causa vocationis aliquot Doctorum in Galliam ad pium de religione colloquium scripsit, ex Simleriana collectione Tigurina (S. Msc. 39.) per V. Cl. Voegelinum accepi.

Doctissimo Viro D. M. Bucero docenti Evangelium Argentinae, amico suo.

S. D. Assentior Tibi, mi Bucere, desperandam esse Concordiam cum Pontifice Romano. Ego tamen, ut istis bonis Viris morem gererem, qui pio studio rem tantam moliuntur, scripsi aliquid, quod exhibebit Tibi legendum noster Ulricus[1]). Si plus largitus videbor adversariis, cogitabis me quaedam voluisse ad affectus illius gentis accommodare, non tam qui sperem nobis placari posse *τὸν ἀρχιερέα τὸν ῥωμαῖον*, quam ut isti boni viri intelligerent, quibus de rebus praecipuae sint controversiae. Certe *περὶ δικαιοσύνης* mitigavi libenter, et spero eam moderationem doctis placituram esse. Indicavi quaedam quasi procul. Sed si aliquando conveniemus, colloquemur de omnibus articulis copiose. Quod scribis annitendum nobis esse, ut inter nos fiat concordia, hoc profecto ago, et nuper ea de re cum nostro Principe collocuti sumus. Sed expecto, Landgravium brevi ad nos venturum. Et ut non venerit, scribam ei meas quasdam cogitationes, quas tecum aliquando communicabo. Profecto enim nihil magis cupio rerum omnium, quam ut illud ingens scandalum dissensionis inter nos aliquando auferatur, quod quantum impediat Evangelii cursum, non ignoras. Vides me *οὐ μάχεσθαι ὑμῖν*. Sed spero, ceteros etiam futuros mitiores. Christus respiciat Ecclesiam suam et restituat sanctum et piam nobis concordiam. Scripsi ad Te copiose proximis Nundinis. Eas Literas an acceperis ignoro. Rescribe quaeso proximis Nundinis. Bene ac feliciter vale.

Cal. Augusti (1535). Saluta meis verbis Pedrotum a quo expecto literas.

Φίλιππος.

131. No. 1292[c]. (Vol. II. p. 895.) 3. Aug.

Lutherus ad Augustanum Senatum.

Huius epistolae autographon, quod in Tabulario Augustano asservatur, primum typis descriptum est in Equitis a Raiser libro: Zwölfter Jahrs-

1) Nota Simleri: Chelius.

Bericht des historischen Kreis-Vereins für den Regierungsbezirk von Schwaben und Neuburg. Für das Jahr 1846. (Augsburg 1847. 4°.) p. 70. No. 2.

Den Erbarn fürsichtigen Herren Burgermeister vnd der kayserlichen Stadt Augspurg meinen gonstigen lieben Herren vnd Freunden.

Gnad vnd fried ynn Christo, Erbarn fursichtigen lieben Herren, Weil Doctor Gercon, seiner Eredentz nach Magister Johann Forster gen Augspurg gefoddert hat, Vnd wir doch denselben schon In vnser Kirchen Dienst angenommen hatten, vnd demnach gern behalten hetten, Aber damit wir ynn solcher hofflicher einigkeit, nicht Vrsachen geben, einiger verdacht, haben wir yhm erleubett, Auff das euwer F. sehen sollen, das wir mit allem willen dazu gern thetten, das solche einigkeit bestettigt, On das, hetten wir ihn nicht gelassen, denn er ist ein gelerter, frommer, trewer Man, des wir hinfurt hetten müssen brauchen, Vnd ob sichs begebe, das etliche Predicanten villeicht nicht gefallen an ihm wurden haben, So wollen yhm E. F. ernstlich befollen haben, denn wie es yhm auch selbs, zu Augspurg nicht leidlich zu bleiben sein wurde, haben wir yhn gebeten gar freundlich, sich widderumb zu vns zu begeben, E. F. wolten helffen dazu thun, das man Lewte sonderlich zur Heiligen schrift erzihe, damit wir Pfarher vnd Prediger bekommen, denn da Gott für sey, wo ynn kurtz ein oder zehen Person bei vns verfielen, wüsten wir vns selbs nicht mit personen zu versehen. Der Barmhertzige Gott helffe, das vnser einigkeit bestendig bleibe, Hiemit Gott befolhen Amen.

iij Augusti 1535

Martinus Luther Dr.

---

132. No. 1308[b]. (Vol. II. p. 917.) 29. Aug.

Lutherus ad Melanchthonem.

Hanc epistolam quaere in Lutheri epistolis ed. de Wette Tom IV. p. 626 sq. Nr. 1660.

---

133. No. 1337[b]. (Vol. II. p. 949.) 4. Oct.

Christophoro Cholero.

Haec epistola primum edita est ab Aug. Schelero ex Apparatu Melanchthoniano Lovaniensis Professoris Van de Velde in Rob. Naumanni Serapeo a. 1867. No. 7. p. 104. epist. 10.

Clarissimo et optimo viro D. Christophoro Cholero, senatori Noribergensi, suo patrono.

Eram commendaturus vobis Erasmum Pichler, ut ab amplissimo senatu stipendium ei impetraretis. Hoc magis autem vobis debeo quod ea res sine meis literis confecta est. Est enim

adolescens probus et studiosus. Ago itaque vobis gratias et ipsius et meo nomine, quamquam scio vos tueri studia litterarum optimo iudicio, propter rempublicam. Videtis enim hoc tempore maxime opus esse studiosis publica liberalitate et benignitate. Magister Vitus Theodoricus sic amat vos, propter virtutem vestram et veneratur vos tanquam parentem. Ideo me rogavit ut se vobis commendarem. Ego vero non illum tantum, sed me quoque vobis diligentissime commendatum esse cupio. Nam et ego admiratione virtutis vestrae ex animo vos amo. Bene et foeliciter valete. 4. Octobris 1535.

Philippus Melanthon.

---

134. No. 1339 b. (Vol. II. p. 951.) 5. Oct.

Lutherus ad Augustanum Senatum.

Hanc epistolam repeto ex eodem Raiseri libro, quem supra p. 97 sq. ad nr. 131. memoravi, ubi p. 70. sub nr. 3. exhibetur ex autographo Tabularii Augustani.

Den Erbarn fürsichtigen Herren Burgermeister vnd Rat der keyserlichen Stad Augspurg meinen gunstigen Herren vnd guten Freinden.

Gnad vnd fried ynn Christo. Erbaren fursichtigen lieben Herrn, Ich bin furwar hochlich erfreuet ynn Christo, aus E. F. schrifften, daraus ich vernomen, wie E. F. vnd ewer kirchen-predigern, vorstehern vnd gemeinen, mein antwort durch Herrn Gercon Doctor, so hertzlich gefallen vnd so ernstlich zur einigkeit mit vns geneigt. Der Vater alles trostes vnd friedes woll fort geben den geist seines lieben sons Jhesu Christi, ynn vnser aller Hertzen, mehren vnd grössern das solche einigkeit gründlich vnd rein forstan vnd bestendig bleibe, damit einmal auffhöre das seufftzen viel fromer Hertzen, welcher geist durch solchen spahn betrübt gewesen vnd den Papisten yhr rache gestepfet werde, der sich ymer gerhumet hat, sihe da, sie sind selbs nicht eins vnternander, vnd trefflich dadurch ynn ihren greweln gesterckt sind. Ich wil (wie ich zuvor geschrieben) an mir nichts lassen mangeln ob Gott wöl, vnd solchen trost vnd freude, so mir mein lieber Gott, noch für meinem Ende, erzeiget, nicht nemen noch hindern lassen, Vnd stehe ynn rechter guter Hoffnung, Christus sey mit gnaden zwischen vnd vnter vns komen, vnd wolle den vneinigen Geist austreiben. Vnd wie E. F. bittet, wil ich nicht glauben, was auch anders wurde von den ewren gesagt, ich habs denn zuvor alles E. F. vnd yhnen angezeigt. Was ich auch ewern Predigern von einem Conuent geschrieben, werden sie euch anzeigen vnd E. F. rat darinn zu brauchen wissen.

Christus vnser lieber Herr, stercke E. F. mit rechtem Geist, zu ferdern

seinen heiligen Namen, reich vnd wolgefallen Amen. Vittemberg Quinto Octobris 1535

E. F.

Williger
Martinus Luther.

135. No. 1345ᵇ. (Vol. II. p. 956.) 18. Oct.

Senatui Augustano.

Hanc epistolam, cuius autographon in Tabulario Augustano est, ex Rajseri libro supra p. 97 sq. ad nr. 131. recensito repeto, ubi p. 71. sub nr. 4. legitur.

Den Erbarn, weisen, fürnemen Herrn Burgermeistern vnd Radt der Stadt Augsburg, meinen gunstigen Herrn.

Gottes Gnade durch vnsern Herrn Jhesum Christum — den Erbarn, weisen, fürnemen Gunstige Herrn, Ew. weißheit Schrifften darin mich E. W. zu fürderung christlicher Eintrechtikeit vermanen, hab ich empfangen, vnd binn erfrewt, das E. W. als christliche löbliche Oberkeiten, solchen grosen Ernst vnd Vleis haben, Gottes Ehre vnd Eintrechtikeit in rechter lehre, maniglich zur seligkeit, vnd zu gut allen nachkommen vnd zu gemeinem Friden zu fürdern vnd zu handhaben, wie ich denn nit zweifel, das nach dem E. W. die reine Lehr des heiligen Evangely, Gott zu Lobe vnd preise angenommen, vnd derhalben verfolgung vnd anfechtung gewertig, E. W. bedenken nach Notturpf, wo vnter vns selb In der Lehr khein concordia sein werde, das solche Verenderung wenig frucht vnd gutes wirken könne, denn kein schedlicher Ergernus ist, denn zwispaltige Lehr, daraus Vnruhe der gewissen, Lesterung Gottes, vnd zerruttung der kirchen vnd Regiment für vnd für volgen müssen, wie E. W. ann hohem christlichem Verstand selb wissen, Derhalben ist E. W. Vleis, christliche einikeit anzunehmen billich vnd hoch zu loben, Goll verleihe seine gnad dazu, vnd was weiter hierinn fürzunemen vnd zu bedenken, wirt E. W. nach Gelegenheit der Hendel vnd der Zeit wol wissen zu betrachten, vnd wolle Gott, das ich dieses heilig vnd nützlich werk fürdern könnt, wie ich mich schuldig erkenne, solches zu thun, doch erbiete ich mich nach meinem geringen Vermögen, Vleis zu nehmen in allem, dadurch christliche Lehr gepflantzet, vnd verzieret, Gottes Lobe vnd einigkeit vnter vns gefördert werden möge. Gott bewar E. W. allezeit gnediglich zu seinem Lobe, vnd des heiligen Evangelij erkenntnuß auszubreiten. Datum zu Jhenen in Toringen. — Montags Lucie [1]) 1535.

E. W.
williger Diener
philippus Melanthon.

1) **Lucie] hoc nomen, quo d. 13. Dec. signatur, sine dubio calami errore scriptum est pro: Lucae Ev., 18. Oct. has ob causas: 1) haec enim**

136. No. 1361 b. (Vol. II. p. 977.) 27. Nov.

Mart. Schallingo.

Haec epistola a Melanchthone latine scripta genuino textu primum a a Car. Schmidt in Niedneri Zeitschrift für histor. Theologie a. 1846. (conf. supra p. 96 nr. 129.) p. 434. nr. 3. edita est. In Corp. Ref. Vol. II. p. 977 sq. exhibetur Walchii versio germanica.

Venerabili viro et egregia doctrina praedito domino Martino Schallingo, docenti Evangelion in Ecclesia Argentinensi, suo amico.

S. D. Tuae literae gratissimae mihi fuerunt; perspexi enim in illis non solum amorem erga te meum[1]), sed etiam animum optime cupientem Ecclesiae Christi. Quare te vicissim complector et opto, ut Christus ministerium tuum gubernet ad salutem Ecclesiae. Doctor *Lutherus* non detrectat colloquium; nam et ipse maxime optat concordiam Ecclesiarum constitui. Demus operam communiter ut ornetur gloria Christi, et in externis ritibus quaedam tantisper boni consulamus, dum tempora concedent, ut disciplina severior instituatur; non enim potuit se Ecclesia subito et sine incommodis evolvere ex tanta caligine quanta fuit in doctrina monachorum quae oppresserat Ecclesiam. Sed orandus est ubique Christus ut iuvet nos et in doctrina et gubernatione Ecclesiarum. Ego doctorum et bonorum iudicia summa voluntate amplectar et sequar, et quantum potero ero hortator ut communi animo et doctrinam piam ornare et concordiam tueri studeamus. Te quoque rogo ut quaedam boni consulas, quae ut spero, cum convenerimus, facile poterunt emendari. Bene vale. Anno 1535.

Philippus Melanthon.

---

137. No. 1383 b. (Vol. II. p. 1032.) (m. Decembr.)

Lutherus ad Melanchthonem.

Hanc epistolam legas in Lutheri epistolis ed. de Wette Tom. IV. p. 655 sq. No. 1686.

---

epistola illi Senatui praesentata est 25. Oct., 2) Melanchthon mense Octobri Jenae versabatur, sed fere 10. Dec. cum Principe Electore inde Schmalcaldiam ad conventum profectus est, unde exeunte anno rediit Jenam.

1) erga te meum] calami errore pro: erga me tuum.

ANNO 1536.

138. No. 1407 b. (Vol. III. p. 45.) 25. Mart.

Ioannes Fridericus Dux Saxoniae Elector ad Lutherum, Ionam, Bugenhagium et Melanchthonem.

Hanc epistolam vide apud Burkhardtum l. l. p. 247 sq.

---

139. No. 1410 b. (Vol. III. p. 53.) 4. April.

Lutherus, Ionas, Bugenhagius et Melanchthon ad Ioannem Fridericum Ducem Saxoniae Electorem.

Haec epistola legatur apud eundem l. l. p. 248 sq.

---

140. No. 1410 c. (Vol. III. p. 53.) 6. April.

Ioannes Fridericus Dux Saxoniae Elector ad Lutherum, Ionam, Bugenhagium et Melanchthonem.

Vide ibidem p. 250.

---

141. No. 1426 b. (Vol. III. p. 73.) 24. Maii.

Philippus Landgravius Hassiae ad Lutherum, Melanchthonem, Ionam, Bugenhagium ceterosque Theologos Vitenbergenses.

Haec epistola invenitur in Caroli Guil. Herm. Hochhuth dissertatione sic inscripta: Mittheilungen aus der protestantischen Secten-Geschichte in der hessischen Kirche. I. Theil: Im Zeitalter der Reformation. I. Abtheilung: Landgraf Philipp und die Wiedertäufer, quae in Niedneri Ephemeridibus: Zeitschrift für die histor. Theologie anni 1858. fasc. 4. No. VIII. p. 538—644. edita est, p. 557 sq.

Dem Hochgeborn vnnd Erbarn Martino Luthero, Philippo Melanchthoni, Iusto Iona, Pomerano vnnd andern den theologischen Professoribus zu Witteberg, vnsern lieben getrewen.

Wir geben euch zu erkennen, dz sich in kurtzen tagen etlich widdertäuffer in vnserm fürstenthumb ereugt haben. Nachdem aber wir gedacht, nicht gut sein, so eilend vber das plut zu richten vnd dieselbigen vs dem land weissen vnd gehn lassen vnd dz sie Ire gutter verkaufen, vnd ewiglich vnder vns nicht wonen sollten — — So begern wir gnediglich, Ir wollet vns dann ewern getrewen rath, Beystand vnd Bedengken mitteilen, wie wir vns darin zu halten haben, sunderlich in dem fall, so wir die teuffer vnderweissen, oder sie selbs vs dem lande zu ziehen vnd nit mer drin zu kommen versprochen

haben, vnd dann vber dz widder einschleichen, predigen, tauffen, das volk verfuren vnd an sich henken.

Datum Kassel Mitwochs nach jucunditatis anno XXXVI.

142. No. 1427 b. (Vol. III. p. 73.) 25. Maii.

Ioannes Fridericus Dux Saxon. Elector ad Lutherum et Melanchthonem.

Vide apud Burkhardtum l. l. p. 252.

143. No. 1444 b. (Vol. III. p. 95.) (m. Junio?) et 1. Jul.

Henr. Bullingerus ad Melanchthonem et *Melanchthon ad Henr. Bullingerum* 1. Jul.

Utriusque epistolae mentionem facit Bullingerus in epistola responsoria sequentis anni (vide infra epist. 160.), sed utraque adhuc desideratur.

144. No. 1448 b. (Vol. III. p. 99.) 24. Jul.

Ioannis Friderici Electoris Consiliarii ad Lutherum ceterosque Theologos et Iurisconsultos Witebergenses.

Haec epistola legatur in Burkhardti libro l. p. 256—258. Horum responsum (6—12. Aug.) vide in Corp. Ref. Vol. III. p. 119—125. No. 1456. conf. Burkhardt l. l. p. 263.

145. No. 1459 b. (Vol. III. p. 131.) (m. Aug. exeunte.)

Melanchthon de Concilio.

Ex Melanchthonis autographo, quod in Bibl. Ducali Guelferbytana reservatur, et in eodem Codice, qui primo loco priorem Apologiam continet, quarto loco (fol. 52a — 60a) invenitur. (Ea, quae secundo et tertio loco eiusdem Codicis leguntur, vide supra p. 52 sqq. nr. 68. et p. 63 sqq. nr. 82.) Ea, quae in Corp. Ref. Vol. III. p. 131—134. No. 1459. ex apographo in cod. Galli I. p. 118. de eodem Concilio exhibentur, ab hoc autographo Melanchthonis multis ligaturis pleno ita differunt, ut hoc etiam afferendum esse iudicem. — Alia manus inscripsit: „1537. — Zu Schmalkalten vom Concilium. — De Recusatione. — De Protestatione."

Ob das Concilium gantz vnd clar zu recusirn sey, oder ob mit einer protestatio, die schickung ꝛc. zu bewilligen.

Von der recusation werden erstlich dise argumenta bedacht,

Dweil nicht Zweifel ist, der Bapst vnd sein anhang, haben fur, disen teil zu damniren, wie sie sich solchs auch vernemen lassen In yhren ausschreiben,

darumb ist zu bedenken, was dagegen fur zu nemen, vnd erstlich Decret viel besser ist, das man verhute, das sie nicht zusamen khomen, so wirt disputirt, das man dises concilium clar recusirn soll, Denn laßt man sie Zusamen khomen, so eilen sie Zur condemnatio, nu were dennoch viel besser, es gieng kein sententzn, damit der keisar fuglich mehr kont zur executio khomen.

Nach dem aber die Cardinel selb nit grossen lust Zum Concilio haben, sey vermutlich, so vnser recusatio furgewandt, das Concilium werde verhindert,

Zum andern, so man willigen solt In das concilium, ob man gleich vom proceß protestirt, so were man doch gefangen, vnd wurden sie procedirn, vnd wolten vocem decisivam allein haben, Also mit der bewilligung In das concilium, were man Zugleich In die strik gefallen, yhrer proceß halben, Darumb ob sie gleich zu samen khomen, so wer vns besser, das wir das concilium recusirt hetten, denn das wir mit yhnen angefangen Zu disputirn, vnd wolten ernach davon lassen, vnd denn erst vber die proceß klagen, vnd wurde vns als denn der sententz viel mehr prägrauirn vnd beschweren, denn so wir erstlich die recusatio gethan, vnd yhr concilium gantz verworfen, Turpius ejicitur quam non admittitur hospes,

Zum dritten, wenn gleich gute hendler gewelet, vnd man die sachen freuntlich disputirn wolt, so musst man doch dem Bapst seinen gewalt einreumen, vnd villeicht In etlichen Ceremonien vergleichung mit yhm machen, vnd ettwas In vnserm thun endern, Dweil denn das auch bey vielen bedenken hatt, helt man fur besser, das concilium werde clar recusirt,

Nu ist die frage, wie khann man dazu khomen, so wir doch alle zeit an das concilium appellirt, vnd wurde nu dise recusatio ein schein haben, als scheweten wir das liecht.

Antwort, Es ist war, Es ist nit one beswerung, dweil man aber In diser geschwinden vnd fehrlichen sach khein radt finden khan, da bey nicht beswerung ist, so ist dises Zu wehlen, das dennoch fur das leidlichst bedacht wirt.

Nu sind vrsach Zur recusatio die auch bey meniglich fur billich mogen angesehen werden

Erstlich, das ist offentlich, das der Bapst vnd sein anhang part sind, vnd haben dise lahr mit vilen praeiudiciis verdammet, vnd veruolgen sie, Darumb khann man dises concilium recusirn, als darinn der Bapst vnd sein anhang richter sein wollen,

Zum andern, so meldet das ausschreiben nicht von verhor vnd cognitio der streitigen artikel, daraus abzunemen, das sie khein cognitio gestatten werden, sondern werden furgeben, Es sind sachen zu vor determinirt, daruff werden sie vns schlechts verdammen,

Zum dritten, Im ausschreiben wirt dise vrsach das concilium zu halden furnemlich angezogen ketzereien auszurotten vnd meinet damit one Zweifel fur-

nemlich disen teil, Denn es ist wol zu achten, das sie sich nit ketzer heissen, Item so hat der Bapst dises selb also gedeutet, In der Bulla de reformatione curiae, welche ehr newlich zu Rhom, nach dem ausschreiben des concilii, hatt lassen ausgehen, darinn dise wort stehen, das ehr furhabe auszurotten die schedlich lutherische ketzerei.

Dweil denn aus des Bapsts preiudiciis, vervolgung, vnd den ausschreiben clar ist, das ehr part ist, vnd nicht richter sein khann, vnd ehr sich im ausschreiben nicht erbeut, das ehr die streitige lahr, durch ieman anders, denn seinen anhang richten lassen, wie ehr auch spricht, das allein die Jenigen sollen gefoddert werden, welche nach alder gewonheit gefoddert werden ꝛc. so khann man dises concilium recusirn, als das ienig das nicht frey vnd christlich, sondern ein Bepstlich concilium sein soll, zu sterkung aller blasphemien vnd misbreuch,

Dagegen wirt aber auch bedacht, das besser sein solt, man erbott sich Zu schiken mit diser protestatio, wo nicht vnparteische richter ꝛc. gewelet wurden, so wolt man sich Jn kheine handlung einlassen, Denn man erkennet den Bapst nicht fur richter, ꝛc.

Also kont vns nicht vffgeleget werden, als wolden wir das concilium fliehen, vnd hetten vns dennoch noch nicht verstrikt.

Item es ist auch nicht Zu vermuten, das vnser recusatio das concilium verhindern werde, denn der Keisar dringet drupf.

Dazu werden sie viel williger zu samen eilen, vns als bald, als contumaces zu verdammen,

Daruber mag dise subtilitet hie disputirt werden, das wir noch mit fugen vnd recht das concilium nicht khonnen recusirn, denn ob gleich der Bapst das ausschreiben thut, so macht ehr sich doch damit nicht zu richter,

Darumb haben wir als dann erst gnugsam, fug vnd recht, das concilium zu recusirn, so wir erschinen sein, vnd vernemen das vns der Bapst fur sich vnd seinen anhang, vnd nicht fur das concilium [1]).

Doch khann dise subtilitet damit widerleget werden, das man yhren brauch, vnd yhre recht, vnd meynung weiß, das entlich nicht anders von yhnen gemeint, denn das sie richter sind,

Aber gleich wol ist zu bedenken,

erstlich der groß vnglimpff den wir haben mußten, so wir das concilium recusirten, als wolten wir nu fliehen ꝛc. so wir vns doch alle Zeit vff ein concilium beruffen,

Zum andern so ists den gewissen sicherer, vnd for aller welt ehrlicher, das nicht wir durch ein contumacia, dem Keisar ein scheinbarliche vrsach geben ettwas thätlich fur zu nemen, sondern das zu vor yhre tyrannische proceß, vns vrsach geben vns wider sie zu setzen ꝛc.

1) H. l. a Melanchthone unum verbum omissum est.

In summa die recusatio scheinet als werden wir anfenger der trennung vnd anderes volgenden vnradts, durch die contumacia, Darumb viel mehr zu wunschen, wenn es ia Zur entlichen trennung vnd krieg kommen soll, das meniglich verstehen vnd wissen kont, vnd sich desselbigen trosten, das der anfang vom gegenteil her khomen,

Dises wer ordenlicher weiß mehr gemes, denn die recusatio, nu ist sweer, gantz ausser der ordenlich weis zu reden.

Iudicate, et deus faciat vt hoc eligamus
quod est magis pium et vtile.

Alia manus fortasse Cancellarii aliusve consiliarii Electoris in subsequenti fol. 60^a, initio adscripsit haecce:

Meiner meynung nach gefellt mir Die letzte dissertatio am besten, Vrsachen wil ich nach Mittage schicken.

146. No. 1471^b. (Vol. III. p. 165.) 6. Oct.

Ioach. Vadiano.

E collectione Simleriana Tigurina (S. Msc. 41.). In fine epistolae legitur quidem „VI Octobr. 1526.", Simlerus autem recte superscripsit: „VI Octobr. 1536."; quo anno Melanchthon inde a 24. Sept. usque ad medium Octobr. Tubingae versabatur. — „Impressa est haec epistola in XVIII sel. Epistolis doctiss. Virorum S. Galli apud Straubium. N. IV." Haec adnotavit Simlerus.

Doctissimo Viro et egregia virtute praedito D. Ioachimo Vadiano Doctori Medicinae Consuli Urbis S. Galli, suo amico.

S. D. Cum praeclara extent ingenii tui monumenta, quae ostendunt Te ad haec communia eloquentiae studia, et ad singularem facultatem scribendi Carminis adiunxisse magnam interioris Philosophiae scientiam, semper Te feci plurimi. Auxit etiam studium et amorem erga Te meum, quod intelligebam, Te amare puram Religionis doctrinam. Nam hanc quoque laudem in homine philosopho eximiam esse indico. Sed quominus ad Te scripserim hactenus, nihil in caussa fuit praeter horribilis illa dissensio περὶ τοῦ μυστηρίου, in qua illi qui fuerant instauratores doctrinae Christianae, velut Cadmei fratres, inter sese bellum civile moverunt. In quo certamine cum ob alias caussas silendum mihi putavi, tum vero etiam magnitudo doloris mei me impediit, quo minus hoc vulnus attrectare possem. Sed quia iam me Literis tuis amantissime scriptis provocasti, duxi Tibi significandum esse meum erga Te studium. De Controversia ipsa, cum tacuerim hactenus, nolo in praesentia disputare. Illud autem gaudeo, Te non

abhorrere a consiliis mitigandae huius dissensionis. Legi quae Bucerus Vobis narravit in Conventu Basiliensi, ac ego quidem iudico, eum bona fide recitasse illam ipsam sententiam quam Luthero et caeteris, qui una fuerunt, commemoravit. Rogo ut Te quoque praebeas εἰρηνοποιὸν, ne mutuis odiis ac certaminibus Ecclesiae magis dissipentur. Et pium indico, illud S. Mysterium non duci prophanum Symbolum, sed pignus, quod testetur nobis adesse Christum et efficacem in nobis esse. Sed non instituam hoc loco disputationem. Tuam amicitiam privatim mibi velim existimes gratissimam esse. Bene et feliciter vale. Tubinga VI Octobr. 1526. (potius 1536).

Philippus Melanthon.

---

147. No. 1494. (Vol. III. p. 1095.) ineunte Dec. (potius 5. Junii.)

De Anabaptistis ad Philippum Landgravium Hassiae.

Hoc iudicium a Viro Ven. Bretschneidero l. l. quidem exhibitum est, sed non integrum, extrema enim pars Lutheri manu adscripta deest; praeterea eo errat, quod solius Melanchthonis iudicium esse putat, nam quatuor Theologi subscripserunt; denique de tempore, quo scriptum esse Bretschneiderus iudicat, nempe ineunte Decembri, dubitandum est, *epistola* enim ad hoc iudicium spectans *a Luthero*, *Casp. Crucigero* et *Ioh. Bugenhagio ad Philippum Landgravium Hassiae* „Montags nach pentecoste [l. e. 5. Junii] 1536." data est. Hochhuth, auctor dissertationis supra p. 102. sub nr. 141. laudatae, utriusque et epistolae et iudicii autographa in manibus habuit ac eodem loco p. 560—565. edidit, quem h. l. sequor, illam epistolam a Bretschneidero omissam praemittens. (Burkhardt in suo libro l. p. 303. huic iudicio adscripsit: „1538. 5. Juni.")

E. F. G. sind unsere arme dienst In Unterthenigkeit zuvor. Gnediger fürst und herr, uff E. F. G. schrifft belangend die widerteuffer, senden wir E. F. G. unser bedenken, darinne wir clar und deutlich unser maynung angezayget, das weltlicher oberkeit gebur, offentliche unrechte lahr zu weren, und die Halsstarrigen in Jhren gebieten zu straffen, und wiewol wir wissen, das dise frag viel disputation hat, auch blutvergiessen am aller liebsten meyden wollte, so zweiffeln wir doch nit, diese unser maynung sei genugsam gegrundt und christlich. Wie aber die straffen nach gelegenheyt der umbstände zu mässigen oder zu scherpfen sind, stellen wir zu denen, so zu solchem examen gezogen werden. Es sind offentliche yrthumb in der widerteuffern sect, dazu solche die weltlich regiment belangend. Darumb kann der richter deß leychter schliessen und sihet, das eyn ernst von nöten ist. Gott bewar und erhalt E. F. G. allezeyt gnädiglich zu seynem lob und zu gut der Christenheit.

Ob Christliche fürsten schuldig sind mit dem schwert der widerteuffer unchristlichen seet zu weren und sie zu straffen.

Erstlich ist zu merken, das in diser frag nit geredt wirdt von der prädicanten ampt, — — — — (ea, quae sequuntur, legas in Corp. Ref. Vol. III. p. 195—201.). Wie auch ein verstendiger prediger andere stende von ihrem beruf unterrichtet, als wie ein Hausmutter leret, das kinder gebären Gott wol gefellt u. s. w., also soll er auch die weltlich oberkeit unterrichten, wie sie zu Gottes ehr dienen soll.

Und nachdem unser gnediger Herr Landgraff meldet, das ettliche fürer und lerer der widertäuffer gefangen sind, welche zu verweisen sind und yhr Zusag nit gehalden haben, mag e. f. g. mit guttem gewissen dieselbige auch derhalben, das sie ungehorsam worden und ire Zusage oder eid nit gehalden, mit dem schwert straffen lassen.

Dis ist die gemeine regel. Doch mag unser g. Herr allezeit gnade neben der straffe gehen lassen nach gelegenheit der Zufälle.

Mart. Lutherus.
J. Bugenhagius Pomeranus D.
Caspar Creutzinger Dr.
Philippus Melanthon.

---

148. No. 1497[b]. (Vol. III. p. 204.) 11. Dec.

Ioannes Fridericus Dux Saxoniae Elector ad Lutherum et ceteros Theologos Witebergenses.

Hanc epistolam vide apud Burkhardtum l. l. p. 271 sq.

---

149. No. 1500[b]. (Vol. III. p. 206.) 31. Dec.

Idem ad Lutherum, Bugenhagium et Melanchthonem.

Vide apud eundem l. l. p. 272 sq.

---

150. No. 1513[b]. (Vol. III. p. 229.) (a. 1536.)

Iudicium Lutheri, Bugenhagii et Melanchthonis.

Hoc vide in Lutheri epistolis ed. de Wette Tom. V. p. 40—44. No. 1753.

---

151. No. 1513[c]. (Vol. III. p. 229.) (eod. anno.)

Conrado Heresbachio.

Phil. Melanchthonis Consilia ed. Christoph. Pezel. (Neustadii 1600. 8°.) P. I. p. 237 sq.

***De articulis ex consilio scripto ad Gallos excerptis et depravatis ab aliis, ad Conradum Heresbachium Anno* 1536.**

Articuli illi, qui circumferuntur, non sunt *γνήσιοι* sed mutilati, et excerpti ex quodam meo longiusculo consilio scripto ad Langaeum fratrem Episcopi Parisiensis. Rogaverat enim Langaeus, ut rationem aliquam componendarum harum dissensionum perscriberem, ac simul ostenderat Regem Gallorum apud Pontificem de pace et mitigatione tantarum rerum acturum esse. Scripsi igitur, quid mihi videretur. Nec me valde poenitet mei iudicii. Scripsi de politia Ecclesiastica conservanda, deinde quid relaxari aequum esse censerem, quibus de rebus doctos colloqui diligentius prodesset. Inde sunt illi articuli, sed mala fide decerpti. Multis dedi describendum meum consilium, sed edere nondum volui, quod in tanta perversitate iudiciorum vereor, ne magis irritentur nonnulli. Rex Galliae non obscure significavit, sibi meum consilium probari. Misit Romam, meque vocavit, ut de iisdem rebus me audiret, sed Dux Saxoniae noluit me dimittere. Nolunt privatum quenquam pacisci cum illo de Republica. Sic enim loquuntur: ***δοκεῖ δὲ καινή τις τῶν ἀπαιδεύτων τυραννὶς καθισταμένη οὐδὲν μέτριον, καὶ κοινωνικὸν, καὶ πολιτικὸν φρονούντων.*** Cedamus igitur fatis. Nunc Anglus me vocat. Sed aliis de rebus, ***ἐγὼ μᾶλλον θέλομαι εἶναι σύμμαχος τῶν σπουδαζόντων κοινὴν ὁμόνοιαν ποιεῖν τῆς ἐκκλησίας.***

---

152. No. 1513[d]. (Vol. III. p. 229.) (eod. anno.)

Quaestio.

Ioh. Georg Füsing: Umbständliche Relation wie es mit der Reformatione der Stadt Reuttlingen so wohl vor- inn und nach dem Jahr M. D. XVII. eigentlich hergegangen. (1717. 8°.) p. 265 sq. ad a. 1536.

Controversia exorta est Coburgi.

Utrum Corpus Christi sumptum in Coena, in ventriculum descendat?

Nihil dubium est, adorationem Papisticam, in circumgestatione panis et repositione et oblatione, idololatricam esse, quia nihil habet rationem Sacramenti extra usum a Deo institutum. Creatura enim facere Sacramentum non potest. Instituta autem est sumptio, in qua cum pane et vino vere substantialiter adest Filius Dei, et testificatur hac externa sumptione, quod vere nos faciat sibi membra, et sese et sua nobis communicet. Sicut Hilarius inquit: ***hacc sumpta et hausta faciunt, ut Christus sit in***

nobis, et nos in Christo. Nec fit conversio substantiae panis, cum autem facta sumptione, panis descendit in ventrem et alteratur, estque iam cibus corporalis, desiit ratio Sacramenti. Ideo omittatur ista absurda phrasis, Corpus Christi, vel Christum descendere in ventrem. Nec Lutherus ponit conversionem substantiae panis, sed ponit Synecdochen, videlicet, sumpto pane et vino vere sumi Corpus et Sanguinem Christi. Ad hanc Synecdochen congruunt et Pauli verba, quae tantum de usu instituto loquuntur, panis est *κοινωνία* Corporis, est id quo nobis communicatur Corpus Christi. Post hunc usum, cum panis alteratur in ventre, alius usus est panis. Vitentur sermones prophani, et doceantur homines de ipsa ratione Sacramenti vel de testificatione, quod simus membra Christi, deinde de Consolatione vera, quae est manducatio spiritualis.

Philippus Melanchton.
Ioannes Brentius.
Iacobus Rungius.
Ioannes Pistorius.
Iacobus Andreae.

Quibus annexa sunt:

Scholastici autem Doctores docent, ne quid fiat de Corpore Christi et de Corporali praesentia eius per sumptionem Sacramenti. Christus tecum (inquiunt) ad tempus esse voluit. Quando aut quamdiu necesse fuit, exhibuit tibi ad tempus corporalem praesentiam suam, ut per illam spiritualem excitaret. Quam diu sensus corporaliter adficitur, praesentia eius Corporalis non aufertur. Postquam autem sensus corporaliter in perficiendo deficit, deinceps corporalis praesentia quaerenda non est, sed spiritualis retinenda. ***Christus de ore ad Cor transit.*** Melius est tibi, ut eat in mentem tuam, quam in ventrem tuum. ***Cibus animae est non Corporis.*** Noli in ipso quaerere consuetudinem, ubi corporalis venit ad te, ut comedatur, non ut consumatur. Post haec ergo, si corporalem praesentiam Christi quaeris, in Coelo quaere, ibi quaere, ubi et prius fuit, quam per Sacramentum suum corporaliter tecum esse inciperet, et unde non discessit, quando ad te venit etc.

ANNO 1537.

153. No. 1518[b]. (Vol. III. p. 238.) 20. Jan.

Ioachimo Camerario.

Hanc epistolam primum edidit Aug. Scheler ex Apparatu Melanchthoniano Lovaniensis Professoris Van de Velde in Rob. Naumanni Serapeo a. 1867. No. 7. p. 102—104. epist. 9.

Viro optimo Ioachimo Camerario, Bambergensi, amico suo summo, S. D.

Christus faciat, ut rectissime valeatis et tu, et suavissima coniunx tua honestissima matrona et liberi tui dulcissimi. Quod si tibi contingit, de ceteris rebus, mi Ioachime, nolim, te valde angi. Meministi illud Pindaricum: ἓν παρ' ἐσλὸν πήματα σύνδυο δαίονται βροτοῖς ἀθάνατοι. τὰ μὲν ὦν οὐ δύνανται νήπιοι κόσμῳ φέρειν ἀλλ' ἀγαθοὶ τὰ καλὰ τρέψαντες ἔξω[1]). Ac te quidem inprimis excerpere bona, et iis frui decet, cum ab illis publicis et horribilibus tumultibus alienus sis, in quos me meum aliquod fatum ἐξώκειλε. Tibi velut in portu sedenti frui licet optimis studiis. Hanc felicitatem tibi gratulabere, teque optimis artibus in quibus pulcherrime versaris oblectabis: etsi nec te quidem defugere certamina ac pericula pro republica velim, si quid proficere possemus. Sed, mihi crede, nihil loci est nostrae philosophiae apud eos qui tantum amant violenta consilia. Quod mihi nunc animi esse putas cogitanti de Smalcaldensi conventu, quo non solum foederati, sed etiam vester dux, ut audio, et aliarum civitatum δημαγωγοὶ venturi sint. Lutherus eo profecturus est. Erunt deliberationes de universa doctrina quae res dignae existimentur, quas defendant et anteferant publicae tranquillitati. Omnium principum ac doctorum animos iam introspicere mihi videor. Videor praevidere ingentia certamina, φιλονεικείας καὶ ἀμαθείας, αἳ κάκισταί εἰσι δαιμόνων. Nec ego video quae possit inter nos coire vera societas, cum acerbitas odiorum maior sit inter nostros quam adversus pontificiam factionem. Exspectabas a me historiam eius conventus. Res Gallicas et Caesarianas arbitror ab aliis etiam istuc perferri. Nec ego plura nunc habeo quam erant in tuis literis. De Turcis rumores et certi et atroces sunt. Non procul a Stiria grassantur Turcica praesidia et horrendam crudelitatem exercent. Aliquot hominum millia recens ex illa ora abducta, mulieres trucidatae ac laceratae incredibili immanitate. In Trans-

1) Pindar. Pyth. 3, 81—83. ed. Dissen.

sylvania Ioannes, sed usus Turcicis copiis, proditione cepit urbem munitissimam Cassoviam et ut imponatur praesidium Turcicum caesi cives fere omnes. Interim rixantur Christiani principes an liceat edere carnes die sexta et parant de rebus indignissimis intestina bella. An obscurum est quantas clades orbi terrarum denuntiarint eclipses et cometae? Turcam affirmant parare expeditionem in Germaniam. Praesidia certe eius late populantur proxima Germaniae loca. De his rebus omnibus scribam certiora ex conventu. Equidem do operam ne eo ducar, sed vix potero me evolvere. Tuas epistolas accepi omnes et cum illis Blareri xenium. Valetudinis meae infirmitas nunc etiam studia impedire incipit **τῶν σοφιστομανούντων**, qui me absentem calumniati sunt, ineptiae non solum consiluerunt, sed deridentur etiam modo. Arcesilaus fuit academicus ac maluit **ἐπέχειν** quam videri durior quibusdam amicis. Amsdorfius fuit hic quem scis esse **διαλεκτικόν**. Coepit etiam tueri mea, quem quidem inflectere multis in rebus possemus, si nobiscum esset. Honestissimae coniugi tuae mitto xenium et precor ut hic vobis et reipublicae annus faustus et foelix sit. Nunc non erat otium plura scribendi. Bene ac foelicissime vale, carissime amicorum omnium. 20. Ianuarii 1537.

Philippus.

Τὸν ἰατρὸν ἀσπάζομαι.

---

154. No. 1532[b]. (Vol. III. p. 288.) 27. Febr.

Lutherus ad Melanchthonem.

Hanc epistolam legas in epistolis Lutheri ed. de Wette Tom. V. p. 57 sq. No. 1762. Quid Melanchthon Luthero d. 3. Mart. responderit, vide in Corp. Ref. Vol. III. p. 299 sq. No. 1540.

---

155. No. 1557[b]. (Vol. III. p. 340.) 14. April.

Ioannes Fridericus Dux Saxoniae Elector ad Lutherum ceterosque Theologos et Iurisconsultos Witebergenses.

Haec epistola legatur apud Burkhardium l. l. p. 277.

---

156. No. 1570[b]. (Vol. III. p. 359.) 1. Maii.

Senatui Augustano.

Huius epistolae, quam Melanchthon „Montag am Tag Philippi und Jakobi [i. e. 1. Maii] 1537.“ (locum non memorans) scripsit, mentio fit in

Raiseri libro supra p. 97 sq. ad nr. 131. iudicato p. 71. nota *). Similis est argumenti ac illa, quam p. 100 sub nr. 135. exhibui. Autographon in Tabulario Augustano asservatur. Verba ipsa epistolae l. l. non afferuntur.

157. No. 1629ᵇ. (Vol. III. p. 448.) 16. Nov.

Thomae Blaurero.

Ex apographo Simlerianae collectionis Tigurinae (S. Msc. 43.).

Viro optimo Thomae Blaurero Constantiensi, amico veteri et carissimo.

S. D. Et mihi et Casparo iucundissima est recordatio tuae consuetudinis atque amicitiae. Quare literae tuae amantissime scriptae utrique magnam attulerunt voluptatem. Nemo enim in hac Urbe est cum quo mihi maior sit familiaritas quam cum Casparo et Milichio. Nec tantum nos privata officia, sed publica studia et negotia coniungunt. Nos studiis, voluntate, sententiis congruimus. gaudeo autem, Te veterum amicorum memoriam retinere, etsi profecto de tua voluntate, deque gravitate et constantia tua nunquam dubitavi. Spero etiam vicissim Tibi perspectum esse et animum meum, et iudicium de rebus maximis. Me hic non leviter exercent indocti quidam qui insulsissime tumultuantur de eiusmodi..[1]) materiis quas prorsus non intelligunt.. Quispiam Corderus, id ei nomen est, ac puto Te nosse hominem, libellum meum Locorum Communium abiectum in terram pedibus calcavit, credo ut Aiax pro Ulysse Hircum flagellabat, ita ille in libellum saeviit, cum in me expromere crudelitatem suam non posset. Alius quispiam disputat, Decalogum prorsus non esse praedicandum in N. T. Ita novum genus Sophistarum nascitur, cui equidem occurrere studeo, eoque iuventutem ad rectam doctrinam adhortor, et quantum possum do operam, ut ea, quae propugno, proprie explicem. Voles ex fratre audire, quantum mihi cum hoc genere Sophistarum sit certaminum. Et haec oratiuncula, quam Tibi mitto, aliquo modo significat. Haec[2]) scribebam eo die quo proponebatur typus futurae Eclipseos. Ideo versiculos, qui tunc forte ad eam rem erant conditi, mittendos duxi. Scio enim Te

1) de eiusmodi..] Simlerus adnotavit: haec vox in autographo legi amplius non potest; fortasse legendum est: de variis abstrusisque.

2) Haec] Melanchthon primum scripsit: „Literas has“, deinde „has“ litura delevit et scripsit: „Haec“, quamquam vox „Literas“ quoque delenda fuisset.

his studiis et exercitationibus favere, in quibus profecto, quantum possum, inventutem retinere cupio. Bene vale et saluta meis verbis fratrem. Die XVI. Novembris 1537. Salutant Te Caspar et Milichius.

Philippus.

Blaurerus adscripsit: accepi per Raspochum VIII Dec. 1537.

---

158. No. 1637 b. (Vol. III. p. 460.) 19. Dec.

Lutherus, Ionas et Melanchthon ad Ioannem Fridericum Ducem Saxoniae Electorem.

Vide apud Burkhardtum l. l. p. 296.

---

159. No. 1637 c. (Vol. III. p. 460.) 22. Dec.

Ioannes Fridericus Dux Saxon. Elector ad Lutherum, Ionam et Melanchthonem.

Vide apud eundem l. l. p. 297.

---

160. No. 1637 d. (Vol. III. p. 460.) (a. 1537.)

Bullingerus ad Melanchthonem.

Huius epistolae apographon ex copia in Epist. Vol. I. Bibl. Carol. p. 485. ex Bibl. Schneberg. per V. Clar. Voegelinum accepi.

Bullingeri Epistola responsoria ad Melanchthonis ad ipsum Epistolam Cal. Iulii 1536. *scriptam.*

Superiore anno scripseram ad te, Philippe doctissime, Epistolam, qua amicitiam petii tuam; addideram commentarios nostros in aliquot Pauli epistolas, ut in iis videres sententiam nostram de communi religione, ne fortassis imbutus sinistris quorundam rumoribus, indignum me tua putares amicitia. Is vero conatus meus haud caruit successu felici. Scripsisti nempe Cal. Iulii praeteriti Epistolam multo gratissimam, qua te mihi totum, pro tua humanitate, vinculis astrinxisti amicitiae. Gratias ago et habeo tibi maximas pro isto tuo in me animo promptissimo, et vicissim de me tibi pollicearis volo, quod frater de fratre amantissimo. Nunc autem, quo arctius haereat inita amicitia, mitto hic tibi eruditissimi D. Vadiani de Eucharistiae consideratione libros, Munus literarium et initae amicitiae pignus. Nihil enim dubito conceptum illam de nobis opinionem in Sacramentis nos nuda modo

agnoscere signa, multorum a nobis abalienasse animos. Videbis autem in hisce libris, quam sancte et religiose de Sacramentis loquamur. Nihil, opinor, desiderabit vel ipse de literis et pietate optime meritus Dominus D. Lutherus. De sua eruditione et modestia nihil dubito. Bucerus atque Zwiccius, fratres in Domino carissimi, multis exposuere nobis, quae sit vestra in hoc negotio sententia, et quam disertis verbis excludatis localem corporis Christi praesentiam, omnem denique eam, quae non est salva, eo quod Christus sit in uno coeli loco circumscriptus; aut quae veritati humanitatis Christi videri possit contraria. Rursus quod ingenue fateamini, nullam hic unionem corporis Christi cum pane corporalem, sed mysticam tantum; nullam item fieri vel localem inclusionem, vel transsubstantiationem, vel carnalem praesentiam. Illa enim sunt, quae impugnavimus hactenus, illa vos tueri putavimus; veram Christi praesentiam nunquam negavimus. Verum si hunc legeris librum dices, opinor, nobis convenire. Nil ergo restat aliud, quam ut Domino agamus gratias, omnesque animi dotes huc conferamus, ut regnum Christi domini nostri quam latissime propagetur, ut diligenter amicitiam veram colamus, carnem et sanguinem vere edi et bibi a fideli mente, idque non modo carnali, sed spirituali (credamus) hoc est in dies magis atque magis conglutinemur in uno spiritu, animo et mente una vera etc.

ANNO 1538.

161. No. 1645[b]. (Vol. III. p. 481.) 6. Jan.

Ioannes Fridericus Dux Saxoniae Elector ad Lutherum ceterosque Theologos Witenbergenses.

Haec epistola legatur apud Burkhardtum l. l. p. 299 sq.

162. No. 1663[b]. (Vol. III. p. 506.) 6. April.

Gabrieli Didymo.

Haec epistola ex autographo Vitenbergensi bis edita est 1) a Baxmanno in Niedneri Ephemeridibus: Zeitschrift für die historische Theologie anni 1861. fasc. 4. p. 621 sq. epist. 7., 2) a Schelero ex Professoris Lovaniensis Van de Velde Apparatu Melanchthoniano in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 7. p. 105. epist. 12.

Eximia pietate et doctrina praedito D. Gabrieli Pastori Ecclesiae Argelianae.

S. D. Heri valde mihi ipsi succensui, quod in discessu adeo fui negligens, et nec gratias tibi agerem pro hospitio nec cetera

usitata dicerem. Sed properatio fuit in causa, quare te rogo, ut mihi ignoscas. Nam animus est gratus. Pollicitus sum me vobis missurum literas si quas haberem de Brunsuicensi conventu. Mitto igitur scriptas a Friderico Gothanae Ecclesiae Pastore, qui comitatus est Principem. Hae enim erant copiosiores ceteris, quas accepi. Expecto copiosiores hodie. Tu cum legeris, exhibe eas viro egregio D. Praeceptori Lichtenbergensi aut doctori Tetleben. Mitto tibi etiam Psalmum Exurgat. Bene vale. Sabbatho post Laetare 1538.

Philippus Melanthon.

---

163. No. 1707 b. (Vol. III. p. 563.) 8. Aug.

Hieronymo Baumgartnero.

Hanc epistolam primum edidit Scheler e Professoris Van de Velde Apparatu Melanchthoniano in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 7. p. 99 sq. epist. 3.

Clarissimo viro, eruditione, sapientia et virtute praestanti D. Hieronymo Baumgartnero, senatori inclytae urbis Noribergae, amico suo carissimo S. D.

Etsi scio Deum attribuisse rebus conditis suas vires et non contemno significationes et causas physicas: tamen et hoc firmissima adsensione sentio Deum aeternum patrem domini nostri Jesu Christi conditorem naturae liberrimum, plurima moderari et multos tristes eventus impedire, idque ipse comperi. Et saepe cogito de primis parentibus. Hi post lapsum ab omnibus secundis causis deserti, tamen divinitus recreati sunt. Et possem de hac sententia multa scribere quam et versibus aliquando expressi.

Ipsa etiam quamvis adamanti incisa feruntur,
Cum petimus, cedunt fata severa Deo.
Nec Deus est numen, Parcarum carcere clausum,
Quale putabatur Stoicus esse Deus.
Ipse potest solus currus inhibere volantes,
Ipse velut scopulis flumina stare iubet.

Teneas igitur de filio hanc consolationem: ***generationi rectorum benedicetur.*** Genesis, ut ipse videt, pericula denuntiat. Et non erit segnis ut existimas. Si non voles ut in republica aliqua in cancellaria instituatur, vitae tutissimum et velut domicilium videretur fore philosophia. Ita minus ei periculi metuendum esset. Sed scribam alias plura. Lycaonis castra adhuc sunt vicina urbi Brunswigae et exercitus angitur. Nec deest pecunia. ἔχει οὖν

ἄλλους χορηγοῦντας, sed Deum oremus ut nobis adsit. Bene vale. 8. augusti (1538).

Philippus Melanthon.

164. No. 1714[b]. (Vol. III. p. 571.) 31. Aug.

Henricus Bullingerus ad Melanchthonem.

Apographon, quod per V. Clar. Voegelinum e Tiguro accepi, signatum est: Epist. T. I. p. 176. Cast. C. Arch. Eccl. Tig. ex autogr.

Clarissimo Viro, D. Philippo Melanchthoni, amico singulari.

Gratiam et innocentiam vitae n Domino. Mirum est, quam tuas virtutes, Philippe clarissime, tuam in instituendo se diligentiam, et ingentia tua beneficia praedicarit nobis omnibus Otto noster[1]): qui et eruditione haud vulgari et moribus sanctis civilibusque, quod praedicarat, approbabat. Pro quibus omnibus omnium nostrum nomine, gratias, quas possum, maximas ago. — Eucharistiae negotium arbitror brevi fore in tuto. Nam fratres Argentoratenses testati sunt, Confessionem nostram et quam ei appendimus explicationem Basileae de Ministerio et vi verbi ac Sacramentorum conscriptam, et D. Luthero Schmalkaldiae oblatam, a vobis non improbari. Suspiciones fortassis restant. Ceterum quod nos attinet, ita ex animo credimus, et ita palam docemus nobis commissas Ecclesias, quemadmodum Confessione et Explicatione ista apud vos sumus confessi. Interim non dubitamus oberrare mali genii mancipia, quae calumniis et obtrectationibus vestrorum animos in nostros exacerbare non desinant. Reperimus enim apud nos nonnunquam, qui frigidam suffunderent, classicumque canerent, si locus daretur certamini. Didicimus autem, nullum concedendum esse calumniatori locum. Idem haud dubie ipsi quoque didicistis. Extulit nos Divina clementia in suae Ecclesiae ministerium. Respicit in nos ut gregis exemplaria et sapientia praeditos grex Domini. At Divus Iacobus, quis sapiens, inquit, et scientia praeditus inter vos? ostendat ex bona conversatione opera sua cum mansuetudine sapientiae. Quod si aemulationem amaram habetis, et contentionem in corde vestro, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem. Non est enim ista sapientia e supernis descendens, sed terrena, animalis, daemoniaca. Ubi autem aemulatio et contentio, ibi turbae et omne opus pravum. Quae e supernis est sapientia, inprimis pura et syncera est, pacifica item,

1) Werdmüllerus.

mansueta, tractabilis, plena misericordia et fructibus bonis, absque diiudicatione et sine simulatione. Valeant ergo suspiciones. Valeant concertationes. Valeant simultates. Valeant susurri et calumniae. Amemus nos mutuo in vera Christi charitate. Iuvemus nos mutuo in opere Domini. Reparemus Regnum Christi. Exscindamus una Regnum Antichristi. Vidistis nostram confessionem. Intelligitis, quae sit sententia nostra de Evangelio, peccato, gratia, et iustificatione iustitiaque: quid item sentiamus de Christo et ministerio, ac vi verbi ac Sacramentorum. Nugentur ergo errones, quicquid libet: Vos autem credite, nos ita tenere, credere et docere incontaminatae religionis capita, quemadmodum confessi sumus. Quod si quid in illa desideratis, indicate, obsecro, ut semel omnes cessent suspiciones et simultates. Idem scripsi et D. Luthero. Nam amamus vos et cupimus illa, quae charitatem synceram impediunt, amota. Sane simulachra e templis, secundum leges Dei, et ex communi Ecclesiae nostrae consensu, Sanctique Magistratus edicto, modeste et citra turbas exportavimus et abolevimus. Abrogavimus item Papisticam, hoc est, auricularem confessionem, iisque renuntiavimus, quae cum illa erant colligata. At haec, opinor, neminem apud vos offendunt, nam ut statuarum picturaeque usum sero tandem et post annos quadringentos in templa Christianorum recepta non ignoras, ita scis confessionem institutum esse non Apostolicum, sed Patrum. Nosti nimirum Nestorii celebre factum. Interim vero nihil cessamus, sed pro officio et vocatione nostra consolamur cognitione peccati Divinaeque irae perterrefactas conscientias, easque in fide Christi redemptoris, promissionum Dei diligenti praedicatione confirmamus. — Praeterea retinemus adhuc publicam illam semper in Ecclesia usurpatam peccatorum confessionem. Bellum fortasse nostrum nimis infeliciter gestum, abalienavit a nobis quorundam vestratium animos, maxime quod felicis memoriae Zwinglius illius quasi fax et autor fuisse creditur. Ergo ut eius rei et Zwinglianae innocentiae vel aliquem gustum habeas, statui hisce chartas quasdam adiungere, non a me quidem compositas et adornatas, sed ab ipso editas Magistratu. Ex iis disces utriusque belli causas, et quod primum bellum necessitate quadam gestum est a Magistratu. Secundum et ultimum ab hostibus illatum, a nostris vero pro suorum defensione exceptum est. Hostes enim subito e montibus suis erumpentes agros nostros vicinos sibi invadebant ac vastabant. Hi vero coloni auxilium postulabant ex urbe. Neque enim procul aberant ab urbe hostes. Cumque incredibili hostium celeri-

tate premerentur, optimi quique ex urbe primi ex officio et studio in suos procurrebant, ut hostem retinerent, donec iusto exercitu, qui iam iam ex omni agro confluebat, arcere possent. At isti occasione sibi oblata utendum, minimeque cunctandum arbitrantes, vi illa sua, et copiis instructissimis pauculos istos nostros tumultuarie collectos, et iam iam accurrentes excipiunt, circumdant, et fortissime quidem, sed nequicquam pugnantes, crudelissime caedunt, denique et caesis cadaveribus odio religionis nostrae illudunt. Atque inter hos in primo certamine interiit una et Zwinglius, quem nulla libido, sed commiseratio, amor studiumque patriae, hostium crudelitas, Magistratus item decretum, denique extrema illa civium necessitas armaverat, atque in commune periculum cum suis attraxerat. Verum his nolo nunc tibi esse molestus. Haec autem scribo, ut si quid horum forte obstat, quominus syncera sit amicitia, tollatur nunc atque dispareat, et ut unum simus in Christo et non sint inter nos offendicula, simultates et suspiciones. Dominus Iesus diu te nobis servet incolumem. Tiguri ultima Augusti 1538.

Henricus Bullingerus, tuus.

---

165. No. 1719. (Vol. III. p. 577.) 1. Sept.

Ioannes Fridericus Dux Sax. Elector et Philippus Landgravius Hassiae ad Henricum VIII. Regem Angliae.[1]

Quid huius epistolae scribendae ansam dederit, narratur breviter a Bretschneidero in Prolegomenis ei in Corp. Ref. Vol. III. p. 577. praefixis, pleniusque ab Hochhuthio in dissertatione supra p. 102. sub nr. 141. laudata p. 602 sqq. Epistola Ioannis Friderici Electoris et Philippi Landgravii nomine ex illius mandato a Melanchthone d. 1. Sept. scripta et ab Electore ad Landgravium missa est, ut de ea iudicaret. Hic d. 11. Sept. Electori rescripsit proposuitque aliquam mutationem, quam etiam Elector admisit. Sic mutata demum d. 25. Sept. ad Henricum VIII. Regem Angliae missa est. Hac ratione explicatur et diei in epistolae fine adscripti et verborum eius diversitas, quae intercedit inter textum Corporis Ref. Vol. III. p. 578—580. et Ephemeridum Niedneri a. 1858. p. 607—610., ubi Hochhuth eam recudendam curavit. A Bretschneidero enim exhibetur, qualis a Melanchthone d. 1. Sept. ex mandato Electoris scripta est, ab Hochhuthio autem ita, qualis a Philippo Landgravio mutata et approbante Electore ad Henricum VIII. d. 25. Sept. missa est. Bretschneiderus l. l. p. 578. nota **) de mutatione epistolae a Landgravio proposita animadvertit: „sed quaenam (scil. haec mutatio) fuerit, ex actis non intelligitur.“ Ut lector hanc mutationem accurate cognoscat, eandem epistolam ex Hochhuthii dissertatione h. l. repeto, omisso tamen initio et fine cum Bretschneideri textu fere congruente.

Salutem dicunt plurimam — — — quaedam commemoranda sunt. (*Hoc initium apud Bretschneiderum l. l. p.* 578. *legatur.*)

Passim per universam Germaniam vagantur quidam errores, homines fanatici et impostores, qui praecipue profitentur Anabaptismum, et hanc habent notam suae sectae, quod damnato infantum baptismo rursus baptizantur. Hoc symbolum est huius factionis. Porro nusquam publice evomunt suum virus, sed in latebris, videlicet intra tecta obscurorum hominum, interdum in sylvis, ut latere possint. Cum enim videant nihil esse efficacius ad fallendos animos hominum quam speciem magnae humilitatis ac patientiae, gratissimam vero hominibus esse liberalitatem, docent facultates in commune conferendas esse. Et ut vindictam omnem improbent, negant christiano licere imperia tenere sive hereditaria sive alia legitima, negant concessum esse magistratus gerere, exercere iudicia, dare iusiurandum, denique tollunt re ipsa politicam ordinationem, quam Deus et instituit et approbat. Et de imperiis alii alias habent seditiosas opiniones. Quidam docent, Anabaptistas divinitus vocatos esse, ut nova et sancta imperia constituant, bella aliis inferant, et inchoent illud novum regnum Israel in terris, de quo citant Apocalypsim. Hoc impulsi furore in urbe Monasteriensi in Westphalia per seditionem eiectis legitimis magistratibus novum regnum horribili amentia atque audacia inchoaverant, qui quidem dederunt furoris poenas. Alii vero negant, se nova imperia moliri ac se praesentibus potestatibus velle subditos esse, sed addunt seditiosam opinionem, quod non liceat ipsis militare, etiamsi magistratus iubeat eos arma capere, quod etsi iam dicunt dispersi et palantes, tamen si multitudo conveniret, statim res ostenderet seditiosas eorum voluntates. Nam quicunque sunt capti impiis dogmatibus, hos diabolus, qui est homicida, etiam ad iniustas caedes et dissipationem humanae societatis impellit. Hos errores de rebus civilibus initio serunt qui facile capiunt vulgi animos. Quid enim plausibilius est apud egentes quam rerum communio? Nonnullos superstitiosos invitat illa artificiosa simulatio humilitatis et patientiae. Postea addunt infinitam confusionem opinionum, quas sibi ipsi temere fingunt. Labefaciunt recta dogmata de divinitate, de naturis Christi, prorsus ut Manichaei iactitant illuminationes spreto verbo Dei, tollunt vitium originis, et quid sit peccatum non recte docent, errant et de iustificatione, quam tribuunt operibus, et praecipue illi suae patientiae et barbaricae vitae id est rerum politicarum contem-

ptui. Turpissime polluunt coniugii sanctitatem, in vulgus concessa polygamia et divortiis sine ulla lege et sine iustis causis. Has absurdas et falsas opiniones alii astutiores amplectuntur per malitiam incitati gravibus cupiditatibus et spe licentiae maioris. Alii hebetes per ignorantiam in haec retia incidunt seducti ab impostoribus, moti superstitione tantum, ut in multis animadversum est. Et haec barbarica confusio superstitionum et opinionum erumpit tandem ubi creverit numerus in seditiones et caedes, ut accidit in urbe Monasteriensi, quemadmodum supra dictum est, et compertum est in aliis quibusdam locis similia conatos esse. Sed singulari Dei beneficio hi seditiosi conatus ubique magna cura ita repressi sunt, ut factio illa nullam civitatem teneat, nullos habeat usquam publicos coetus, nullas ecclesias, nec ferant deprehensos ulli qui praesunt, seu addicti papae, seu amplexi piam et puram evangelii doctrinam, sed severe eis adversentur, qua quidem in re nos hanc adhibemus iustam moderationem et quam a piis magistratibus requirit. Cum aliqui Anabaptistae deprehenduntur, convocamus aliquot eruditos et pios concionatores, ac iubemus ut refutatis falsis opinionibus ex verbo Dei rectius doceant errantes, ut sanentur. Ac multi hoc modo revocati in viam resipiscunt. Hi non adficiuntur poenis corporis, sed ad publicam palinodiam, qua testentur se abiicere errorem, adiguntur. Si qui vero pertinaciter defundunt suae sectae impia dogmata nec cedunt vera docentibus, hi retinentur diutius in carcere, et interdum durioribus poenis castigantur, ita ut differantur ultima supplicia propter spem emendationis, et quantum fieri potest, parcatur vitae. Si vero nulla spes est emendationis, adficiuntur pertinaces ultimis poenis. Non ignorat autem Regia dignitas vestra, pro sua sapientia et studio pietatis et doctrinae christianae, semper omnibus saeculis inde usque ab initio mundi diabolum insidiatum esse verae ecclesiae et semper conari ut omni genere scandalorum obruat evangelium et multos deterreat a vera pietate. Quis enim non perhorrescat, legens historias omnium temporum et considerans, quam abominandis idololatriis obscurata sit vera religio, quam prodigiosis haeresibus etiam in primo flore ecclesia dilacerata est. Retinent tamen pii veram fidem inter tanta scandala. Qua re speramus, Regiam vestram dignitatem his terriculamentis diaboli non deterreri a professione verae doctrinae, ac meminisse quod oporteat militiam verae ecclesiae semper esse plenam laboris ac certaminum adversus spirituales nequitias, ut ait Paulus. Itaque etiamsi irrepserit aliquod

contagium ab Anabaptistis istuc, non dubitamus quin Regia dignitas vestra, pro sua prudentia, pietate et iustitia, eam adhibitura sit moderationem in hac re, ut caveat pericula, ne qui errores pullulent et tamen discernantur ab Anabaptistis homines pii et recte instituti, qui papae abusus improbant a nobis quoque damnatos, nec cum Anabaptistis ad supplicia capiantur. Nam in multis locis Germaniae, ubi non traditur pura doctrina evangelii, exercetur ingens crudelitas sine discrimine; cumque sit necessaria severitas ad sanandos aut coercendos Anabaptistas, magistratus alicubi addicti legibus papae hoc praetextu interficiunt pios etiam alienissimos ab amentia Anabaptistica, quod est indignissimum magistratibus, qui Christiani dici volunt. Sed Regia dignitas vestra in re tanta discrimen faciet, ut gloriae Christi et innocentum saluti consulatur, qua de re prolixiorem disputationem scribendam esse duximus. Usus nos erudiit, ad retinendam in ecclesiis tranquillitatem et cavenda mala dogmata, utilissimum esse consilium, si curetur ut pura evangelii doctrina recte tradatur populo. Magna enim vis est veritatis nec facile labefactari potest, postquam recte percepta est, ac mediocriter instructi cavere et per sese refutare illas — — — Bene valeat R. D. V. (*Haec extrema epistolae pars cum Bretschneideri textu congruens in Corp. Ref. l. l. p.* 580. *legatur.*) Datum XXV. die mensis septembris, anno domini M. DXXXVIII.

Ioannes Fridericus.
Philippus.

---

166. No. 1720. (Vol. III. p. 580.) 1. Sept.

Petrus Taschius ad Georgium Schnabel.

Haec epistola a Petro Taschio anabaptista ad anabaptistam in Anglia Georgium Schnabel germanice scripta apud quosdam huius sectae a Philippo Landgravio Hassiae in pago Wolkersdorf captos inventa est, ex qua intelligebatur, hanc sectam etiam in Anglia esse divulgatam. Quapropter Landgravius consultum esse iudicavit, ut ab ipso et Ioanne Friderico Principe Electore Sax. Henricus VIII. Rex Angliae de hac re certior fieret suisque litteris ista epistola adderetur. Ut Rex eam legere posset, a Melanchthone ex mandato Electoris exeunte mense Augusto in latinam linguam translata et sic in Corp. Ref. Vol. III. p. 580—584. recensa est. Genuinis Taschii verbis eam Hochhuthius l. l. p. 603—606. edidit.

167. No. 1761 b. (Vol. III. p. 619.) (anno 1538.)

Tidemannus Giese, Episopus Culmiensis, ad Melanchthonem.

Haec epistola edita est in Vollbrechtii libro: Contionirtes gelehrtes Preussen. Trimestr. I. No. VIII. p. 150—156.; sed hunc librum nondum inveni.

ANNO 1539.

168. No. 1772 b. (Vol. III. p. 635.) (31. Jan.?)

Iudicium Lutheri, Ionae, Melanchthonis, Spalatini aliorumque de defensione.

Hoc iudicium legatur in de Wettii collectione epistolarum Lotheri a Seidemanno continuata Tom. VI. p. 225. No. 2494.

169. No. 1773 b. (Vol. III. p. 637.) 2. Febr.

Lutherus ad Melanchthonem.

Vide in Lutheri epistolis ed. de Wette Vol. V. p. 158 sq. No. 1836. — Seidemannus in continuatione de Wettianae collectionis Vol. VI. p. 225 sq. suspicatur, Lutherum etiam post medium Februarium ad Melanchthonem scripsisse epistolam nondum inventam No. 2495.

170. No. 1775 b. (Vol. III. p. 638.) (mense Febr.?)

Nicolao Bromio.

Hanc epistolam sine dato edidit Prof. Aug. Scheler ex Apparatu Melanchthoniano Professoris Van de Velde in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 7. p. 101. epist. 6. — Bromius quidem in epistola annotavit: „Accepi Patavia 4 januarii 1539."; at Melanchthon Francofordiam, ubi eam scripsit, demum fere medio Februario illius anni venit.

Nicolao Bromio Francfordensi in academia Patavina amico suo carissimo S. D.

Hanc epistolam scripsi in aedibus meis [1]) Francofordiae, Nicolae carissime. Aderam enim in comitatu ducis Saxoniae, qui huc venerat ut iudicium ferret inter nostros et adversarios. Ea res nondum erat perfecta, cum hi Galli hinc dissiderent. Scribam igitur de conventus exitu prolixius post catastropham, etsi spero Deum defuturum [2]) esse nobis, tamen an haec aestas sit futura

1) meis] sine dubio Mel. scripsit: tuis.
2) defuturum] sic l. l. legitur pro: non defuturum.

tranquilla, valde dubito. Mater te anxie desiderat. Ipse sum hortatus ut te revocet in Germaniam. Nam forensibus exercitiis tibi opus esse multis de causis iudico et illa consuetudine dicendi et scribendi senatorio more. Hanc ad rem disputationes illae te natis (?)[1]) instruent, sed de hoc meo consilio post paucos dies scribam uberius. Hi[2]) iuvenes sunt ex gallica natione liberaliter eruditi; quaeso ut eis tamquam recentibus hospitibus usitata officia praestes. Bene vale. Tui oves deo[3]) beneficio sint[4]) incolumes. Te videre cupimus 4.[5]) 1539.

---

171. No. 1775[c]. (Vol. III. p. 638.) 2. Mart.

Lutherus ad Melanchthonem.

Vide in Lutheri epistolis ed. de Wette Vol. V. p. 170 sq. No. 1845.

---

172. No. 1783[b]. (Vol. III. p. 648.) 14. Mart.

Idem ad eundem.

Vide ibidem Vol. V. p. 172 sq. No. 1846.

---

173. No. 1784[b]. (Vol. III. p. 650.) 18. Mart.

Wolfgango Capitoni.

Autographon huius epistolae in tabulario Seminarii evangelici Argentoratensis asservatur (certe asservabatur), ex quo Vir Rev. C. Schmidt Prof. theol. Argentoratensis benigne eam mihi descripsit. — In eius titulo ab ipso Capitone adscripta sunt: „Philippus de politicis suis, ex Francfurto, anno 39.“

Egregia doctrina et pietate praedito D. Wolfgango Capitoni docenti evangelium pie in ecclesia Argentinensi, amico carissimo.

S. D. Et rei publicae causa, et quia privatim te propter tuam virtutem, pietatem et doctrinam plurimum amo, cupio *ἀμνηστίαν* et oblivionem sanciri offensionum, si quae unquam inciderunt. Libellus politicorum scriptus est aliquantum post tumultum ut vocant agricolarum. Eo tempore incaluerant, ut scis, inter nostros certamina minime utilia. Legeram autem quandam responsionem excusam typis Basileae vel Argentinae, de tribus articulis. Erant in his etiam haec quae cito; nam mei nominis ibi mentio fiebat. Edita illa fuisse certum est; sed si apud nos excusus

---

1) natis (?)] pro hac voce fortasse legendum est: satis
2) Hi] legendum esse videtur: Hic
3) oves deo] corrupte pro: omnes dei (?) 4) sint] pro: sunt (?)
5) 4.] huic numero praecedit litera *n* deleta.

fuisset meus libellus post primam editionem, ipse sustulissem tuum et Cinglii nomen. Nunc mihi gratissimum facies, si quis istic edit, si curaveris ut deleatur tota illa sententia, ac prorsus tibi ius facio confodiendi illum locum tuo arbitrio. Bene vale. 18 Martii.

Philippus Melanthon.

---

174. No. 1788[b]. (Vol. III. p. 671.) 26. Mart.

Lutherus ad Melanchthonem.

Vide de Wettii collectionem epistolarum Lutheri Vol. V. p. 174. No. 1848.

---

175. No. 1820[b]. (Vol. III. p. 720.) 22. Jun.

Ioannes Fridericus Dux Saxon. Elector ad Lutherum, Ionam, Crucigerum et Melanchthonem.

Haec epistola legatur apud Burkhardtum l. l. p. 324 sq.

---

176. No. 1821[b]. (Vol. III. p. 721.) 24. Jun.

Georgio Kargio.

Has litteras primum edidit Scheler ex Apparatu Melanchthoniano Professoris Van de Velde in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 8. p. 116. epist. 19.

Egregia doctrina et pietate praedito, Magistro Georgio Karg, amico suo. S. D.

Gaudeo istic illucescere et propagari evangelium et opto ex animo ut dominus noster Iesus Christus, qui sedet ad dextram patris ut det dona hominibus, coelestibus donis Ecclesiam suam instauret, ornet ac cumulet. A principe nostro impetratum est, quod voluisti. Est enim aequissimus piis ingeniis, quae videntur Ecclesiae usui fore. Te rogo, ut cum iam ad docendum vocatus sis, nostrae amicitiae memineris. Praeclare inquit Basilius: non magis sinistrae opus est dextra quam Ecclesiae consensus docentium. Si fueris accersitus a duce Othenrico, quaeso ut ei morem geras, tibique in patria quaeras interim vicarium aliquem. Non est enim negligenda occasio propagandi evangelii in ea parte Bavariae. Quid est optabilius quam ut simul et Christi notitia latius spargatur et Germaniae concordia et consensus constituatur. Hae duae maximae res ita efficientur, si Bavaria amplecteretur evan-

gelium. Estque officium plenum pietatis et dignum praestantibus ingeniis, hanc tantam rem adinvare. Generoso comiti, domino tuo me commendabis. Bene vale, die Ioannis Baptistae 1539.

Philippus Melanthon.

---

177. No. 1821 e. (Vol. III. p. 721.) 24. Jun.

Wenceslaus Lincus ad Lutherum.

In hac epistola, cuius apographon ex Vol. MS. Thomasiano in 4°. factum in Codice 58. 4°. Bibliothecae Hamburgensis fol. 81b—82b. in manibus habeo, de eadem re agitur ac in illis duabus Melanchthonis et Linckii, quae in Corp. Ref. Vol. III. p. 718—720. No. 1819. leguntur.

Gratia et Pax a Deo Patre per Iesum Christum, Dominum nostrum. Amen. Scripsit ad me Dn. ***Philip. Melanthon*** iussu Principis Electoris, multis argumentis persuadens, ut Lipsiam me transferam ob Evangelium et gloriam Christi promulgandam. Fateor equidem me erubescere, si tam crebris vocationibus optimi Principis non obtemperem. Obstant interim in hac re quam plura non modici momenti. Paratus sum pro Christo nedum Noribergam, sed etiam totum mundum et hanc vitam relinquere, sed inops consilii sum, quidnam magis conducat. Difficile enim videtur, nostram Ecclesiam relinquere, cum non sit maior virtus parare, quam parta tueri. Versatur ob oculos id dictum: tene certa, dimitte incerta. Fratres ut maneam admonent. Nolim autem deesse promovendo Evangelio, videoque messem ingentem in patria mea imminere. Te igitur per Christum Dominum, et fraternam in Christo charitatem obtestor ac oro, ne graveris in hac re tum mihi communicare consilium, quo semper hactenus sum usus in hisce causis Evangelicis. Mitto coram ea, quae me attrahunt, ac quae retrahunt. Consulito cum Philippo et Iona. Quod melius fuerit, ei parebo, sciens ex Christi verbis: Ubi duo vel tres in ipsius nomine convenerint, ipsum in eorum esse consilio. Si iusseris ut migrem, fiat Domini voluntas, et poteris significare Principi, quatenus vocer. Si videbitur, ut maneam, item acquiescam. Satius tamen puto, quod maneam, et locum, quem teneo, non deseram. At non mea, sed Christi Domini voluntas in omnibus praeferatur, cui soli gloria in secula. Amen. His bene vale, et ora Deum pro me, ut me doceat suam voluntatem facere. Sed et per latorem praesentium saltem paucis responde. Dabam Noribergae die S. Ioannis Bapistae. An. 1539.

Quae ad migrandum moveant, haec sunt:

1) Christi gloria et Evangelii promotio, cui non servire nefas censeo. Nec enim unquam satis gratiarum agere possumus, quod patriam ab impiorum tyrannide liberatam Evangelio suae charitatis illustrare coeperit. Ad id cooperari, caeterosque operarios iuvare felicitatem duco.

2) Movet deinde reverentia Illustriss. mihique Clementiss. Electoris Saxoniae, quem expertus sum mihi semper clementissimum et faventissimum. Itaque confundar in me ipso, si non debeam ei morem gerere, praesertim cum iam tertio vocet, aut vocandum curet, ne forsan ....cosus[1]) iudicer, aut non nisi quae mea sunt, quaerere videar.

3) Allicit et debitum Reipublicae Christianae, potissimum autem patriae et illius civitatis, in qua tot pii sunt inventi, qui pro Christo non dubitarunt omnia relinquere, dum persecutionem paterentur, expulsi civitate, quibus rursum servire Christo gratissimum non dubito.

4) Accedit et hoc, quod cum locus sit studii, summopere mihi conduceret aliqualis studiorum meorum renovatio. Per tot enim annos otio quasi vacans exercitium studiorum non habui, sicut carbo segregatus ab igni vel ceteris prunis ardentibus amittit virtutem.

5) Commodius etiam filios meos eo loci possem applicare studio, quos alioqui providere necessariis expensis studii non valeo, proque eisdem nonnihil agendum censeo.

Retrahunt autem me ad manendum hic

1) Quia fratres manere suadent, necessarium putantes Ecclesiae nostrae quae non minus nunc, quam ante decennium, opus habet Evangelio. Satan enim miris modis impedire conatur et abducere. Quamvis autem sint boni viri et docti, qui conservare possent, Deo favente, nihilominus tamen seniorum auctoritas nonnihil efficere videtur. Unde, cum Paulus maximam collocarit operam ad conservandas Ecclėsias, quas plantaverat, ut per omnes epistolas fere eius patet, indignam etc. (*Hic desinit epistola in MS. Hamburgensi.*)

---

178. No. 1821[d]. (Vol. III. p. 721.) 24. Jun.

Wencesl. Lincus ad Melanchthonem.

Haec epistola h. l. recuditur ex hocce libro: Epistolarum historico-ecclesiasticarum Seculo XVI. a celeberrimis viris scriptarum Semicen-

1) Priores huius vocis duas syllabas certo legere non potui.

turia. Ex autographis et apographis fide dignis descripsit ac primum edidit Bernh. Frideric. Hummel. (Halae 1778. 8°.) p. 33 sq. no. XIV.

Lincus Phil. Melanchthoni.

Gratiam et pacem a deo. Literas tuas, clarissime vir, accepi, quibus voluntatem meam pergendi Lipsiam requiris idque ut faciam multis et firmis argumentis adhortaris. Ego quidem pro Christi gloria promovenda per evangelium non tantum illuc, sed ad extremos mundi terminos proficisci non dubitarem. Scio, me Christo Jesu domino meo debere totum, quod sum et quod possum. Accidit autem, quod non tantum plerisque viris prudentibus evenire solet, ut in propriis consiliis expertes sint consiliorum; sed et divo quoque Paulo, qui ignorabat, utrum e duobus eligeret, dissolvi, et quod optabat, esse cum Christo, aut manere diutius. Ego hactenus in his et similibus negotiis arduis D. Martini, quem ut praesentem patrem et praeceptorem semper colui, sum amplexus consilia. Sic eius consilio Monachis meis libertatem permisi, licet velut haereticus apud Caesarem accusatus et alia multa ab hypocritis fuerim passus. Eius consilio ab Aldenburgo migravi Noribergam. Eius consilio hactenus hic perstiti, quamvis a principe non semel alio vocatus fuissem. Eam ob rem et nunc ex ipsius consilio domini voluntatem exspecto; nec mihi ipsi fido. Scripsi et in summa, quae me movent ad hic manendum, ne sicut avis e nido transvolem; et quae me movere possent ad migrandum et votis principis parendum. Unde rogo perpendatis trutina, quidnam sit factu magis proficuum. Ego ex vobis Dei exspecto miraculum, paratus, id subire, quod in Christi gloriam fuerit. Amo principem electorem ex corde, nec dissido, me ipsius votis offerre: non quod fidam in principibus; sed quod sciam me debitorem iis, praesertim fidelibus. Maiorem in hoc principe fidelitatem et humanitatem comperi, quam in vilioris conditionis rusticis superbis, ne dicam impiis asinis. Et cur non obsequerer ac ferrem pro eo, ne dicam pro Christo, quod ferendum est ab aliis impiis? Igitur una cum Doctore consulito precor, quod optimum et pro Christi gloria potissimum fuerit. His in domino vive feliciter et vale. Datum Norimbergae die Johannis Bapt. 1539.

D. Wenceslaus Lincus.

179. No. 1827 b. (Vol. III. p. 741.) 2. Jul.

Helius Eobanus Hessus ad Melanchthonem.

Hae litterae inveniuntur in hocce libro: Helii Eobani Hessi Poetae excellentiss. et Amicorum ipsius, Epistolarum familiarium Libri XII. etc. (Marpurgi, Hessorum 1543. Fol.) p. 203 sq. epist. ultima libri VIII.

Optimo ac doctiss. viro, D. Philippo Melanthoni, amico summo suo, Helius Eobanus Hessus, S.

Non desino nunc hos nunc illos tibi commendare, mi Philippe, vel eorum qui hinc ad vos migrant, vel etiam qui aliunde ad te proficiscuntur. Persuadent enim sibi plurimum apud te posse meas literas, et habere multum momenti commendationem, quod sciant plerique eorum permagni me apud te fieri: eadem igitur fiducia, qua nuper Danicum iuvenem tibi commendavi, commendo et hunc Andream Herdenium Francofortanum, discipulum nuper nostrum, te audiendi cupidissimum, quem ut in discipulorum ac auditorum tuorum numerum admittas precor, spero indolem tibi non displicituram. Sic certe se erga nos gessit, ut bona conscientia tibi eum, nisi fallunt omnia, possimus et audeamus commendare: ego tot preces me in eam rem urgentium, excutere nulla ratione possum, adeo non desistunt et instant plerunque etiam moleste, etiamsi ego saepe illis tuam humanitatem ita praedico, ut dicam non esse ipsis opus ulla commodatione[1]), solere tuapte natura id facere te quod ut facias a me se impetrare posse confidunt. Et utcunque ea se habeant, hunc Herdenium rogo sic tibi sinas esse commendatum, ut sentiat aliquatenus sibi meas literas profuisse. De Fastis scripsi tibi cum Danico Hermanno, quod ita facturum me ut sum pollicitus, certo debes confidere. nam est etiam sua sponte in eum laborem valde propensus hic animus, quem iam dudum parturit, utinam non nascatur ridiculus mus. Vos obsecro, te dico, Lutherum et Ionam, et alios bonos viros, qui estis Deo gratissimi et acceptissimi ministri, orate pro me, ut ad eum laborem perficiendum, et vires sufficiat, animum inspiret, et vitam donare et conservare dignetur: quod si facietis, ut facturos confido, spero, sicut in Psalterio feci, et in hoc me vobis esse satisfacturum. De profectione ad Ioachimum scire pervelim quid constituas, oroque ut, si possis, rescribas. Item de Lypsica Academia quid speres, quid sentias, quid futurum augurere. Ego Principem habeo valde benevolum, et mei vere amantem, atque

1) commodatione] sic l. l. legitur, sed sine dubio legendum est: commendatione

etiam propemodum liberalem futurum, nisi obstaret in hoc aulicorum quorundam avaritia et malignitas, atque eorum in primis, qui plurimum et debebant mihi, et ego sua sponte facturos speraram, sed ego et parum aulicus, et natura simplex, mores istos fero potius quam oppugnem, nihil enim perfecero, et invidiam mihi haud dubie contraxero: tamen haec apud te talem amicum conqueri videbatur mihi habere quiddam etiam solatii. Saluta D. Lutherum, unicum huius aetatis lumen, et D. Ionam et Milichium. Martiburgi ad Lanum, die Visitation. Mariae. M. D. XXXIX.

---

180. No. 1830[b]. (Vol. III. p. 743.) 17. Jul.

Henningio a Holstein.

Haec epistola ex Simonis Leupoldi apographo, quod in tabulario Megapolens. Schwerini asservatur, edita est in G. C. F. Lischii Jahrbücher des Vereins für meklenburgische Geschichte und Alterthumskunde. Vol. V. (1840.) p. 237. Nr. 4.

Dem Ernuesten vnd gestrengen Henning von Holsten, erbses zum Anckershagen, meynem günstigen Hern.

Gots gnade durch vnsern hern Jhesum Christum zuuor. Ernuester, gestrenger her. E. Ernueste fuge Ich zu wissen, das Magister Jost, von welchem ich newlich geschrieben, sich erbotten, zu E. E. zu reysen nach Magdalene ohngefehrlich 14 Tage. Denn wiewol Jn das Febris verlassen durch Gottes gnade, so ist er doch zum wandern noch nicht wol geschickt, wie solchs alles der bot selb berichten kan, der selb bey dem Magistro gewesen, Jn gesehen vnd angeredt hat. Dieweyl denn Jn warheyt also, das dieser Magister fur andre sehr wol geschickt, vernunfftig vnd gelert Ist, wie meniglich alhie bezeugen werden, Bitte ich E. E. wolle mit dem verzug gedult haben, Ihr auch bemelten Magister lassen befohlen seyn, Dann Ich hoff durch Gottes gnade, Er werde die Jugent, so Jm E. E. zu beuehlen fürhat, trewlich vnd loblich vnderweysen. Wo Ich auch E. E. weyter hier Jn oder sunst dienen kan, bin Ich solches zu thuen willig, Dann Ich weys, das es Gots wille vnd befehl ist, das man die jungen leut, besonder so zu den Regimenten etwa sollen komen vnd gebraucht werden, zur erkentnis christlicher ler, zu allen tugenden vnd verstand des Rechten vffziehen soll. Darzu bin Ich, so viel myr Got verliehen, mit allem Vleyß zu helfen willig. Got bewahr E. E. altzeyt. Datum Witeberg 17. Julii 1539.

E. E. williger

Philippus Melanthon.

181. No. 1846[b]. (Vol. III. p. 771.) 5. (?) Sept.

(*Apocha.*)

Ex autographo, quod cum alio Melanchthonis scripto latino infra afferendo Dr. Ginsburg Anglus anno 1868., quo Halis commorabatur, Lipsiae emit et mihi aliquamdiu tradidit, ut scripti utriusque editionem pro ipso suis impensis in officina Hendelii typographica curarem.

Ich philippus melanthon bekenn das ich von dem herrn Christoff Planken empfangen hab funffzig floren vff das quartal crucis 1539

mehr hab ich empfangen funff vnd Zwenschig floren Zulag vff dises quartal.

Huic apochae subiuncta est haecce altera Melchioris Fendii:

Ich Melchior Fend bken Das ich empfangen hab XX fl. auffs quart(al) cruc(is) von Fu(nfften) tag September 1539.

---

182. No. 1863[b]. (Vol. III. p. 789.) 12. Oct.

Ioannes Fridericus Elector ad Lutherum, Bugenhagium, Ionam et Melanchthonem.

Hanc epistolam vide apud Burkhardtum l. l. p. 331—333. conf. ibid. notam **).

---

183. No. 1865[b]. (Vol. III. p. 796.) 24. Oct.

Andr. Osiander ad Georg. Spalatinum.

Apographon huius epistolae, quam Andr. Osiander, Ecclesiastes ad S. Laurent. Norinberg. de fanatico Decano Pataviensi ***Ruperto a Mosham*** scripsit, in Codice MS. 58. Bibliothecae Hamburgensis fol. 80[a]—81[a]. ob oculos habeo.

S. et P. a Deo Patre, et Domino nostro J. C. Amen. Quanquam novarum rerum nihil admodum sit, dignarum praesertim, quae tuis auribus ingerantur, optime Spalatine: tamen committendum non putavi, ut fratri tuo nullas ad te darem literas. Nos hic belle valemus, et tranquilli sumus, nisi quod D. ***Rupertus a Mosham,*** utriusque Iuris Doctor, Canonicus et Decanus Pataviensis, nuper etiam Consiliarius Regis ***Ferdinandi*** ob [1]) et fanatica dogmata non tam expulsus, quam cum expelli metueret, sed cum [2]) inquisitione, sponte profugus et exul ad nos pervenit, seque Senatui mira improbitate insinuavit, et ingessit, quasi

1) Hoc vacuum in MS. exstat; quaenam vox omissa sit nescio.

2) In margine ad haec dubia verba adscriptum est: f. (i. e. fortasse) scilicet in

haberet rectam viam atque rationem resarciendae in Ecclesia concordiae, quam illis aperire vellet, ita ut auscultatores darentur ***Hieron. Baumgartner***, ***Sebast. Gross***, Senatores, D. ***Hebenstein***, D. ***Christoph. Gugel***, ICti, ***Vincislaus*** et ego etiam interfuimus. Fecit legi suas nugas, quas conscripserat, in quibus Pontifex et ***Lutherus*** ex aequo incessebantur, et ***Lutherus*** quidem miris, inauditis, exquisitissimis, viruleutissimis et venenatissimis conviciis exagitabantur, cum ei [1]) et Lutheranis omnibus affingerentur impudentissimi errores, quorum fuit unus, quod Lutherani docerent, reliquias peccati non debere expurgari. Qui cum legeretur, ego amplius dissimulare non potui, sed palam et in faciem accusavi eum impudentissimorum mendaciorum, idque cum protestatione coram omnibus auscultatoribus, ut si sibi iniuriam a me fieri putaret, me iudicio cum illo acturum. Ego enim vellem hoc de eo perpetuo et constanter dicere, quod impudenter mentiretur, nec vir bonus esset. Hanc contumeliam bonus ille vir decoxit. Caeterum de sarcienda concordia verbum nullum. Nam hac arte insinuavit in hoc tantum, ut Senatus eius convicia in nos et fanaticas eius opiniones audiret, sperans, homo stultus, se hoc assecuturum, ut Senatus eum reciperet, concionandi munus committeret, et legationem ei decerneret, primum ad Ducem Saxoniae, deinde ad reliquos status, quo ***Lutherum*** omnibus haereticum probaret, et sua dogmata mundo obtruderet. Summa dogmatum est, se esse ***Helciam*** Sacerdotem, qui librum legis deperditum iterum invenerit, et sperat, se reperturum aliquem Iosiam. Duos esse Antichristos, carnalem et spiritualem. Carnalis Papa, spiritualis ***Lutherus***. Papam poenitentiam acturum et emendandum esse, cumque per ipsum Ecclesia reformetur, tum lucem Solis septempliciter fore, ut Esaias ait, et novum Hierosolymam spiritualem aedificandam, cuius duodecim fundamenta essent duodecim articuli fidei: duodecim autem portae essent quatuor Trinitates, quarum ***prima*** Pater, Filius et Spiritus S. ***Secunda:*** Verbum, Fides, Charitas. ***Tertia:*** Intellectus, ratio, voluntas. ***Quarta:*** Cor, os et opus. Et sic, ut prima Trinitas, ita etiam secunda prorsus sit unum. Et recte dici: Fides iustificat, dilectio iustificat, opera iustificant. Et ***Lutherum*** docere fidem monacham, eo quod esset solitaria sine operibus. Se autem docere fidem monarcham, i. e. illam secundam Trinitatem, de qua recte diceretur: Sola fides iustificat. Se esse unum, qui in sacris literis

1) ei] MS. calami errore: in ei

repererit, quod liceat dicere: *Sola fides iustificat:* nempe *μόνον πίστευε* Marc. V. et Luc. VIII. Et huius generis nugas infinitas Senatus sprevit, neque quicquam cum eo negotii habere voluit. Sed prohibuit, ne doctrinam suam cum quoquam communicaret, nisi cum concionatoribus forte. Nobis suasit, ut quasi nostra sponte privatim hominem confutaremus. Quod cum faceremus, homo non quievit, donec obtineret duos illos Senatores superiores, ut adessent. Confutavimus hominem sic ut lapides victum clamare potuissent. Solus ipse stipes nihil movebatur. Sed de integro postulavit stipendium pro suis quatuor equis, et quatuor vel tribus insuper addendis, ut legaretur, sicut dixi. Iam dudum cogitas, hominem insanire. Ego vero puto eum a Satana agitari, sed sic, ut tamen non morbo aliquo laboret, sed potius sic, ut Iudas. Est enim satis loquax et facundus, etiam Latine: Graecas gustavit, sed praeter linguas nihil bonarum artium tenet: et, si non coerceantur, posset magnum excitare incendium. Nos, quia diu hic haerere non poterit, ac ne volet quidem ita circumdatus, scribimus amicis, ut quoquo terrarum se conferat, notum sit, quid ab eo exspectari debeat. Et videor mihi videre Satanam una cum Papistis hoc multifariam multisque rationibus elaborare, ut, excitata aliqua nova et prodigiosa secta Lutherum obscurent, invêsum[1]) faciant, eique contentum inducant, quo statim Lutheranis bellum inferatur, ut iam infirmis et studiis vulgi privatis. Hoc omnibus viribus cavere debemus. Sed de homine stolido nimis multa, cum tamen restent plura. Bene vale. 24. Octobr. 1539.

184. No. 1870[b]. (Vol. III. p. 820.) 10. Nov.

Testimonium.

Hoc testimonium academicum pro M. Simone Leupold Pretinensi Vir Clar. Ge. Chr. Frid. Lisch in Illgenii Ephemeridibus: Zeitschrift für die historische Theologie, anni 1841. (Leipzig 1841. 8°.) fasc. I. nr. II. p. 55—62. cum largis Prolegomenis (p. 55—59.) ex autographo Melanchthonis ita evulgavit, cum omnibus lituris ac verbis vel mutatis vel tantum ex parte quadam exaratis, ut vera imago primi scripti praebeatur. Hoc autem loco iterum editur, sicut ex illo primo scripto nitidius exscribendum fuit.

Petivit a nobis testimonium de suis moribus et studiis Magister Simon Lupoldus[2]) pretinensis. Id ei summa voluntate im-

1) invêsum] sic in MS. legitur, sine dubio calami errore pro voce: invisum

2) Lupoldus] M. Simon Leupoldus ipse hanc nominis formam emendavit in: Leupoldus.

pertivimus; cum in Academia nostra versatus sit amplius octennio[1]), comperimus eum singularis dexteritate ingenii et bonis ac honestis moribus praeditum esse. Ad has animi dotes adiunxit optimarum artium studium, cumque se in lingua latina diligenter exercuerit, genus dicendi probabile consecutus est. Ac ne rerum doctrinam natura copulatam a dicendi exercitatione divelleret, philosophiae operam dedit et cum dialecticen diligenter didicit, tum vero initia doctrinae physices et illius pulcherrimae partis, quae ostendit rationem motuum coelestium, attigit. Et quoniam bonae menti praecipua esse cura debet, ut recte agnoscat et colat deum, magna pietate didicit christianam doctrinam, de qua amplectitur ecclesiae catholicae Christi consensum, quem et ecclesia nostra profitetur, et abhorret ab omnibus fanaticis opinionibus damnatis iudicio catholicae ecclesiae Christi.

Itaque huic Simoni propter ipsius virtutem et eruditionem decretus est in Academia nostra gradus magisterii in philosophia, idque his publicis litteris testatum volumus. Cum autem expediat reipublicae bona ingenia et instruere eruditione, tueri et provehere, commendamus hunc Simonem omnibus bonis viris, qui quidem, ubi industriam eius perspexerint, haud dubie nostrum de eo iudicium comprobabunt. Etsi autem intelligimus, illustrissimum principem ac Dominum Henricum Ducem Megalburgensem, qui suo iudicio, ut est ingeniorum censor prudentissimus, hunc Simonem in aulam accersivit, singulari cum benignitate complexum esse, tamen rogamus, ut et propter nostram commendationem aliquid studii ad benevolentiam suam erga hunc addere velit, praesertim cum principes viri in ea re bene mereantur de tota republica, cum bonos et industrios viros ad negotia adhibent et autoritate ornant. Datae Wittebergae Die Novembris decima Anno 1539.

---

185. No. 1875[b]. (Vol. III. p. 830.) 13. Nov.

Ioannes Fridericus Dux Saxon. Elector ad Lutherum et Melanchthonem.

Vide apud Burkhardtum l. l. p. 336. Hae literae spectant ad scriptum Luthero et Melanchthoni suppositum, quod in Corp. Ref. Vol. III. p. 830—837. exhibetur. Utriusque ad Electorem responsum deest.

---

1) octennio] a Leupoldo ipso emendatum in: decennio.

186. No. 1888 b. (Vol. III. p. 849.) 10. Dec.

Lutherus, Melanchthon aliique Theologi ad Philippum Landgravium Hassiae.

Haec epistola latine et germanice a de Wettio in sua collectione epistolarum Lutheri Tom. V. p. 237—247. affertur, et p. 237. in Prolegomenis suspicatur, eam ex latino in vernaculam linguam esse translatam, quod germanica verba in editionibus valde differant. In Seidemanni continuatione collectionis de Wettii Tom. VI. p. 238—244. No. 2506. et in Corp. Ref. Vol. III. p. 856—863. sub litt. B. tantum germanice legitur. Henr. Heppius etiam in dissertatione inscripta: Urkundliche Beiträge zur Geschichte der Doppelehe des Landgrafen Philipp von Hessen, quam in Niedneri Ephemeridibus Zeitschrift für die historische Theologie anni 1852. fasc. II. No. VI. p. 263—283. edidit, eam sola vernacula lingua ex autographo exhibet p. 266—270. inscriptam: N. II. „Beichtrat über die von L. Philipp beabsichtigte Doppelehe."

---

187. No. 1888 c. (Vol. III. p. 849.) 10. Dec.

Iudicium Melanchthonis de bigamia Philippi Landgravii Hassiae ad Eberhardum a Thann, Consiliarium Electoris.

Hoc iudicium ab eodem Viro Rev. Heppio in dissertatione modo laudata p. 271 sq. ex autographo editum est sic inscriptum: N. III. „Separatvotum Melanchthons. (Magistri Philippi Melanchthonis eigene handtschriefft an Thann.)"

Nemini ostendatur nec tradatur.

War ists das erstlich die menschlich natur also geschafft, das nur zwo person jn der ehe seyn solten, wie der text spricht, erunt duo in carne una, Es sollen zwo person, man vnd weib, ein fleisch sein, das ist ꝛc. nit von einander geschiden werden. Dises wer die Regula der natur, so sie nicht suach worden wer durch den Fall Adae. Es hett auch niemand macht von diser Regula zu weichen, so es gott nicht zugelassen vnd bestetigt, vnd ist an jhm selbs ein suacheit, Ernach aber hatt gott jm gesetz zugelassen vnd solchs bestettiget, das ein man mehr denn ein weib, doch ehelich haben möcht, wie der text spricht Deutero. 21. wenn einer zwei eheliche weiber hatt,

Vnd haben solchs die heiligen jm brauch gehabt, wie Gedeon vnd Samuels vatter, vnd Dauid vnd Josias ꝛc. vnd ist in Summa gewohnlich gewesen in gantzem orient,

Nu ist die frag, ob es auch jm newen testament zu zulassen,

Daruff ist die antwort, das solche alde gewonheit durch alte lobliche weltliche gesetz verboten vnd jm occident nicht gewohnlich gewesen,

So zimpt sichs auch besser zum ersten anfang der natur, das ein man nicht mehr denn ein weib hab zu einer zeit,

Solch gesetz soll man erhalden vnd soll nicht jn gemein zulassen, viel eheliche weiber zu haben,

Drum auch Christus vns erinnert das es jm anfang also gewesen sey, erunt duo.

Nu prediget ehr den Juden welcher gewonheit war das einer mehr eheliche weiber hatt, vnd verbeut solchs nicht, vnd sind one zweifel viel solche glewbigk worden. darumb ist bemelt verbott also zu achten, das man jn einem heimlichen fall den gewissen radten mag, also das ein dispensatio, nicht ein gesetz sey, sondern ein heimliche dispensation den gewissen zu gut

vrsach

jm newen testament mogen die recht glewbigen brauchen, jm fall, dem gewissen zu gut, alle weltliche ordnung die gott jm alden testament bestetigt hatt,

Nu ist solchs ein euserliche leibliche ordnung

Darumb mogen sie die glewbigen also dem gewissen zu gut brauchen

Maior est vera, quia euangelium pertinet ad gentes et iudeos.

Es ist auch wohl zu achten das noch in orient bey vilen christen dise gewonheit sey,

Dagegen aber ist den weibern nicht zu zulassen, viel menner zu gleich zu haben den solchs ist clar verboten Rom. 7. Dazu ists jm gesetz verbotten, vnd ist mehr wider die natur

Das aber Christus den spruch anzeucht Erunt duo in carne una, ercleret ehr sich, das ehr jhn derhalben anzihe, das ehescheiden zu verbieten. Denn der Juden, nicht der heilgen, weiß ware, wenn einer eine hatt, vnd war jhr mued, wolde gern ein ander nemen, vnd die wolt nicht, es were denn die vorige weg, so machten sie also muttwillige ehescheidung,

Dise ehescheidung ausser dem fall des ehebruchs verbeut Christus vnd dahin deutet er den spruch aus genesi 1 In carnem unam i. e. inseparabiles.

ANNO 1540.

188. No. 1920 b. (Vol. III. p. 947.) 23. Jan.

Ioannes Fridericus Dux Saxon. Elector ad Lutherum.

Haec epistola nondum edita, quae ansam dedit illius in Corp. Ref. Vol. III. p. 958—967. exhibitae, a Luthero, Iona, Bugenhagio et Melanchthone ad Concionatores Norinbergenses d. 17. Febr. scriptae, in Cod. MSC. Bibliothecae Academ. Gissensis No. 651. fol. 4 sq. invenitur, cuius apographon Vir Clar. Prof. Dr. Soldau benigne mihi misit.

Vnsern gruß zu vorn. Ehrnwirdiger vnd Hochgelerter lieber Andechtiger. Nach dem wir euch, auch den andern vnsern Doctoribus der heiligen Schriefft,

vnd Magister Philippsen Melanchton von des von Lunden Schreiben vnd erinnern in vergleichung vnser Christlichen Religion, anzeige gethan, mit gnediger begerung, das ihr den sachen, darauff wollet nachdencken, vermuge desselben vnsers vorigen schreibens. Darauff ihr vns dan iungst wider geschrieben, daraus wir euer aller Christlich vnd beharlich gemueth vermerckt, welches wir von euch zu gnedigem gefallen verstanden haben. So wollen wir euch nit bergen, vnd seindt vngezweiffelt, ihr habt sampt Magister Philipsen sonderlich wol vernommen, wie eusserlich sich die von Nurmberg ein Zeithero gegen vns vnd den andern vnsern Christlichen religion verwandten erzeigt, Auch mehr zu vnsern gegentheilen, den vns gehalten, Zu dem, das das ienige, so die keiserliche matt wider die wahre Christliche religion vnd derselben bekennende stende, beschwerlichs fürhaben soltte, nit am wenigsten aus Nurmberg hin vnd wider geschrieben vnd ausgebreitet wirdet, sampt andern mehr iren erzeigungen, darum wir itzt zu schreiben one noth achten, Doraus wir nit gerieng nachdencken schöpffen, wohin der von Nurmberg gemuethe berurter Religion halben endtlich gericht sei, Vnd ob sie bei vns dieses theils vnd vnser Confession endlich zu verharren, oder sich villeicht in ein vergleichung wollen bewegen lassen, wie vielleicht der keiser dieselbig wirdet furschlagen wollen, vnd furgeben als were es doch ein meinung, vnd sie entwichen doch nicht von gottes wortt.

Nun hieltten wir es darfur, man solte durch diesen weg etwas ihres gemuths in deme erlernen konnen, So ihr mit den andern Theologis vnd Magister Philipsen Melanchton an die predicanten zu Nurmberg eine fugliche schriefft, als fur euch selbst thettet, vnd zeigten ihnen ahn, diese oder der gleichen mejnung, die ihr dan wohl werdet zubedencken wissen. Ihr hettet verstanden, das der Bischoff von Lunden vns den Churfursten vnd Landgrafen zu Hessen kurtz verruckter Zeit geschrieben, keiserlicher Matt ankunfft ins Reich deutscher nation zuerkennen gegeben, vnd vns vnd den Landgrafen ernant hette, das wir vns sambt vnsern mittverwandten wolten verfast machen, dan die keiserliche Matt were geneigt von vergleichung des zwiespalts zu handeln, damit wir auff der keiserlichen Matt ankunfft vnd erfoddern vns dazu mochten verfast machen.

Darauff hetten wir euch befhel gethan, zubewegen, wie vnd in welchen puncten man auff keiserlicher Matt handelung vnd den Bepstlichen theil mit gott vnd gewissen, vnd ohne verletzung der warheit mit dem gegentheil solt mugen zu vergleichung kommen. Nun stunde euer Bedencken vnd gemuthe darauff etc. Dasselbige bedencken wir, soltet ir ihnen mit der kurtze vnd Summarie anzeigen, vnd darnach bei ihnen suchen vnd bitten, dieweil sie biß anhehr der lehr halben auch mit abthuung der vngottlichen papistisschen Ceremonien mit euch alwegen einig gewest, als ihr euch auch nochmals zu ihner

versehet vnd keinen Zweiffel hettet, das sie bei euch bleiben vnd verharren wurden, das man mit verfinsterung der doctrin, mit vermeinten glosen zu lasiren kondte, das sie euch ihr bedencken solcher handelung vergleichung vnd Concordien halben wolten zu erkennen geben. Wie ihr dan solchs von den gnaden gottes baß vnd eigentlich nach gestalt des handels ihnen werdet zuschreiben wissen, vnd wir euch kein maß hiermit darinnen wollen furgeschrieben haben. So wollen wir vns gentzlich versehen, aus ihrem widerschreiben, das ihr vns darnach forderlich vberschicken wollet, werde der Herrn von Nurmberg gemueth wohin dasselbig gericht zu vernemen sein, vnd wes man sich zu ihnen wurde zu versehen haben, vnd ob sie in berurter keiserlicher Matt handelung bei vns vnd vnsern mit verwandten werden stehend bleiben wollen oder nit. Solches haben wir euch gnediger meinung nit wollen vnangezeiget lassen, thut vns auch hieran ein sonderlichen gefallen. Vnd seindt euch mit gnaden vnd gutem geneigt. Datum Weimar, Freittags nach Fabiani vnd Sebastianj. Anno. 1540.

---

189. No. 1935 b. (Vol. III. p. 971.) 26. Febr.

Lutherus ad Ionam, Bugenhagium et Melanchthonem.

Vide de Wettii collectionem epistolarum Lutheri Tom. V. p. 269 sq. No. 1916.

---

190. No. 1935 c. (Vol. III. p. 971.) 29. Febr.

Responsio Theologorum Norimbergensium ad Theologos Wittembergenses.

Apographon huius responsionis lat. ineditae ad illud Lutheri, Ionae, Bugenhagii et Melanchthonis scriptum d. 17. Febr. datum (in de Wettii collectione Tom. V. p. 261—268. et in Corp. Ref. Vol. III. p. 958—967.), in eodem Codice MS. Gissensi No. 651. fol. 12 sq. asservatur, quod mihi describendum Vir Clar. Prof. Dr. Soldan benigne curavit. Haec responsio germanice exhibetur a Burkhardto l. l. p. 348—351.

Egregia pietate et eruditione praeditis D. Martino Luthero, D. Iusto Ionae, D. Ioanni Bugenhagio Pomerano sacrae Theologiae Doctoribus, D. Philippo Melanthoni clarissimis cum Scholae, tum Ecclesiae Wittembergensis luminibus suis in domino maioribus.

Salutem in domino. Sicut hactenus constanter et ex animo credidimus, ita nunc re ipsa verissimum esse experimur, id quod Apostolus Paulus varie copiose et propemodum nusquam non inculcat, omnes videlicet in Christo vocatos fideles esse unum cor-

pus ac eodem spiritu sive servi sive liberi prolatos vivificari duci ac gubernari, ut et idem sentiant et eodem spiritu ambulent. Tantus enim ac tam exactus est animorum inter nos ac vobis cum in causa pietatis defendenda consensus, tantaque providentiae vestrae cum rationibus nostris congruentia, ut acceptis de futuru quae promittitur pacificatione literis, non tam vestrum consilium legere, quam nostras ipsorum cogitationes elegantissima pictura expressas cernere simul et agnoscere nobis videremur. Neque vero mirum. Quid enim simplicius, quid rectius, quidve magis necessarium dici cogitarive potest, quam ut coelestis doctrinae sinceritatem professi nullum articulum eiusdem ab adversariis conculcandum donemus, nullum abusum cum ea pugnantem nobis obtrudi patiamur, sive hunc apud nos restitui, sive apud alios excusari postularint. Nam utrolibet admisso, profecto Deum optimum maximum ad iram provocaremus fratribus offendiculo essemus et posteritatis iustam cum ignominia perpetua reprehensionem incurreremus. Quare Deo propitio et quem nobis largiri dignatus est animum confirmante usque adeo in hac re a vestra pietate dissensuri non sumus; ut si forte (quod metuendum tamen non fuit) non nihil hic a recto deflexissetis, verecunde et reverenter etiam revocandos vos esse existimaturi fuerimus, porro in adiaphoris, quamquam vel nihil omnino, vel certe non multum est periculi, tamen ita sumus animati, ut nihil quod vos recipietis detrectaturi, nihil quod repudiabitis simus admissuri, quantum nostra quidem valebit autoritas, certe sine vestro consilio nihil agemus, Et hunc animum vobis non modo diligenter et fideliter praestabimus, verum etiam aliis, si qui forte nostro voluerint uti consilio, ut idem faciant suadebimus. Caeterum quae de Ordinatione, Digamia, Divortio, excommunicatione et aliis nonnullis vel corrigendis vel restituendis deliberavistis, Non solum vehementer probamus, verum etiam per gloriam Christi vos obsecramus et obtestamur, ut in eam curam prima quaque occasione diligenter incumbatis, ut Ecclesiae non solum sit tollerabilis, verum etiam honesta et deo digna facies, nec expectetis donec hi vobis coniungantur, qui ut res optime cadant, nihil tamen iuvabunt, sed velut impedimenta exercitus moras tantum et difficultates iniicient. Habetis eruditionem, cognitionem rerum, autoritatem, principes pios, populum obsequentem vel certe non recalcitrantem. Quod si nobilium quorundam morositatem veremini, certe malum illud Episcopis cum aularum suarum strepitu in Ecclesiam irrumpentibus conduplicabitur quo minus negotium diu extrahendum videri debet,

Nos multa videmus, audimus, cognoscimus et experimur quae efficiunt, ut vereamur, ne boni et probi exterarum nationum viri, quorum aequitas nobis utilissima esse poterat, magis suspectam habeant hac in re nostram negligentiam, quam culpent praeposteram et ut dicere solent sine maiorum autoritate tentatam innovationem [1]. Quin etiam adversarij, quamvis coram altis ime dissimulant, veriti ne nos ad recta pergendum (quod minime volunt) excitent in Angulis tamen et lustris suis hoc argumentum virulentissime contra nos agitant; ea tantum nos incessere et abolere criminantes, quae ordinem Ecclesiasticum odio gravent, populum carnali libertati deliniant, et principibus viam ad diripiendum bona Ecclesiastica muniant, porro ea quae propius ad rem spectent, quaeque inprimis restituenda et emendanda fuerant, quia nobis laboriosa et principibus quibus adulemur et obsequamur, ingrata futura sint, dissimulari et obliterari. Haec Calumnia quia speciosa est, et apud exterarum nationum Reges et principes valde nos gravat, primo quoque tempore amputari debet, praesertim cum periculum sit, ut Ecclesiae nostrae in hac disciplinae dissolutione corruptae ad recipiendam olim disciplinam futurae sint plane intractabiles. Nec ulla pacificatio tam bona, foelix ac fausta futura sit, in qua non adversariorum improbitas aliquid abrasura sit, de iis quae a nobis bene constituta sunt, tantum abest, ut quae nos neglexerimus ipsi sint [2]) emendaturi, Certe meliore conscientia moreremur, ab adversariis mactati, si Ecclesias recte atque ordine constitutas post nos relinqueremus, quod si fatum aliquod nos praeoccupaverit, non deerunt, qui nos ut Medicos Imperitos vituperent, quod vulnera Ecclesiae ab immanissimis feris dilaceratae refricuerimus, et dolorem eius renovaverimus, cum medelam tamen utilem et efficacem adhibere non potuerimus. Haec non scribimus in hoc, ut vos tanquam desides admoneamus, quos scimus in causa pietatis esse ferventissimos, sed ut affectum cordis nostri et zelum domus Dei, qui nos urit levandi causa in sinum carissimorum fidelissimorumque fratrum effundamus, Et vos in hoc negotio conficiendo non tantum vestra autoritate ac vestris armis pugnetis, verum etiam aliorum suspiria et lachrimas ex intimis verae et sincerae ut confidimus pietatis

---

1) innovationem] sic pro *inuocationem*, quam vocem Codex habet, legendum esse, non solum ex ipso contextu intelligitur, sed etiam versione germanica in Prolegomenis memorata probatur, in qua hic locus sic translatus est: „denn dass etwas bissanher ane des bapst willen vorendert ist.“

2) sint] in Cod. male: sunt

penetralibus promanantes allegare possitis. Aggressis operam nostram qualemcunque liberaliter pollicemur fidelissimeque si quid conferre poterit praestabimus. Quod si minus tamen Deum et patrem domini nostri Jhesu Christi ut verbo suo praelucere vobis et spiritu suo foelicem successum afflare dignetur, una cum Ecclesia nostra pro vobis interpellare non desinemus. Quod superest ingentes vestrae pietati gratias agimus, quod nostram doctrinam et Ecclesiam vestrae conformem et cum ea consentientem agnoscitis. Atque in communi causa tam diligenter laboratis ac vestrorum nos consiliorum tempestive participes esse voluistis quam benevolentiam erga nos perpetuo ut retineatis etiam atque etiam obsecramus. Bene valete et hoc tenue scriptum nostrum ab optimo animo profectum boni consulite. Norimbergae ultima Februarij (1540).

Wenceslaus Lincus.
Dominicus Schleupner.
Andreas Osiander.
Vitus Theodorus.
Thomas Venatorius.

---

191. No. 1936[b]. (Vol. III. p. 972.) 5. Mart.

Philippo Landgravio Hassiae.

Hoc scriptum Melanchthonis manu exaratum, quod Christoph. a Rommel in libro suo Geschichte von Hessen Tom. III. P. 2. (Cassel 1830. 8°.) in annotationibus p. 213 sq. brevius memorat, primum integre editum est ab Henr. Heppio in dissertatione supra p. 135. sub nr. 186 recensita in Niedneri Ephemeridibus Zeitschrift für die historische Theologie anni 1852. fasc. II. No. VI. p. 274 sq. sic inscriptum: „N. V. Ermahnung Melanchthons, nach erfolgter Trauung, an L. Philipp." Conf. Corp. Ref. Vol. III. p. 972. not. *).

Petitio 3 Articulorum,
Phi. Melanthonis vnd ander.
Actum jnn Rotenburg Freitags nach Oculi Anno rc.

Durchleuchter hochgeborner gnediger furst vnd her, E f g bitten wir vmb gottes willen vnd zu gottes lobe, diese drey artikel von vns gnediglich anzuhören, anzunemen, vnd mit christlichem ernst beherzigen,

Erstlich nach dem Paulus spricht der Ehestand sey ein groß sacrament der lieb Christi gegen der Kirchen, das ist, die warhafftige eheliche lieb sey ein bild der lieb Christi gegen vns, so bitten wir E f g wollen auch dabey gedencken das sie solche lieb der armen christenheit schuldig ist, vnd derhalben des vleissiger jhr die hohe wichtige sache der Religion lassen beuohlen seyn,

sie furdern vnd schutzen helffen, als ein ehemann seine gemahel zu furdern vnd zu schutzen ernstlich gesinnet ist,

Vnd jn sonderheitt wollen E f g vleis ankheren, das jn E f g landen die pfarrer vnd schuldiener besser versorget werden, das man personen erhalden moge, vnd nicht entlich ein barbarey zu besorgen,

Zum andern, das sich E f g furohin enthald vor vnzucht, ehebruch, rc. vnd wollen das Exempel Dauidis mit rechter gottes forcht betrachten, dadurch wir vermanet werden, wie ernstlich gott straffen wolle, vnzucht vnd ehebruch, wie Gottes wort offt meldet,

Zum dritten, bitten wir E f g wollen dise sach heimlich halden, auch nicht andre offentliche einfuhrung dergleichen gestatten, vnd hierin viel vrsach bedencken, vnd jn sonderheit, das so man offentlich davon disputiren wurde, wurde viel beswerung furfallen,

Gott wolle E f g helffen vnd leiten.

---

192. No. 1936[c]. (Vol. III. p. 972.) 5. Mart.

Lutherus ad Melanchthonem.

Vide de Wettii collectionem Tom. V. p. 272 sq. No. 1918.

---

193. No. 1938[b]. (Vol. III. p. 976.) 9. Mart.

Iudicium de bonis ecclesiasticis.

Hoc iudicium ineditum d. 9. Mart. a Melanchthone Schmalcaldiae communi consensu Theologorum, qui eo convenerant, compositum esse elucet ex Casp. Crucigeri ad Frid. Myconium epistola d. 10. Mart. data, quam infra No. 195. afferam. Apographon huius iudicii in Codice MS. Bibliothecae Academ. Gissensis No. 651. fol. 54—60. asservatur, quod Vir Clar. Prof. Dr. Soldan mecum benevole communicavit.

Der gelerten bedencken Der kirchengueter halben, wie sie zugebrauchen[1]).

Vonn den kirchen guettern.

Erstlichen. Ist nicht Zweiuelh, ein Jede oberckeit Ist schuldig Jun Irenn gebiethen vnrechte gotsdinst abetzethun, vnnd rechte antzurichtenn, Die pfarren vnnd Schuelenn Zubestellenn vnnd den personen notturfftige vnnderhaltung zuuerschaffen.

Vnnd das die oberckeit diesen Dinst, vnd dieses werck Got schuldig sey, Ist in vielen vnnsern schrieften clar vnd vnwidersprechlich erwiesenn. So

---

1) Haec inscriptio non iudicio ipsi praefixa est, sed in eius involucro legitur.

Spricht Esaias Et reges erunt nutritores vestri, et regine nutrices, Das ist, Fursten vnnd Stete, Sollen die kirchen ernherenn vnnd vnderhalten. Iha also werden die politie, auch Gottes Dienerin, vnnd seint In Irem furnembsten Ampt, vnd werck, So sie zu Gottes lob dienen vnd die kirchen vnderhalten vnd schutzen.

Dan vmb dieses wercks willenn hat Got Regiment vnd Politicam societatem geordenet, das dar In leuchten solle sein nham lehre vnd kirche. vnnd wo solchs nicht ist, als bey den Haiden, do gehenn die Regiment nicht in Rechter ordenung. Vnnd wens gleich weise geschickte leuthe seindt Als Alexander vnnd seine gesellenn gewesenn, So ist doch nur ein hauff Cyclopum der ane Got ist, vnnd zu ewiger verdambnus verordenet.

Vnnd ist in Summa nicht zweifel, Der gesetzte grundt pleibt vhest. Nemlich das die weltliche oberckeit schuldig ist, die pfarren vnnd schuelen recht zubestellen vnd abgotterey abezuthun,

Zum andern. Wo nu die oberckeit in pfarren, die vnrechten gotsdinst abthut, Ist nicht zweifel die pfarrgueter pleibenn der kirchenn. Den so keine pfar gueter da weren, were die oberckeit schuldig, neue gueter darzue zuuerordenen. vnnd allen pfarleuten etwas vffzulegen, wie Ire voreldern gethan haben, vnnd wie geschrieben steet Ad Galathas. Der Zuhörer ist schuldig dem lerer zu lonen. vnnd hadt also die kirche Dominium derselbigenn gueter, Aber die Weltliche oberckeit ist schutzher daruber, vnd sol sie erhalten, vnd den personen Ire vntherhaltung dauon verordenen. Dieses alles ist offenntlich,

Zum dritten. So ein vntuchtiger prediger oder pfarrer entsetzt wirdet, vnnd das Ampt einem tuchtigen beuolhenn, So volget der Soldt dem tuchtigen, vnnd nicht dem vorigen, lauth der regell, Beneficium datur propter officium, vnnd Ist dieses offenntlich an viel örttenn Inn Rechtenn ausgedruckt. So spricht Christus, dignus est operarius mercede.

Vnnd Reimbt sich nit hieher, das etliche furgebenn, So einem ein prebendt gelihenn, möge man denselbigen nicht entsetzen, sein lebenlang Gleich, als so Ime ein Ritterlehen sein lebennlang verschriebenn. Diese kirchenlehenn seint Embter, vnnd volget das Stipendium dem Ampt. Vnnd seint nicht freie donationes, wie etliche Rhumen, Sie stetzen in der possession, Man konne sie nicht entsetzenn etc.

Zum vierten. Von pfar vnnd Schuelgueternn Ist leicht Zuuerstehenn, Das solchs pillich also gehaltenn wirdt, Wie gesagt ist, Nun wollen wir weither von Stiefft vnnd Closterguetern Sagenn.

So die oberckeiten die vnrechtenn Gotsdinst dar Inn abgethan, pleibenn die gueter der rechtenn kirchenn. Wie Augustinus schreibt, Das der Donatisten kirchenngueter pillich der rechtenn kirchenn zugewandt wordenn. Vnnd ist die weltliche oberckeit schutzher daruber, hadt dieselbigen zubestellen wie

andere publica bona. Darumb die Fursten vnnd Stende dieses teils Recht gethan, Das sie In Iren gebietbenn In Stiftenn vnnd Clostern die vnrechten gotsdinst abegethan, Vnnd die gueter in Ire verwaltung genomen. Denn ganz kein zweifel daran, Das sie baides schuldig seindt, Die vnrechtenn Gotsdinst abtzuthun, wie das erste vnnd ander gebot lerenn. vnnd die verwaltung der gueter antzunemen, als patroni vnd schutzhern gemeiner gueter, vnnd insonnderheit der kirchengueter,

So sol auch niemandt haben Imperia, dan die weltliche oberkeit, Darumb weil solche gueter, als Stete vnnd Dörffer eins Zwangs vnnd der hohen Iurisdictio bedürffen, geburth sich derselbigen nicht den kirchen personen, Sondern der weltlichenn oberkeit antzunemen.

Zum fünfften. Darbey ist aber die oberkeit schuldig dieselbige gueter nicht den kirchenn Zuentfrembden, Sonndern sie treulich Zuerhalten. Vnnd dauon Erstlich das predig Ambt vnd Schuelen nach notturfft bestellenn. Zum Andern Sol dauon Hulff gescheenn den Armen leuthen. Vnnd so es grosse gueter seindt ist pillich, Das man dauon Dehr Armen Jugent Edelen vnnd Vnedelen In landen Hulf thut Zum Studio,

Item den kirchen dienern, So schwach worden vnd Emeriti seindt vnnderhaltung Zuuerschaffenn.

Item Das man einen vorrath erhalte, dauon man In teuerungen den Armen helffenn möge etc.

Ist nu etwas vberig, So mögen auch die oberkeitenn Als patroni dasselbige mitgenissen. Dieweil sie solche gueter schutzenn vnd ordenen mussenn, Tragenn auch grossenn vncosten der Religion halbenn Sofern das sie zuuor die pfarren Schuelen Studia Armen etc. wie gesagt ist versorgen.

Etliche aber nhemen nicht allain die Stieft vnnd closter gueter zu sich, Sondern bestümpeln auch die pfarren vnd hospitalen, Welchs seher Zubeclagenn vnnd ein Raub ist, Den Got ernstlich straffenn wirdet.

Darumb wir sie vermhanen, Das sie diese gueter wie gesagt ist brauchenn vnnd ordenen wollenn.

Es were auch pillich Das Oeconomi gewehlet würdenn, die der kirchenn, Das ist etzlichenn geweltenn von der landtschaft zu Jederzeit rechnung thetenn, Das man erkennen kondt, das solche fur kirchenn gueter gehaltenn vnnd furnemblich Dohin verordenet wurdenn.

Zum Sechsten. Dieweil aber die thumbstieft Inn grossen Steten aigne herschafft sein wollenn, Als zu Strasburg, Augspurg, Costantz, Bhremen, Magdeburg etc. oder wennden fur, Die Stete habenn keine Hocheit vber sie, Als zue Franckfurth, Eßlingenn, Hamburg, Braunschweig etc.

Vonn diesenn Stiefften allen Zugleich Ist dieses Im grundt der warheit, Das es deren orth pfarkirchenn vnnd schuelenn gewesenn vnnd sein solten. Wie solchs auch daraus Zuuerstehen, Das an denselbigen örtten, sonst keine

pfargueter seindt, wie man dan waiß, Das in etzlichen Steten die hospitalh In Hern Stieft Zu vnchristlichem Beystlichen bracht verwandelt seindt als zu Strasburg, Memingen etc. Item es seindt vbast alle Stieft von den Incorporirten pfarren gestiegenn.

Darumb ist nicht Zweiuelh, Es sollen die pfarren Schuelen vnd Armen In Stedten furnemlich von solch guetern versorget werden. Darnach von der vbermaß, solte den kirchenn vf dem lande vnnd dem Armen Adel Hulff geschεen.

Derhalbenn So ein vergleichung furgenomen würde, fordert solcher Stete hohe notturfft Das Inen etzliche kirchenn gueter Zugestalt werden, soull sie zu rechter vnd notturftiger bestellung Irer kirchenn Schuelen vnnd hospitalen bedorffenn.

Vnd würde alsdann Zuredenn sein, Welche Stieft dem adell, als der auch hulff bedarf zulassenn, vnnd welche den Steten vbergeben solten werdenn. Dan es ist den Steten nicht moglich Ire kirchenn In die lenge Zuerhalten vnd leute vfftzutziehen So sie Irer Stieft vnnd lehenn gantz beraubt sein solten. Wie solchs aller Stete botþschafftenn genugsam wissenn Zue berichtenn.

Können sie aber solche durch Handlung nicht erlangen, So ist gleichwol die warheit, das sie recht thun, So sie die abgottischen pfaffen vnnd verfolger rechter lhar vonn sich verJagenn, Vnnd so es Inen muglich die kirchengueter, soull zu Irer bestellung von nöttenn zu sich bringenn.

Das man aber dargegenn Sprechen will Es sey der kaiser allain patronus derselbig sol solche gueter ordenen Zu Irem rechtenn brauch,

Darauf ist ein kurtze antworth. Dieweil der kaiser vntuchtige personen In disen guetern schutzet vnnd erhelt, So dorffen die kirchenn vf sein verordenung aber beuelich hierinn nicht warttenn.

Exemplum. Der kaiser Decius fordert von Laurencio der kirchenn schatz. Nun hadt man gleich wie itzo. des kaisers hoheit antziehenn mögen. Aber Laurentius wolt Ime nichts gebenn.

Also Ambrosius wolt vfs kaisers geboth den Gotten nicht die kirchenn einreumen vnnd sprach ob man wol sagte, Alles sey des kaisers, So sey doch die kirch des herrn Christi.

Also pleibt der wharenn kirchenn Ire gerechtigkeit, Ire gueter, so sie Inne hadt, Zubehaltenn, auch an denen ortenn ein Zunemen, dohin sie Zu vnderhaltung der Ministerien furnemlich gestiefftet. Wie das pfargut dem Rechten pfarhern volgen sol vnnd muß, So man den vntuchtigenn entsetzt, wie obenn angetzaigt ist.

Vnnd ist den gifftigen Schlangenn Im Chamergericht Ire list nicht Zutzulassenn, Welche die sachenn von kirchenguetern nicht fur Religion sachenn verstehenn wollenn. Den auch dieser artickel ein Lhar artickell ist, Das die papistischen pfaffenn vnnd Monchen In den kirchenguetern sietzen Als Diebe vnnd reuber,

Vnnd das kirchenn gueter wie pfarr gueter dem Rechten Ampt volgenn sollen, vnnd seint nicht freie lehenn, die man eim solchen mussigen gotlosen hauffen gebenn soll vnnutzlich vnnd in vnzucht Zuvorschwenden. Wie S. Petrus weißgesagt, Das die kirchenn prelaten die Elemosinenn mutwilliglichenn vorschlemenn werdenn. So wissenn sie selbst Das Ire aigene Canones diese sach nicht für ein weltliche sach haltenn.

Diesenn vnnsern bericht vonn kirchen guetern biethenn wir, wollen vnnsere gnedigste vnd gnedige hern von vns gnediglichen annhemen, Denn wir gantz nicht zweifeln Diese meynung sey warhafftiglichenn gegrundet Jnn gottes worth vnnd den alten canonibus vnnd kaiserlichen gesetzenn, So man sie In Irem naturlichenn rechten verstandt, one Sophisterey vorstehenn will, gantz gemeß.

Darumb auch meniglich aus diesem bericht sein gewissenn vnntherrichten vnnd trosten magk.

Got wolle allen christlichen Regenten diese gnade verleihenn, das sie die kirchenn Embter vnd Studia stadtlichenn helffen erhalten vnnd fordern.

Iustus Ionas D.
Iohan Bugenhagen pomer. D.
Caspar Creitziger D.
Philippus Melancton.
Nicolaus Amssdorf.
Nicolaus Scheubell.
Anthonius Corvinus.
Iohannes Kymeus.
Balthazar Rhaidus.
Martinus Butzerus.
Erassmus Sarcerius Ego Doctor pomeranus mea manu pro eo subscribo, Ita ipse me per literas rogavit,
Iohannes Amsterdamus.

---

194. No. 1938 c. (Vol. III. p. 976.) 10. Mart.

Scriptum Crucigeri manu exaratum.

Apographon huius scripti inediti, quod in eodem Codice MS. Gissensi No. 651. fol. 17 sq. exstat, Viro Clar. Prof. Dr. Soldan debeo.

Begleitungsschreiben zu dem von den Theologen auf dem Convente zu Schmalkalden übergebenen Bedenken[1]).

Gottes gnad durch vnsern Herrn Jhesum Christum Ehren vheste gestrenge, Hochgelarten, Erbare weise gunstige Herrn,

1) Hoc iudicium legitur in Corp. Ref. Vol. III. p. 926 – 945. No. 1918.

Nachdem vns beuohlen zu erwegen, so eine Vergleichung fur genomen wurde, welche Artikel Zu streitten, vnd in welchen etwas nach zu geben, vberantworten wir dauon vnser einhellig vnd endlich bedencken. Vnd wiewohl vnser wenig alhie sind, so haben wir doch vieler andern, die hie bey verzeichnet, schrifften empfangen, vnd semptlich verlesen, welche durch Gottes gnad alle mit diesem vnsern bedencken im grund vnd in der meinung gantz vnd warhafftiglich mit stimmen, Welches wir als ein besonder Gottes gab achten, vnd nicht ein geringe anzeigung ist rechts Christlichs verstands in den Kirchen dieser Stende. Wollen also vnser bedencken in vnterthenigkeit vberantwort haben Vnd erbieten vns von allen Artikeln weiter bericht zu thuen, so man solchs fordern wird,

Vnd nach dem wir von vielen sachen vnser Kirchen alhie geredt, ist bedacht worden, das seer nutzlich vnd von noten sey, zu erhaltung eintrechtigkeit der Lahr, vnd sonst zu besserung in viel wege, das die Stende liessen in einem iar, oder in zweyen ein mal, die Predicanten ein Synodum halten, vnd darin etlich Visitatores ordiniren, wo sonst nicht Visitatores geordnet sind, welche die kirchen die selbige zeit ersuchten, ob vnrichtigkeit in der Lahr fur fiele, die selbige zu stillen,

Wie solchs in der Christlichen kirchen zu der Apostel zeit vnd ein zeitlang ernach gehalten, Vnd were durch Gottes gnad zu hoffen, das solche Synodi vnd Visitationes zu viel gutem dienen solten, wie wir zum teil im werck befunden, das die Visitationes hoch von noten vnd nutzlich sind. Wir bitten auch, man wolle schedliche vnd irrige Bucher nicht zu drucken oder zu verkauffen gestatten.

Es wird auch fur gut an gesehen, das man an allen orten bey den vnsern mit dem ersten weg thue die Ciboria oder Sacrament heuslin, Auch die vnnutzen Altarn, Item auch ergerliche Bilden, Lugen Historien, vnd andre Mahlwerck, damit pfaffen vnd Monchs lugen bestettigt wird, Denn Mahlwerck in den Kirchen (so mans haben wil) sol sein aus der heiligen Schrifft, vnd aus waren Historien, daraus die Leyen lernen konnen, wie auch das Decret bekennet Picturae sunt Laicorum scripturae etc.

Gott beware E Ehrnvest vnd gunst alle Zeit,

Datum Smalkalden decima Martii Anno etc. xl°.

---

195. No. 1938 [d]. (Vol. III. p. 976.) 10. Mart.

Caspar. Cruciger ad Fridericum Myconium, Ecclesiae Gothanae pastorem.

Haec epistola inedita, cuius apographon in eodem Codice MS. Gisseusi No. 651. fol. 63[a]. invenitur, magni momenti est, quod ex ea praeter alia intelligitur, Melanchthonem illud de bonis ecclesiasticis iudicium

(vide supra p. 142 sqq. no. 193.) d. 9. Mart. Schmalcaldiae composuisse. — Hanc epistolam alteramque subsequentem ab eodem ad eundem ibi 16. Mart. scriptam Viro Clar. Prof. Dr. Soldau debeo.

S. D. Iussi sunt Theologi conferre sententias et statuere de propositis antea deliberationibus. Magna est Dei beneficio in omnibus rebus sententiae et voluntatis coniunctio etiam absentium, qui scripto exhibuerunt suas deliberationes. Quidam tamen nihil prorsus miserunt nec ipsi adsunt, videlicet Augustani, Constantienses, miror etiam de Urbano Regio. Heri compositum est a Philippo communi consensu scriptum de bonis Ecclesiasticis. Hodie deo volente nostrae sententiae offerentur foederatis. Ac nihil restabat, quod nos hic retineret, nisi quod Anglo scribendae sunt confirmationes aliquorum Articulorum, de coniugio Sacerdotum, Missa, Votis etc. Id enim voluit dominus Cancellarius ut exhibeatur ad conventum Parlamenti Anglici, quod erit mense Aprili. Caesar magni aliquid moliri dicitur, quidquid id est. Sed de his rebus certius et plura habes in aula. Quaeso te ut ad nos scribas, si ipse venturus non es. Spero etiam aliquid literarum a nostris ad te perlatum iri, cum istac transituri sint bibliopolae et mercatores nostrates. Bene vale. Schmalkaldiae, 10. Martii. Anno 1540.

Caspar Cruciger.

---

196. No. 1940[b]. (Vol. III. p. 977.) 16. Mart.

Idem ad eundem.

Ex hac epistola, cuius apographon in eodem Codice MS. Gissensi No. 651. fol. 63[b]. asservatur, elucet, Articulos in Angliam missos, qui in Corp. Ref. Vol. III. p. 1009 – 1016. No. 1951. exhibentur, non verosimiliter, ut Bretschneiderus in Prolegomenis eorum scripsit, sed certo in conventu Schmalcaldico ante d. 16. Mart. a Melanchthone exaratos esse.

S. D. Gratissimum mihi fuit, quod ut petieram de meis Lipsensibus diligenter scripsisti, affatim risimus Fabulam de sepultura Ochsenfordii, digni sunt tales, qui etiam in funere fiant risus et fabula vulgi praestitit ille scilicet quod non multo ante sancte promiserat suis, se moriturum in fide papistica. Nunc de eius successore in Canonicatu inter illos certabitur. Sed spero fore, ut aliquis quaeratur a principe idoneus ad docendum in schola, qui adiungatur Nicolao nostro. Quid hic nunc agatur, quod quaeris, propemodum nihil est. Iam absolutae sunt scriptiones mittendae in Angliam ad Regem. Philippus de coniugio Sacerdotum graviter et libere admonuit Regem. Addidit etiam coronidem de

Missa Sophistica seu Theatrica, quae tantum est Idolatricum spectaculum. Hodie Theologi communi decreto anathematisabunt phanaticum commentum Schwenkfeldii, qui edidit quosdam libellos, in quibus negat humanitatem Christi post resurrectionem. Ait enim humanam naturam conversam in divinitatem. Lutherus superiore septimana Wittebergae Disputatione publica refutavit illius delirium. Cras Philippus, ut existimo, ad vos excurret, nos fortasse interim hic haerere oportebit. Sperabamus[1]) fore, ut iam dimitteremur, sed quia expectandum est responsum a Caesare, fieri poterit, ut diutius hic, quam vellemus, detineamur. Tu de rebus omnibus, quae scire voles, ex domino Philippo audies. Bene vale. Datae Schmalkaldiae 16. Martii Anno 1540.

Casparus Cruciger.

---

197. No. 1945[b]. (Vol. III. p. 983.) (mense Mart. aut April.)

Lutherus ad I. Ionam, Ioh. Bugenhagium, Casp. Crucigerum et Ph. Melanchthonem.

Vide de Wettii Collectionem epist. Luth. Tom. V. p. 274 sq. No. 1920.

---

198. No. 1947[b]. (Vol. III. p. 987.) 8. April.

Lutherus ad Melanchthonem.

Vide ibidem Tom. V. p. 275—277. No. 1921.

---

199. No. 1966[b]. (Vol. III. p. 1031.) 19. Maii.

Senatui Hamburgensi.

Haec epistola Melanchthonis invenitur in Arnoldi Greue memoria Ioa. Westphali p. 18 sq. in nota 33., quem librum nondum inveni.

---

200. No. 1966[c]. (Vol. III. p. 1031.) 21. Maii.

Ioannis Friderici Principis Electoris Consiliarii ad Lutherum, Ionam, Bugenhagium et Melanchthonem.

Hanc epistolam legas apud Burkhardtum l. l. p. 355 sq.

---

201. No. 1974[b]. (Vol. III. p. 1045.) 18. Jun.

Lutherus ad Melanchthonem.

Vide de Wettii collectionem epist. Luth. Tom. V. p. 293—295. No. 1939.

---

1) Sperabamus] sic sine dubio legendum est pro „Sperabimus", quod Codex habet.

202. No. 1987 b. (Vol. III. p. 1068.) 13. Aug.

Albertus Dux Borussiae ad Lutherum et Melanchthonem.

Haec epistola invenitur in hocce libro: D. Martin Luthers Briefe an Albrecht, Herzog von Preußen. — — herausgegeben von Karl Faber. (Königsberg 1811. 8°.) p. 33. — Lutheri responsum quaere in de Wettii collectione Tom. V. p. 308 sq. No. 1953.

203. No. 1998 b. (Vol. III. p. 1078.) 1. Sept.

Philippus Landgravius Hassiae ad Lutherum et Melanchthonem.

Hanc epistolam legas apud Burkhardtum l. l. p. 361 sq.

204. No. 2035 b. (Vol. III. p. 1124.) (exeunte Octobri.)

Lutherus ad Melanchthonem.

Haec epistola per Alexandrum Alesium a Wittenberga Wormatiam proficiscentem eo portata, cuius mentio fit in Crucigeri litteris ad Lutherum Wormatiae d. 6. Nov. datis (in Corp. Ref. Vol. III. p. 1136 sq. No. 2044.), nondum reperta est. Vide de Wettii collectionem epist. Luth. a Seidemanno continuatam Tom. VI. p. 278. No. 2523.

205. No. 2056 b. (Vol. III. p. 1158.) 21. Nov.

Idem ad eundem.

Vide de Wettii collectionem Tom. V. p. 315 sq. No. 1959.

206. No. 2059 b. (Vol. III. p. 1162.) 24. Nov.

Idem ad eundem.

Vide ibidem Tom. V. p. 317 sq. No. 1960.

207. No. 2075 b. (Vol. III. p. 1192.) 7. Dec.

Idem ad eundem.

Vide ibidem Tom. V. p. 321—323. No. 1963.

ANNO 1541.

208. No. 2152 b. (Vol. IV. p. 111.) 1. Mart.

Iusto Menio.

Hanc epistolam e Viri Rev. Augustini collectione, quae nunc in Bibliotheca Seminarii theol. Wittenbergensis est, primum edidit Baxmannus in Niedneri Ephemeridibus: Zeitschrift für die historische Theologie, anni

1861. p. 601—642.: VII. Dreissig noch nicht gedruckte Briefe Luthers, Melanthons und einiger Zeitgenossen, p. 622. epist. VIII.

Viro optimo D. Iusto Menio, Pastori Ecclesiae Isenacensis, amico suo carissimo.

S. D. Dei beneficio incolumes venimus Vitebergam. Familiae et nostrorum et amicorum recte valent, tantum meus minister aegrotat, consumptus tabe seu marasmo ut mihi videtur. ***Francisco*** non dubito curae fore tuum negotium, sed tamen ad eum scripsi, *τὸ δίκαιον* flagitans, ut laborum tuorum sanctissimorum ratio habeatur. Velim te mihi significare, quid respondeat aula. Nam si opus erit, coram res agenda erit, cum iter ad conventum faciemus. Mitto tibi proximae disputationis Wormaciensis sententias et hic agitatas, profecto eruditius quam istic explicabantur. Addidi et oratiunculam de architectis tricosarum conciliationum. Nam postquam hac redii, quaedam rescivi de Alcibiadeis quorumdam consiliis, quae Wormatiae nondum noram. Lutherus respondit *τῷ τυράννῳ* Brunsuicensi. Si proficiscar ad conventum, habebis a me literas. Totam Disputationem Wormaciensem Principi germanice vertimus. Bene vale. Cal. Martii 1541.

Philippus Melanchton.

---

209. No. 2166ᵇ. (Vol. IV. p. 134.) 16. Mart.

Lutherus ad Melanchthonem.

Vide in Lutheri epistolis ed. de Wette Tom. V. p. 332—334. No. 1971.

---

210. No. 2175ᵇ. (Vol. IV. p. 147.) (ante 4. April.)

Idem ad eundem.

Vide ibidem Tom. V. p. 336 sq. No. 1974.

---

211. No. 2177ᵇ. (Vol. IV. p. 149.) 4. April.

Idem ad eundem.

Vide ibidem Tom. V. p. 337 sq. No. 1975.

---

212. No. 2186ᵇ. (Vol. IV. p. 163.) 12. April.

Idem ad eundem.

Vide ibidem Tom. V. p. 341—343. No. 1977.

213. No. 2195 b. (Vol. IV. p. 174.) 18. April.

Idem ad eundem.

Vide ibidem Tom. V. p. 343 sq. No. 1978.

214. No. 2198 b. (Vol. IV. p. 177.) 20. April.

Idem ad eundem.

Vide ibidem Tom. V. p. 345 sq. No. 1980.

215. No. 2203 b. (Vol. IV. p. 184.) 22. April.

Idem ad eundem.

Haec epistola invenitur in Ioannis Calvini operum editionis Amstelodamensis Tomo IX. (Amstelodami 1667. Fol.), qui post Institutionum christianae religionis libros IV, Epistolas atque Responsa tam ipsius Calvini quam insignium aliorum in Ecclesia Dei virorum continet, inter quas haec pag. 13. exhibetur.

Lutherus Melanchthoni.

Accepimus iam alteras vestras literas, mi Philippe. Et licet dextrae tuae confractae me misereat, tamen ego neque tuis omnibus, neque meis credo. Res nostrae non casu, sed certo consilio, non quidem illo nostro tam felici scilicet, imo solius Dei geruntur. Verbum currit, oratio fervet, spes tolerat, fides vincit ut palpare cogimur; et nisi caro essemus, dormire possemus feriarique, scilicet memores Mosaici illius, Vos quiescetis, Dominus pugnat pro vobis. Nam etiamsi omnia aliter velimus consulere, dicere, facere, vigilantissimi, si Deus non pugnarit, frustra vigilaverimus: illo vero pugnante, non frustra dormierimus. Et certum est ipsum pugnare, et paulatim et pedetentim descendere de throno ad iudicium illud expectatissimum. Multa sunt nimis signa quae id mihi persuadent. Res in domibus vestris salvae sunt, gratia Dei. Nolite timere. Estote fortes et laeti, nihil solliciti. Dominus prope adest. Agant quicquid possunt Henrici, Episcopi, atque adeo Turca, et ipse Satan. Nos regni filii sumus, qui illum conspuimus et occisum denuo ab istis Henricis, Salvatorem colimus et exspectamus. 22 Aprilis. M. D. XLI.

216. No. 2207 b. (Vol. IV. p. 190.) 29. April.

Idem ad eundem.

Vide de Wettii collectionem epist. Luth. Tom. V. p. 350. No. 1984.

217. No. 2265[b]. (Vol. IV. p. 394.) 9. Jun.

Comiti Tarnoviensi.

Huius epistolae nondum editae apographon eiusdem aetatis Vir Clar. Dr. R. Reicke Regiomontanus in libro quodam (scil. Matthiae de Mechovia Chronica Polonorum. Cracoviae 1521.) Bibliothecae Wallenrodtianae invenit et mox in Commentariis suis „Altpreußische Monatsschrift" integre divulgabit. Hoc loco solum initium eius, et locum diemque, quo a Melanchthone scripta est, indicare possum. In literis, quas de hac epistola ab illo Viro Clar. accepi, legitur quidem: *Ioanni Comiti in Carnov*, sed non dubito, quin pro *Carnov* scribendum sit *Tarnov*, ad quem Comitem Melanchthon plures epistolas dedit, vide Corp. Ref. Vol. V. p. 372. 713. 779.

Illustri et Magnifico Domino Ioanni Comiti in Tarnov etc.
Philip. Melanchton.

S. D. Pergratum mihi fecit Ioannes vetus amicus noster, quod in conventu Ratisponensi, quo me fato fortassis aliquo, certamina de doctrina christiana traxerunt, non lenibus conflictantem curis, adiit. — — — — Ratisbo. 9 die Junii Anno 1541.

---

218. No. 2270[b]. (Vol. IV. p. 403.) 17. Jun.

Lutherus ad Melanchthonem.

Vide in Lutheri epistolis ed. de Wette Tom. V. p. 369—371. No. 1995.

---

219. No. 2275[b]. (Vol. IV. p. 410.) 22. Jun.

Idem ad eundem.

Vide ibidem Tom. V. p. 371 sq. No. 1996.

---

220. No. 2281[b]. (Vol. IV. p. 434.) 25. Jun.

Idem ad eundem.

Vide ibidem Tom. V. p. 374. No. 1998.

---

221. No. 2283[b]. (Vol. IV. p. 437.) 29. Jun.

Idem ad eundem.

Vide ibidem Tom. V. p. 375. No. 1999.

---

222. No. 2283[c]. (Vol. IV. p. 437.) 29. Jun.

Andr. Osiander ad Ioh. Langum.

Huius epistolae apographon ex codice epistolarum MS. in fol. olim Schlegeliano, nunc Gothano f. 238. transscriptum, in Codice episto-

larum Melanchthonis Bibliothecae Hamburgensis Nr. 58. epist. 131. ob oculos habeo.

Optimo et doctiss. Viro Ioan. Lango, Theologiae Doctori, Ecclesiastae Erphurdensi, suo in Domino chariss. fratri.

Etsi ex eo tempore, quo Smalkaldi una fuimus, nihil ad te literarum dederim, doctiss. Vir, tamen non puto, nostram qualemcunque amicitiam dissolutam esse. Qui enim in eundem Christum baptisati, et eodem Spiritu potati sumus, non possumus nos non invicem amare, Christi Spiritu caritatem Dei et proximi in cordibus nostris perfundente. Quare per eandem charitatem te rogo, ut hanc mulierem, affinem meam, ***Annam***, relictam ***Georgii Dickheutleri***, uxorem vero ***Iohan. Keck*** legitimam consilio et auxilio iuvare, aut saltem eiusmodi bonos viros, qui id possint ac velint, ostendere ne graveris. Cum enim maritus eius rem familiarem non feliciter tueretur, inopia eos disiunxit. Ipse militarem vitam secutus ad aliquod nomen pervenisse, et nunc apud vos esse, ac stipendium ab urbe vestra habere fertur. Qua re haec uxor eius variis iactata infortuniis tandem apud filiam suam ***Ursulam***, quae apud nos ***Christoph. Anholt*** nupsit, constitit, apud quam cum inculpate vixerit et de marito nonnihil audierit, meo impulsu ad vos, eum quaesitura, profecta est, quem si invenerit, quaeso, des operam, ut invicem reconcilientur, idque magis bonis suasionibus, ne maritus traductus aut accusatus uxori infensus fiat, quam rigore iuris, nisi forte hac via nihil proficiatur. Quanquam si boni viri, cum quibus ipse consuetudinem habet, et quorum authoritas aliquid apud eum valet, intercedant, non dubito, rem perfici posse, sine ullo severiori consilio. Qua in re, ut dixi, eam iuvare velis, Deo officium gratum exhibiturus, et me quoque tibi nova ratione demeriturus. Nos hic iam librum, qui Theologis Ratisbonae propositus est, tanquam idoneus iudex, quo dissidium religionis tolli possit, perlegemus, et iudicium nostrum de eo conscribemus illuc mittendum. Dominus Iesus te tueatur incolumem. Amen. Datae Noribergae. Petri et Pauli 1541.

Andr. Osiander, Ecclesiast. ad S. Laurent.

---

223. No. 2396 b. (Vol. IV. p. 683.) (exeunte Octobr.)

Ioannes Fridericus Dux Saxon. Elector ad Lutherum, Bugenhagium, Crucigerum et Melanchthonem.

Vide apud Burkhardtum l. l. p. 399 sq.

224. No. 2410 b. (Vol. IV. p. 707.) 7. Dec.

Iustino Goblero.

Haec epistola ex autographo Bibliothecae Hamburgensis a Cl. Viro Prof. Ed. Boehmero primum edita est in Hollenbergii Ephemeridibus: Deutsche Zeitschrift für christliche Wissenschaft und christliches Leben. Neue Folge. Tom. III. anni 1860. 4°. No. 14. p. 110 sq.

Clariss. viro d. Iustino Goblero iuris doctori amico suo cariss.

S. D. Agnosco candorem animi tui summum, quod de meo silentio nihil suspicaris atrocius, teque rogo ut hanc in amicitia constantiam perpetuo praestes. Nam et ego de tuo ingenio, de studiis, et de voluntate erga me amanter et praeclare sentio, teque amo et facio plurimi. Nec silentii mei tam diuturni ulla fuit causa alia nisi quod aut desunt nobis tabellarii aut intempestive flagitantur literae. Etsi enim σχολὴ nomen habet ab otio, tamen nobis minimum est otii. De conventu, cum Acta extent, scribere nihil opus est. Insidiis petiti sumus satis artificiose structis, quas deus dissipavit. Nos moderate et tamen constanter respondimus. Nec profecto illae fucosne conciliationes, quas quidam moliebantur, sanaturae erant discordias publicas. Ideo agamus, ut decet pios, simpliciter et plane. Pontifices Epicuri fugiunt Evangelii lucem quae opibus et potentiae ipsorum videtur officere. Ideo cum piis ecclesiis nunquam facient fida foedera. Deum oremus ut emendet ecclesias, et suo quisque loco adiuvet pium emendationem. Bene vale. Die 7. Decemb.

Philippus Melanthon.

ANNO 1542.

225. No. 2472 b. (Vol. IV. p. 800.) 8. April.

Philippus Landgravius Hassiae ad Lutherum et Melanchthonem.

Vide apud Burkhardtum l. l. p. 410 sq.

226. No. 2499 b. (Vol. IV. p. 827.) 1. Jun.

Aonius Palearius ad Lutherum, Melanchthonem, Bucerum, Calvinum.

Haec epistola edita est in hocce libro: Io. Georgii Schelhornii Amoenitates historiae ecclesiasticae et literariae. (Tom. I. Francof. et Lips. 1737. 8°.) p. 418—462. De die, quo haec epistola scripta est, editor disserit l. l. p. 447.

Servus Iesu Christi, Marthino Luthero, Philippo Melanchtoni, Marthino Butzero, Calvino, et Germanis Helvetiisque universis qui invocant Iesum Christum.

Etsi, quae Romae geruntur, perferet ad vos vel rumor ipse prius, vel nuntii multorum, quam meae litterae, mira est enim inopia tabellariorum fidelium, et mercatores, qui istuc ire consueverunt, timore perterriti sunt, quod omnibus locis excutiantur: tamen, vel quia serae significationes certissimae sunt, vel quia, quod ego sentio, cupio vos scire neque vanum neque abs re visum est, si quem invenero, qui adferat, aliquid ad vos litterarum dare. Pontifex Romanus mirum in modum se parat atque expedit, ut, cum primum potest, Bononiam proficiscatur, incredibilem diligentiam adhibet, ut omnes sui instructissimi ad diem adsint: ex omni numero delecti sunt aliqui, quibus mandatum est, ut octavo Cal. Aprilis Tridenti sedeant, caeteri curiales sequantur, qui non sequentur, hostium loco habebuntur, ea de caussa publicae litterae scriptae atque impressae typis, iussumque, ut per lictores in valvis templorum affigantur. Multi in urbem convenere, ut ostendant, se imperata facturos: ab his curatur diligenter, ne quid desit, quod in vos possit excogitari. Ipse Pontifex, qui id aetatis non satis firma est valetudine, ne nocturnum quidem tempus sibi ad quietem relinquit. Magnam copiam consultorum habet, quibuscum ad multam noctem sermonem producit: interdum autem iurisperitos, aut usu rerum probatos, aut astutos homines, addite autem, si vultis, improbos consulit: nonnumquam Sophistas Theologos aut Philosophos contentionis cupidissimos advocat, orat atque obsecrat, ut in communem curam incumbant, et in hoc Concilio de Maiestate Ecclesiae Romanae, deque fortunis omnium Episcoporum et summorum Pontificum agi putent, numquam laboris et industriae pertaesum iri, si ad disserendum contra vos sint acuti, ad dicendum uberes ac copiosi, hos ubi satis accensos atque incitatos vidit, convertit sese ad augendum Collegium suorum: in quod heri decem et tres cooptavit, duos praeterea dixit esse designatos. Nolite quaerere, quam nobis, qui pro Christo emori possumus, stomachum fecerit? nam quid hoc est, nisi ambitus, nisi largitio ad Concilium corrumpendum? Quid istuc in mentem venit? nisi ut aucupetur gratiam eorum hominum, qui pileo accepto libertatem vendiderunt, empti ea caussa, ut abalienent a vobis, immo abducant a cognitione veritatis Caesarem et Reges, quos, credo, existimant truncos aut lapides esse, qui haec neque audiant, neque intelligant, Episcopum

Concilio indicto struere has Sycophantias, commoliri hos dolos. Non stulti neque insani sumus, ut huic et asseclis eius nos ipsos et Christi caussam commiserimus. Non est, non est, inquam, iudicium committendum cupiditati Episcoporum, qui veluti unum quoddam corpus conficiunt, cuius Caput est Pontifex Romanus: membra omnia capiti annexa atque alligata inserviunt, hoc si laboret, omnia fulciunt atque sustinent, quod eius vita sentiant, se quoque percommode vivere; eius regnum non est iis, ut quis forte putat, odiosum, quod minimae etiam corporis partes in id adspirent. Sunt in Germania Episcopi quatuor, aut ad summum quinque, boni, integri viri, peritissimi rerum divinarum, sunt in Helvetia tres, sunt fortasse in Italia duo: a quibus bona omnia possumus expectare. Vel quantum est, in tanta multitudine imperitorum et cupidorum hominum, quorum adulteria, incesta, corruptelae, superbiae, dominatus, saevitiae, cupititates inexplebiles, et maxima non Christiani animi indicia perspectissima sunt. Ego quidem non video, si Pontificis et Episcoporum iudicio standum sit, alios nos habituros sanctiores[1]) quam res ipsas, quas illi semper probaverunt, ex quibus summam dignitatem, et incredibilem censum, atque adeo non modo in nos, sed in Caesares, et Reges, Principesque universos summum imperium, imo vero tyrannidem iniquissimam sibi constituerint. Horum commune consilium est, ut pro his, tamquam pro aris et focis, pugnent. Veterem aiunt consuetudinem conciliorum et morem antiquissimum non esse immutandum; neque Caesarem, neque Reges posse eos adstringere novis legibus. id si detur, negant, in Conciliis potestatem suffragii aliis esse, quam sibi. disserant, inquiant, quantum velint! Sunt nobis opiniosi et contentiosi homines. ubi diu fuerit concertatum, Episcoporum iudicio standum est. His rebus elati atque inflati, ita de Concilio statuunt atque decernunt, quasi de parta iam explorataque victoria. existimant enim, nos confessos praedamnatosque eorum sententiis ad iudicium venire, in quo ex urbe usque, quam attulerunt, declarant in vos voluntatem. Quid ergo? (dicetis) in concilium non est veniendum[2]); modo Turca quiescat, et spes pacis, in quam venimus, nos non fallat! Prius tamen diligenter, pro vestra sapientia cogitare et prospicere debetis, quid mali, quantumve periculi inferre possit potestas

1) alios nos hab. sanctiores] Schelhornius haec verba mendosa in annotatione l. l. p. 451. sic restituit: alias nos habituros sanctiones

2) Schelhornius arbitratur, hic quaedam a librario omissa esse, forte sic supplenda: Veniendum omnino.

haec Episcoporum corruptissimorum, si eorum iudicio standum sit, quorum caussa agitur. Horum hominum audaciam, impudentiam, iniquitatem Liciniae leges antiquissimae et sanctissimae retundunt. Licinia est lex atque altera Ebutia, quae non modo eum, qui tulerit, de aliqua curatione ac potestate, sed etiam collegas eius, cognatos, affines excepit, ne eis ea potestas curatiove mandetur. etenim si populo consulis, remove te a suspicione tui commodi, fac fidem, te nihil, nisi populi utilitatem et fructum quaerere. Hae leges, quae antiquissimae et aequissimae sunt, petendae, et summa contentione a Caesare et Regibus Principibusque civitatum [1]) ut miseris perditissimisque temporibus in tanta corruptione Episcoporum firmissimae habeantur. Sexcenta sunt, quibus cavetur et ostenditur, neminem in re sua iudicare, aequum esse. Qua in re imitari (ut alius ad vos est scriptum) debemus Cassianos iudices, quaerentes, cui bono sit. An non videmus, quam grandem iis institutionibus pecuniam, quos census, quem quaestum, quae regna, ad saevitiam, immanitatem, luxuriam sibi, meretricibus, concubinis, propinquis, posterisque eorum his Sanctionibus licentiaque Conciliorum compararint? Lustranda ergo omnia animo sunt, quibus Concilium sanctum, solenne, integrum, incorruptum esse possit. Nemo prope dubitat, Pontificem Romanum et eius asseclas, atque Episcopos eo spiritu adduci, atque agi, ut per eorummet sententias firmentur eorum regna, census, et quaestuosae traditiones. Nihil est igitur, quod dicant, in Spiritu Sancto convenire se, atque congregari in nomine Christi, qui nihil minus iussit, quam divitiis inhiare, et pro primis Cathedris, proque hisce rebus suos cogi, quos ne vestitus, ne cibi quidem voluit sollicitudine teneri: quibus, cum eorum duo aut tres convenissent, se affore recepit. Quid mihi et fratribus quibusdam, dum in eam cogitationem incubuissemus, in mentem venerit, volo commemorare id, et si non longe abest ab eo consilio quod superioribus annis ad vos scripsi: eo tamen magis placet, quod dignitatis auctoritatisque Episcoporum summam rationem habere videatur. tum quod Episcopi, si boni, si pii viri fuerint, diligenter nobis colendi sunt atque observandi, tum ut, eorum dignitatis ratione habita, quidquid Principes petiverint, facilius assequantur, tum ut inter nos atque illos minimum irarum relinquatur. Id tale est. Si iussu Caesaris, Regum, Principumque civitatum, in Britannia, Galliis, Germania, Italia, Hispaniis,

1) Idem editor huic loco adnotavit haecce: Videtur hic inserenda esse vox: *orandum*, vel alia similis.

caeterisque provinciis, quae invocant Nomen Domini nostri Iesu Christi, delectus habeatur ex iis, qui rerum divinarum bene periti quam minimae suspicionis ut Pontificios corruptelae affines sunt [1]). Primus delectus per Civitates sanctae Dei plebis sit: Plebs, quos delegerit, deferat ad primarios viros. Primarii videant, qui hi sint, quos plebs elegerit. Duo legati, alter plebeius alter patricius, deferant ad Caesarem et Reges nomina electorum. Quos omnes ubi Principes iusserint convenire, sex vel septem ex singulis provinciis parem omnino numerum hominum selectissimorum statuant. Pontifex deinde atque Episcopi ex omnibus Episcopis duodecim Episcopos legant, spectatae vitae et sanctitatis, qui manus imponant iis lectis viris, orentque super eos, ut accipiant virtutem supervenientis spiritus. Hi firmissimi iudices omnium contentionum statuantur a Pontifice, ab Episcopis, a Caesare, a Regibus, Principibusve Civitatum: qui subscribant ac recipiant, sese, quidquid ii iudicaverint, statuerint, declaraverint, firmissime aeque omnes accepturos, curaturosque, ut pro indubitatis habeantur. Mox decreto amplissimo facto, (quo caveatur iis, qui ad Conventus peragendos, aut ad dicendum venerint, quiqui sunt,) Pontificis, Episcoporum, Caesaris, Regum Principumque civitatum nomine iussuque pronuntietur, ut, quoniam in Sancta Synodo libere agendum est, consultum sit, ut libere quisque, sine metu, sine periculo possit dicere, et ut promissi Pontifex, Episcopi, Caesar et Reges Principesque civitatum se sponsores dent exsolvantque legibus omnibus, edictis, senatusconsultis, poenis et censuris, omnes, qui aut dixerint, aut scriptum dederint apud hosce lectos viros, qui in loco quid [2]) agendum parato cum Pontifice, Episcopis, Caesare et Regibus Principibusque legatisve Civitatum sedeant, audituros [3]) orationes, si quae habebuntur, tam harum quam illarum partium: quas postea iubeant sibi dari scriptas; primo loco dicant vel promotores Concilii, vel qui veluti accusatores caussam controversiae statuant, vel petitiones adferant: secundo adversarii respondeant. Eorum actionibus acceptis, si quae disputanda videbuntur, apud hos itidem disputentur. Post conflictum semper scribi petant cum argumenta tum responsa. Quae omnia ubi lectissimi sanctissimique viri viderint et legerint, et non modo oculis, sed animo quoque perlustraverint atque per-

1) quam minimae — affines sunt.] Schelhornius iudicat pro his legendum esse: quam minime suspicionis et pontificiae corruptelae affines sint.

2) quid] pro hac voce lege: ad

3) audituros] pro eo lege: audituri

penderint, videant, ne quid detrimenti Evangelium, doctrina Apostolorum, et respublica Christi capiat. Quam unam ob rem declarandam invocato Spiritu Sancto libere pronuntient, statuantque, quod gloriae Christi sit bonum felixque Populo Christiano. Hoc consilium cogitatumque, quale quale est, iusserunt, fratres, ut ad vos scriberem. Si placebit, eius vos necesse est moderatores esse atque duces. Haec enim miserrima et gravissima fortuna Italorum est, quod neque, a quibus implorent auxilium, habent, neque, si habeant, licet. Helvetii, qui abalienato sunt animo a Babylonia Romana, per legatos a Rege Galliae, apud quem audimus eos esse gratiosos, petere atque impetrare possunt, atque obtestari, nisi in petitione Rex ipsis faveat, nunquam posthac se eius partes sequuturos; relicturos se, si destituti, si vero adiuti fuerint [1]), ea de re publicum monumentum liberis posterisque eorum. Germani pii a Caesare nullo negotio impetrabunt, si precibus et obtestatione contendatur: ut, quem Imperatorem tot annos fidelissime sequuti sint, eius ope liceat Christi causam misere oppressam sublevare. Britanniae Regem, qui alieno animo in Pontifices Romanos esse dicitur, sollicitare litteris possunt cum Helvetii, tum Germani, ut in hanc sententiam veniat, ut commune consilium non spernat. Haec omnia tam bona, tam expectata, fratres, tamque utilia, imo vero necessaria Reipublicae Christianae vos assecutos video, si quas inimicitias habetis, Christiana pietate deponatis. Affertur enim ad nos, nec obscuro, nec vario sermone magnas contentiones dissensionesque esse inter vos: quibus discrepantes non in unam sententiam, sed ne in eundem locum possitis convenire. Hem fratres! date hoc Christo nostro saltem pro tempore, ut una concurratur, ne impetum sustinere possint adversarii. Si tot tantosque abusus Romanae Babyloniae una reiecistis; si pro Apostolicis institutis servandis, defendendoque Evangelio una mens est, idemque animi vestri sensus, quid unum, aut ad summum alterum caput vos tantopere distrahit ac disiungit? Adversarii instructissimi, potentes atque unanimes in vos feruntur. Colligite vos per Iesum Christum, ne, si illi vicerint, cum postea volueritis, non sit Christi respublica, quam iuvare ac tueri possitis. Defendenda sunt multa ista, quae superioribus annis pulcre illustratis. Reiiciendi, superandique in concilio hostes Evangelii. Si qua interpretationis varietas in aliquo

1) si destituti, si vero adiuti fuerint,] pro his, Heumanno indice, legendum est: sive destituti, sive adiuti fuerint,

est capite scriptorum divinorum, ne confodite vos. Unusquisque in suo sensu abundet. Dabit, dabit postea Deus Pater Domini N. I. C. ut in iis quoque, in quibus nunc contentio est, idem aliquando sentiatis. Suscipite interim, defendite, tuemini ea, de quibus non errantem et vagam, sed stabilem certamque sententiam habetis. Quos animos sumturos putatis eos homines, quos in Italia, Galliis atque Hispaniis, scriptis vestris excitastis? si audierint, Germanos non modo non esse dissipatos, (quod primo quoque verbo obiiciunt adversarii, quod non sit dissensionis Deus) sed iis Britannos atque Helvetios esse coniunctos? quid Reges et Principes? an non putatis rationem habituros tantarum nationum? quae si impetrarunt, ut non apud corruptos, sed sanctissimos atque aequissimos iudices omnes aeque sine metu sine periculo possint dicere, non dubitare[1]) sacrum, solenne, integrum, incorruptum concilium vos habituros. Id ut ab Imperatore, Regibus, Principibusque civitatum prece admoniti obtestatione petatis, si Respublica Christiana loqui posset, vos vehementer etiam atque etiam rogaret. Hoc consilium quoniam expendi desideramus a te, a Bucero, a Melanchthone, a Luthero, obsecramus, Calvine, per Dominum Iesum Christum, ut ad eos singulos harum litterarum exemplum perferri diligentissime cures. ad quos si meae litterae prius, quam ad te, pervenerint, nihil erit mirandum, si ab iis quoque eat exemplum ad te et Helvetios nostros. Misimus enim hanc epistolam per alium tabellarium ad Bucerum, quae si ad hominem perferretur, oravimus, ut exemplum mitteret ad te. Vale, bone et fidelis minister Iesu Christi. Commendo tibi conservum nostrum Bernhardinum Ochinum. Quibuscunque eum rebus iuveris, Christum iuveris. Vale, mi frater.

---

227. No. 2500[b]. (Vol. IV. p. 827.) (ineunte Jun.)

Lutherus, Bugenhagius et Melanchthon ad Ioannem Fridericum Principem Electorem.

Haec epistola adhuc desideratur; de eius argumento vide Burkhardt l. l. p. 412.

---

228. No. 2560[b]. (Vol. IV. p. 876.) 11. Oct.

Simoni Leupoldo.

Hanc epistolam primum divulgavit G. C. F. Lischius in Annalibus: Jahrbücher des Vereins für meklenburgische Geschichte und Alterthumskunde. Jahrgang V. (Schwerin 1840. 8°.) p. 247. Nr. 11.

1) dubitare] Schelhornii iudicio legendum est: dubitarem.

Egregia virtute et eximia ingenii dexteritate praedito D. Simoni, Secretario Illustrissimi principis Megalburgensis, suo amico.

S. D. Carissime Simon. Venit ad vos d. doctor Autor Brunswicensis, qui et Lipsiae et in Italia iurisconsultos audivit amplius decennio. Et nunc vidit aulam marchionis et in academia docuit; sed propter honestas causas quaerit aliam conditionem. Scio munus cancellarii in omni gubernatione summum esse; sed tamen ea eruditio, integritas et gratuitas est in Autore, ut sperem eum reipublicae in superiore gradu utiliter serviturum esse. Quare eum tibi commendo teque rogo, ut illustrissimis principibus tuis eum commendes. Bene et foeliciter vale. Die XI octobris anno 42.

Philippus Melanthon.

---

229. No. 2570[b]. (Vol. IV. p. 886.) 28. Oct.

Lutherus, Crucigerus et Melanchthon ad Ioannem Fridericum Principem Electorem.

Vide apud Burkhardtum l. l. p. 416 sq.

---

230. No. 2601[b]. (Vol. IV. p. 927.) (exeunte anno.)

Lutherus, Melanchthon et Bugenhagius ad eundem.

Hanc epistolam Burkhardt l. l. p. 420. memorat quidem, sed eam ipsam non exhibet.

---

231. No. 2603[b]. (Vol. IV. p. 929.) (hoc anno.)

Frederico Reifsteck.

Haec epistola ex Professoris Van de Velde apparatu Melanchthoniano primum edita est ab Aug. Schelero in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 9. p. 131. epist. 32.

Clarissimo viro Frederico Reifsteck D. utriusque iuris in iudicio camerae imperialis, patrono suo.

S. D. Clarissime Domine Doctor. Arbitror filium vestrum Fridericum et Nicolaum Bromium fuisse commilitones apud Gryneum communem amicum nostrum: existimo et familiam Bromiam Francofordiensem vobis notam esse, in qua fratres sunt aliquot magna integritate et modestia praediti. Adducit autem iam Spiram Nicolaus Bromius fratrem Danielem bona indole praeditum et in academia nostra et Heidelbergensi aliquamdiu versatum ac adhibitum ad iuris doctrinam. Nunc maluit eum ad forensem cri-

bendi formam assuefieri. Quare tota familia rogat ut eum recipiatis in aedes vestras et eius opera in describendo utamini eumque assuefaciatis ad ea exercitia quae ipsius aetati videbuntur utilia. Et promittit se benigne daturum quantum paciscemini. Haec illi etiam sine meis literis vobis exponere poterant, sed Nicolaus ut aditum ad vos haberet, has a me flagitavit, quas rogo ut boni consulatis. Et si quid meum testimonium Danieli prodesse potest, denegandum non fuit; probo enim adolescentis ingenium, voluntatem et mores; arbitror et ad forum facundiam natura mediocriter idoneam esse. Spero ordini vestro honorificum fuit studia iuniorum iuvare, ut Scaevola Gallum Aquilium, Aquilius Severum Sulpitium erudiit. Irnerius renovator doctrinae iurisconsultorum erudiit Azonem, et hic labor docendi alios prodest reipublicae. Quare spero vos non gravatim talem adolescentem bonae spei et in familia honesta natum recepturos esse, idque ut faciatis vos etiam atque etiam oro. Bene ac feliciter valete. Die 6 (***nomen mensis omissum***) 1542.

---

232. No. 2604ᵇ. (Vol. IV. p. 931.) (hoc anno?)

Iudicium.

Hoc iudicium (sine anno adscripto), quod a Burkhardto l. l. p. 411. in annotationibus ad epistolam quandam anni 1542. memoratur, primum editum est a Baxmanno in Niedneri Ephemeridibus Zeitschrift für die historische Theologie anni 1861. fasc. 4. p. 627 sq. No. XX.

Iudicium Phil. Melanthonis de eo, quod parochus quidam reliquum in poculo post communionem ebiberat ipse.

Certum est, deum non esse alligandum ad ullam rem, ad quam se non alligavit ipse verbo suo. Sicut peccant omnes, qui Deum magis ad hanc statuam quam alibi exaudire imaginantur. Et ex tali imaginatione omnes idolomaniae ortae sunt. Non igitur alligandus est deus ad panem et vinum extra usum, ad quem instituta est coena domini. Et merus furor est fingere, quod dictis verbis a consecrante sic immigret corpus Christi in panem et ibi semper manere cogatur. Sicut infusum vinum in cantharum manet nisi rursus effundatur. Sed sacramenta pacta sunt exhibitionis. Cum sumuntur illae res, simul adest Christus et est efficax. Haec sacramentalis praesentia est voluntaria nec est inclusio geometrica et magica, qua cogatur Christus in pane manere. Cum baptisatur homo, in ipsa actione vere adest spiritus sanctus, non manet in aqua extra actionem.. Sunt igitur abominandae illae quaestiones: an mus rodens panem comedat corpus Christi; et

abominandus est mos circumferendi panis in spectaculis Quare ea quae post communionem reliqua sunt de pane et vino, quae non manducantur ab iis, quorum sit intentio uti coena domini, non sunt sacramenta, quia actio tota est sacramentum. Sed propter imperitos et reverentiam consulo, ut reliquum in poculo ebibat ultimus communicans unus vel plures.

233. No. 2609 b. (Vol. IV. p. 936.) (hoc anno.)

(*Inscripta bibliis.*)

Hi loci, quos Melanchthon sua manu inscripsit bibliis quibusdam, inveniuntur in libro Fortgesetzte Sammlung von Alten und Neuen Theologischen Sachen. 1. Beytrag Auff das J. 1730. (Leipzig. 8°.) p. 716.

Anno 1542.

Joh. XV, 1. Summa.

Lex per Moisen data est. Gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo vidit unquam. Unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit.

Joh. III.

Omnis, qui credit in filium, habet vitam aeternam. Qui non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Philippus Melanthon.

ANNO 1543.

234. No. 2615 b. (Vol. V. p. 8.) 4. Jan.

Iustus Ionas ad Melanchthonem.

Hanc epistolam ex autographo in Cod. Monac. 10358. primum edidit Clar. Vir Theod. Pressel in libro suo: Justus Jonas (Elberfeld 1862. 8°. — in opere: Leben und ausgewählte Schriften der Väter und Begründer der lutherischen Kirche VIII. Theil.) p. 142. nota 99.

G. et pacem Dei in Christo Iesu filio Dei. Accepi consolatorias tuas plane paterna στοργῇ scriptas, mi charissime praeceptor Philippe, quibus me in his meis profusissimis lachrymis ac luctu gravissimo non mediocriter recreasti. Agnosco singularem amorem erga me tuum, agnosco pectus solidae amicitiae natum, in quo me omnesque meos iam olim inclusos perpetuo rebus secundis iuxta atque tristibus, sincerissime amicus, admodum amanter circumfers atque complecteris. Excessit e vivis vitae

socia, vitae meae decus, vitae solatium solamenque singulare, et ut tota vita eius comitas, pudor, suavitas et dulcis fuit modestia, ita et morte admodum placide obdormivit inter meos multos luctuosissimosque singultus et amarissimas lachrymas, adhuc vertens ad me vocem plenam officii, plenam charitatis mirificae, plenam syncerissimae pietatis: Herr Doctor, ich brächt euch gern ein Frucht. Ich weiß, ihr habt Kinder lieb. Weinet nicht, es gefällt dem Herrn Christo also wohl. Ich danke euch aller Treu. Hab ich euch zu Zeiten verzornet, vergebt mirs. Non credis, mi Philippe, quam me exerceant in hoc luctu luctantem et lugentem parvi liberi. Tantum Sophiolam et Elsulam placavi; hi nunc sciunt casum et dicunt, matrem esse in coelo; Ioachimulus vero et Kettarinula persuasi sunt matrem valetudinariam esse vectam curru ad Doctorem Martinum, ut ibi curetur a Medicis. Saepe autem interpellant me in mensa, deinde vesperi, cum somnium capto. Ecquando, inquiunt, mater redit cum D. doctore Martino? Sed forsan cras aderit. Video et in pueris animi divinationem non parum valere. Ioachimulus mihi mane surgenti acclamavit tota voce: Pater, inquit, iam hac hora mihi loquuta est mater. Quid, inquam, dixit tibi? Negat se, inquit, brevi ad nos redituram, se enim esse apud dominum Christum in coelo. Filius Iost dixit, te hic[1]) venturum esse, quod utinam, mi Philippe, fiat, ut comites tibi sint Ioachimus atque alii. Angelum mihi e coelo missum existimabo, si tu adveneris. Speramus fore ut divertas vel in aedes meas vel Doctoris Milde utramque vidualem, diversorium et hospitium propheticum. Boni consule has neglectas literas. Ut animus affectus est, sic vultus, habitus frontis est et sermo. Carmina proveniunt animo deducta sereno. Amicissime et reverenter peto salutari D. Ioachimum et Zugelium, D. Pfeffingerum, reliquos dominos et amicos. Nihil rescribas, ne tibi molestus sim, modo ipse venias. Expectat te charissimum praeceptorem ac parentem filius meus Iost, quem tecum remittam. Christus te Reipublicae et Ecclesiae servet quam diutissime.

---

235. No. 2641 b. (Vol. V. p. 40.) (ante 16. Febr.)

Ioannes Calvinus ad Philippum Melanchthonem.

Hanc epistolam nuncupatoriam ad Melanchthonem Calvinus praemisit libro suo inscripto: „Defensio sanae et orthodoxae doctrinae de servi-

---

1) hic] pro: huc

tute et liberatione humani arbitrii, adversus calumnias Alberti Pighii Campensis," [1]) qui in eius opusculis omnibus in unum volumen collectis a Nicolao Gallasio (Genevae 1552. Fol.) p. 216—351. et in eius operum omnium theologicorum Tomo VII. (Genevae 1617. Fol.) p. 134—204. exhibetur. Utramque editionem contuli. — In epistolae fine legitur: Mense Februario 1543., die mensis non addito, sed ex loco quodam subsequentis epistolae d. 16. Febr. scriptae, scil. verbis: „Caeterum, quod in lucubratione, quam nuper edidi, abusus sum tuo nomine, etc.", quae sine dubio ad hanc epistolam nuncupatoriam spectant, intelligitur, eam ante d. 16. Febr. esse scriptam. — Melanchthonis epistolam d. 11. Maii datam, qua huic nuncupatoriae respondit, vide in Corp. Ref. Vol. V. p. 107—109.

Ioannes Calvinus clarissimo viro Philippo Melanchthoni.

Etsi nec singulare illud iudicii tui acumen, quod iure mirantur omnes, ignoro, et eius censuram, sicuti par est, revereor: libellum tamen hunc si privatim tibi legendum mitterem, fretus amoris erga te mei fide, non longa excusatione uterer [2]). Nunc autem quia publice inscribere tibi ausus sum, non defuturos scio, qui temeritatis in eo me accusent. Eorum igitur causa, quod necesse apud te non esset, unde hanc fiduciam ceperim, breviter exponam. Principio, eum tibi librum offero, quem duplici nomine tibi gratum fore certo novi: tum quod me amas autorem, tum quod piae sanaeque doctrinae defensionem continet: cuius tu non modo studiosissimus es cultor, sed eximius fortissimusque vindex. Accedit et tertia commendatio, eaque non vulgaris, quod simplex ac sincerum est, quo utor, defensionis genus. Quantum enim a versutis obliquisque in disputando artibus, quae claris alioqui apertisque rebus tenebras obducant, ab omni denique fuco et sophistica abhorres: tantum tibi placet nuda ingenuaque perspicuitas, quae rem, sine ullis involucris, ante oculos statuat atque exponat. Atque haec tua virtus, sicut est rari exempli, ita magnam saepe mihi admirationem movit, quod cum incredibili perspicacia excellas, simplicitate tamen nihil habeas antiquius. Valebit igitur non parum et haec causa, scio, ad conciliandam libello gratiam. Praeterea memini, has te aliquando mihi mandasse partes, ut si nos lacessere pergeret Pighius, ad reprimendam eius proterviam aliquid conscriberem. Quod tamen ut facere nunc demum inciperem, non modo tua autoritate adductus, sed eius quoque improbitate compulsus fui. Libris enim decem de libero arbitrio et praedestinatione nuper editis, quicquid de his

---

1) De hoc Calvini libro vide Henry Leben Calvins Tom. II. p. 284 sqq.
2) uterer.] sic Ed. 1552.; Ed. 1617. male: utetur.

rebus prodideram, non indicio aut delectu, sed mera pugnandi libidine, confutandum suscepit: ubi adeo insolenter, tamque effreni ferocia, adversus puram, quam tuemur, pietatis doctrinam se iactat, ut occurrere aliquo modo tantae hominis petulantiae, nisi silentio prodere vellem Christi gloriam, necesse habuerim. Postulabat autem huius argumenti tractatio plus aliquanto et otii et temporis. Sed quia videbam id captare adversarium, ut si diutius differrem, hac mea mora, ad occupandos praeiudicio quodam hominum animos abuteretur, malui aliquid cito dare, vel minus elaboratum, quam tacendo pati, ut, cum bonae causae dispendio, inani eiusmodi iactantia frueretur. Quanquam sic mihi festinasse videor, ut minime tamen praecipitaverim nimia celeritate. Quod enim praecipuum erat, consecutum magna ex parte, spero, iudicabis: ut dicerem, quantum ad repellendas adversarii calumnias satis esset. Et tamen hanc excusationem praetermittere non oportuit: quam si tu pro insigni tua humanitate recipies, viam aliis monstrabis, ne mihi se iniquiores praebeant, aut minus benignos. Mihi certe saepius in mentem venit, de conditione nostra queri quod tanta negotiorum, quae subinde nobis ingeruntur, et multitudine obruti, et assiduitate oppressi, et varietate distracti, idque domi simul et foris non possimus ad unum aliquid agendum, animos diligentiamque intendere, sed huc inde perpetuo cursitare cogamur: sicut qui variis et operosis ministeriis destinati, quibus simul obeundis nequaquam sint pares, dum eodem momento undique urgentur, quorsum se vertere debeant, prae lassitudine nesciunt. Interea quicunque ex hostibus nos aggredi instituunt, ab aliis omnibus curis soluti ac vacui in alta pace, quoad libuerit, ad instruendum belli apparatum sunt intenti, et colligendas copias, quas deinde per suam opportunitatem in nos emittant. si quid fatigationis sentiunt ex uno congressu, quietem et inducias tunc quoque pro suo arbitrio sibi sumunt, donec refectis animis et viribus, iterum ad nos impetendos instructi sunt ac parati. Huc etiam accedit, quod tantis locorum spatiis divisi, illa etiam, unde non parum levationis sperandum foret, commoditate destituimur, communicandi scilicet inter nos, consiliaque pro rerum et temporum ratione, conferendi. Haec, ut dixi, non sine gemitu sortisque nostrae deploratione reputo mecum ac perpendo. Caeterum, quo minus ista cogitatione frangar, occurrit ex altera parte non minimum solatium. Primum quia statuo nos non sine certo Dei consilio, et talibus obsideri premique angustiis, et iis, quae humanitus iuvare nos possent, subsidiis dcfici, ut

melius expergefacti, respicere in ipsum solum discamus. Deinde quia vetus hoc esse exemplum, cum animo recordor. Refert enim sacra historia, Israelitas, cum ex captivitate restituti civitatem exstruerent, pari difficultate laborasse. Nam cum ipsa operis magnitudo ac moles, cum temporis angustiae plus satis eos urgerent, ab hostibus aliquanto plus negotii molestiaeque sustinebant. Et tamen videmus id non obstitisse, quominus constanter infractisque animis pergerent in opere, usque dum ad extremum constanti eorum assiduitate hostium improbitas et rabies frangeretur. Siquidem hoc non vulgare erat fortitudinis specimen, gladiis accinctos caementum et lateres comportare: altera manu tenere gladium, facere opus, trullamque versare altera: atque ita architecturae dare operam, et simul ad proelium esse expeditos. Eius historiae recordatione excitari nos quoque decet, ut inter tot difficultates, quae nos ad desperationem solicitant, animum nihilominus colligamus. Cum mirabili sua, tum potentia, tum bonitate Dominus ab horrenda illa Antichristi Rom. tyrannide nos liberavit, civitatis suae sanctae Ierusalem, id est, Ecclesiae instaurandae provinciam hodie nobis mandat. Arduum sane per se opus ac laboriosum: ut nihil aliunde superveniat impedimenti. Verum Satanae ministri et satellites, quibus id est propositum, ne Ecclesiae aedificationem, quoad [1]) in se erit, surgere patiantur, assiduis certaminibus nos vexando, plus adhuc negotii facessunt. Itaque, cum securam ab aliis rebus vacationem [2]) requirat ordinarius reparandae Ecclesiae labor, cui nos, quando ita Domino visum est, destinati sumus, simul atque lapidem unum coepimus tollere, isti classico ad proelium nos citant. Cum nos exigua simus hominum manus: illi ingentem faciant exercitum: qui possimus et resistere simul illis, et manus habere semper in opere occupatas? nisi nobis in mentem veniat, sic nunc agere Deum, ut pridem solitus est, quo illustriorem manus suae potentiam reddat: nobis sufficere hoc debere, quod etiam si parum proficere nunc videamur labore nostro: de successu tamen perinde ac si iam extaret, simus certi, quando sub eius vexillo auspiciisque militamus. Quod si hominum quorundam reprehensionem non effugiat nostra sedulitas (ut plerique hodie sunt nimis delicati et morosi) quia festinationem alicubi resipiat, haec nos conscientia sustineat ac confirmet, quod Deo iudici nostro, Christo Domino ac duci, sanctisque Angelis eam scimus approbari. Quod ad me

1) quoad] sic Ed. 1552.; Ed. 1617: quod
2) vacationem] sic Ed. 1552.; Ed. 1617. male: vocationem

privatim attinet, cum satis, cui serviam, noverim: in hac fiducia totus acquiesco, quod illi placere obsequium meum qualecunque, nihil dubito. Caeterum, si hominum iudicium quaeritur, tuum unius mihi instar omnium futurum semper est, sicut merito esse debet. Mense Februar. M. D. XLIII.

---

236. No. 2641*. (Vol. V. p. 40.) 16. Febr.

Idem ad eundem.

Hanc epistolam repeto e Petr. Burmanni Sylloge epistolarum a viris illustribus scriptarum. (5 Tomi. Leidae 1727. 4°.) Tom. II. p. 229 seq. epist. XIII. — In anglicam linguam versa legitur in hocce libro: Letters of John Calvin compiled from the original manuscripts and edited with historical notes by Dr. Jules Bonnet. Vol. I. Translated from the original latin and french. (Philadelphia. 8°.) p. 373—376. No. CI.

Vide quam pigro ventri literas tuas dederis. Eas enim vix quarto demum mense mihi reddidit, et quidem multo attritu iam disruptas ac laceras. Hoc tamen ipsum, quod vel sero ad me pervenerint, magno in lucro posui. Nam dum eas huc atque illuc circumfert; mirum, quod non alicubi reliquerit. Ergo, utcunque eius negligentia singularis gaudii fructu privatus ad tempus fuerim: facile tamen veniam a me impetravit, ubi eas recepi. Utinam vero, sicut dicis, saepius nobis, saltem per literas colloqui liceret. Tibi quidem nihil inde accederet: mihi autem nihil foret in hoc mundo optabilius, quam in literarum tuarum suavitate acquiescere. Vix credas quanta hic negotiorum mole premar atque urgear. Sed inter has angustias duae res sunt, quae me plurimum excruciant: quod mihi legitimus operae meae fructus non constat: deinde quod abs te paucisque aliis tantopere dissitus, illo, quod me in primis iuvare posset, consolationis genere destituor. Verum quando ne hoc quidem optionis nostrae esse convenit, ut locum sibi quisque arbitrio suo deligat, ubi serviat Christo: in ea nobis statione manendum est, quam cuique nostrum destinavit. Hoc saltem nobis nulla regionum longinquitas eripiet, quin hac coniunctione, quam Christus, sanguine suo consecratam, Spiritu quoque suo in cordibus nostris sanxit, contenti, dum vivimus in terra, sustineamur beata illa spe, ad quam nos literae tuae revocant: in coelis nos simul perpetuo victuros: ubi amore amicitiaque nostra fruemur. Caeterum, quod in lucubratione, quam nuper edidi, abusus sum tuo nomine, hoc vel amori erga te meo ignoscas, vel tuae humanitati concedas, peto. Inter multas ra-

tiones, quibus eo adductus fui, haec non postrema fuit, quod ***Sadoletum Pighius*** delegerat, cuius nomine suas nugas venditaret. Verum ideo subticui, ne mihi ad comparationem descendere necesse foret. Neque tamen hic longa excusatione utar: cum testatus fuerim, ideo me fecisse, quae mihi per tuam humanitatem benevolentiamque, quam mihi defers, licere certo confiderem. De rebus nostris multa sunt quae scribam, sed hoc ipsum est, quod me tacere cogit, quia nullum finem invenirem. Laboro hic et fatigor mirum in modum; proficio mediocriter. Et tamen mirantur omnes, me tantum proficere inter tot impedimenta, quorum magna pars est ab ipsis ministris. Haec tamen mihi magna est laborum levatio, quod non tantum haec Ecclesia, sed tota quoque vicinitas fructum aliquem sentit meae praesentiae. Adde quod nonnihil in Galliam usque et in Italiam redundat. Statum vestrae Germaniae non sine acerbissimo dolore audio. Nec leviora sunt mala, quae timeo, quam quae lugeo. Nam si verum est, quod narratur, Turcam maioribus rursum copiis bellum instaurare: quis obstabit, quo minus longe lateque pro libidine grassetur? Et quasi parum esset, turpiter dilapso exercitu, tot impensas frustra profudisse, tantum accepisse dedecoris: praeterea praecipuum roboris florem primum continua peste triennii, deinde hac postrema lue perdidisse: nunc multo gravius ab intestinis dissidiis laboratur. Necdum tamen tam acriter perculsi nostri principes expergefiunt, ut dare discant Christo gloriam. Hoc tamen me nonnihil recreat, quod aiunt, Coloniensem et alios quosdam ad repurgandas Ecclesias animum serio adiecisse. Neque enim parvam accessionem esse duco, quod Episcopi, ex quorum ordine nullus adhuc nomen Christo dederit, nunc sublata manu, profiteri ab Idolo Romano defectionem incipiant. Tantum nunc advigilandum et enitendum est nobis, ut eorum cursum promoveamus, ne ex dimidio Christo peius monstrum renascatur. Interea Ro: Pontifex iam concilii simulachrum Tridenti ostentat, ut orbem exspectatione suspensum aliquantulum adhuc retineat ac moretur. Sed Deus non patietur diutius sibi illudi. Fallor, nisi hic annus maximam rerum conversionem parturiat, quae brevi emergat. Sed iam nimis multa. Vale igitur, Vir modis omnibus ornatiss. mihique semper in Domino colende. Dominus te diu servet incolumem in gloriam nominis sui, et Ecclesiae suae aedificationem. Miror, quid sit causae, cur tamdiu Danielem tuum domi suppressum teneas. Neque enim me lectionis eius fructu privari aequo animo patior. Dom. ***Martinum*** reverenter meo nomine salutes, quaeso. Habemus

hic *Bernardinum* Senensem, magnum et praeclarum Virum, qui suo discessu non parum Italiam commovit. Is ut vobis suo nomine salutem adscriberem, petiit. Vale iterum cum tua familia, quam Deus semper custodiat. Genevae. 14. Calendas Martias. 1543.

---

237. No. 2647[b]. (Vol. V. p. 49.) 25. Febr.

Eberhardo Rumlangio.

Huius epistolae ineditae, quae in Simleriana collectione Tigurina (S. Msc. 52.) asservatur, apographon per Clar. Virum Voegelinum accepi. — Simlerus el annotavit: Vide de hac epistola Rumlangium ad Bullingerum die XXIX. Martii 1543.

Clarissimo et optimo Viro, D. Eberhardo Rümlang, Scribae quaestorio Inclytae Reipublicae Bernensis, amico suo.

S. D. Graeco versu dicitur, Commune bonum esse, vir bonus. Id multo rectius dici potest de piis Magistratibus, et ceteris, qui sunt in consiliis rerum publicarum. Nam profecto pii gubernatores magna praesidia sunt civitatum et imperiorum, ut erant Ioseph in regno Aegyptiaco, Daniel in Persico, et alii alias. Sed rarae sunt hae gemmae, et tamen aliquas donat Deus iis Civitatibus, quae praebent tranquillum hospitium Ecclesiis et piis studiis, ut novi Argentinae Sturmium[1]), et alibi alios. Gaudeo et in vestra Civitate similes viros esse in gubernatione, vere et ex animo amantes Deum, et inimicos Epicuraeis furoribus, qui iam late proh dolor grassantur. Legi tuam epistolam, et agnosco pectus sollicitum de gloria Dei et de pace Ecclesiae Christi. Nam hostes Evangelii blasphemos nequaquam iudico esse membra Ecclesiae Dei. Precor autem Deum aeternum, Patrem liberatoris nostri Iesu Christi, ut lucem Evangelii in sua Ecclesia, hoc est, in nostris et vestris coetibus conservet, et pectora nostra accendat, ut vere simus, ut inquit Esaias, plantulae Dei, glorificantes eum. Quod interrogas de Coena Domini, quid sentiam ex hac recenti editione locorum communium puto intelligi posse. Certe non probo idola, quae defendunt sacrificuli hostes vestrarum et nostrarum Ecclesiarum. Et diligentissime antiquitatem inquisivi. Quanquam autem apud nos alii aliis durius aut horridius loquuntur, praesertim cum exarserunt contentiones, tamen eruditiores hoc quod scripsi, sentiunt et fere sic loquuntur. Deum oremus communibus votis, ut omnia scandala, praesertim ex nostris Ecclesiis auferat, et glo-

1) N. S.: Iacobum.

riam Filii sui ornet et illustret. Bene vale, Vir optime. Scribam alias, si postulabis, copiosius. Bene et feliciter vale. Die XXV Februarii 1543.

Philippus Melanchthon.

---

238. No. 2682 b. (Vol. V. p. 90.) 12. April.

Matthiae Zeliensky [*Zielinsky*].

Autographon huius epistolae ineditae olim asservabatur a legionis duce de Zielinsky, apud quem eam descripsit M. Stergel (?), qui officinam typographicam Cracoviae administrabat, et hoc apographon 1781. inde Dresdam misit ad O. C. N. Büsching, celeberr. geographum. Hoc denuo describere mihi contigit.

Praestanti et generoso viro Domino Matthiae Zeliensky, egregia virtute praedito, Cracoviam.

S. D. Etsi hoc tempore prudentum ac bonorum animos ita occupatos esse cura et cogitatione de irruptione Turcica arbitror, ut intempestivum sit eos de studiis, ut ornamentis civilibus, interpellare; tamen non dubitandum est, Deum grassanti Tyranno frenum iniecturum esse. Non enim erit quinta Monarchia. Quare quod foves studia Tuorum, praeclare et pie facis, Teque rogo, ut facere pergas. Bartholomaeus modestissime in Academia vixit, mihique et caeteris praeceptoribus propter singularem ingenii dexteritatem ac morum moderationem admodum carus est. Profecit in latina lingua egregie, et ut antiquitates et historias possit cognoscere dedit operam graecis litteris, meque audivit enarrantem historiam luculentissime scriptam a Thucydide de Graeciae bellis ac mutationibus maximis, quarum lectio certe animos studiosos de multis rebus admonet, et ad moderationem ac iustitiam hortatur. Cum igitur feliciter in studiis versatus sit, et multum promoverit, rogo, ut eum non destituas, spero enim usui futurum esse reipublicae: et Tibi honestissimum est Tua pietate, simul et Tuis et reipublicae prodesse. Bene et feliciter vale. die XII. Aprilis 1543.

Philippus Melanthon.

---

239. No. 2714 b. (Vol. V. p. 119.) 14. Jun.

Ioanni Cnipio Andronico.

Hanc epistolam primum edidit Rev. Vir Georg. Eduard. Steitz in hocce scripto: *„M. Iohannes Cnipius Andronicus, Schulmeister zu den Barfüssern* 1550—1562, *der theologische Vertreter des Melanchtho-*

nianismus in Frankfurt. (Frankfurt a. M. 1860. 4°.) p. 61. epist. II. Ex hoc libro beñigne ab auctore mihi donato eam h. l. repeto.

*Egregia eruditione et virtute praedito viro **D. Ioanni Gnipio**, literarii gymnasii gubernatori Andernaci, amico suo **Philippus Melanthon*** S. D.

Legi nuper carmen tuum Christophoro missum. Heri etiam epistolam vidi, quam ad clarissimum D. Martinum Bucerum scripsisti. Ex his scriptis intellexi te non solum honeste sentire de causa publica et studio verae pietatis incensum esse, sed etiam magna ingenii facultate atque ubertate praeditum esse. Hoc enim ex flumine orationis tuae, quod video esse copiosum et splendidum, facile iudicari potest. Coepi igitur absentem diligere idque tibi significandum esse duxi, ut amicitiam me tuam appetere intelligas. Honestissimum est autem ac plenum humanitatis, nos, qui doctrinae et virtutis studia colimus, vera benevolentia coniunctos esse. Arbitror autem et reipublicae prodesse nostri ordinis coniunctionem. Quare cum de Bucero deque caeteris amicis, qui literas et coelestem doctrinam colunt, cogitas: me velim ad eum numerum adiungas et inter eos colloces, qui tibi optime volunt. Perficiet etiam D. Bucerus, ut adversus eos authoritate principis tegaris, qui nescio cur tantopere exorientem Evangelii lucem formidant. Mitto tibi libellum hic subito scriptum [1]), et si est tenue munus, tamen te velim boni consulere. Bene vale. Die 14 Iunii Bonnae 1543.

---

240. No. 2719ᵇ. (Vol. V. p. 125.) 25. Jun.

Os. Myconius ad Bucerum et Melanchthonem Bonnae agentes.

Ex Mscr. T. XIII. (XVI.?) p. 388. Arch. Hotting. in Bibl. Carol. ex autogr. Myconii. Apographon huius epistolae per Clar. Virum Voegelinum Tigurinum accepi.

S. Expectavimus te multis iam mensibus, sed nusquam appares. Sedavit animum ob id inquietiorem (quod timui saepe aliquid gravius accidisse, quam ob rem cessares) Farellus, qui nudius tertius scripsit, detineri te a sycophantis, quorum calumniis sit subinde respondendum. Quamvis enim labor hic gravissimus sit,

---

1) **Hic est eius libellus adversus Clerum Coloniensem, quo mense Iunio 1543. confutavit Eberhardi Billicii libellum famosum, qui inscriptus est: Iudicium deputatorum universitatis et secundarii cleri Coloniensis de doctrina et vocatione Buceri.**

tamen quia in expugnando versatur diabolo, et adest Christus, equidem duco leviorem. Verum quid fiet, postquam advenerit impostor Ro: de quo Bullingerus ad te. Detinebit is te nimirum adhuc diutius, non quidem, uti coniicio, disputando, sed insidiis, minis, fulminibus adversus sanctissimum senem, quem vocas vestrum [1]). Non enim iter tam longum iniit sine talibus comitibus. Equidem dubitare nequeo, quin in illo Episcopo deterrere conetur ab Evangelica veritate reliquos totius Germaniae Episcopos omnes. Timere cogitur enim, si illum, quod agit, auferre sic permiserit, nonnullos sequuturos. Instabit igitur procul dubio machinationibus ex intimo desumptis scrinio omnibus, ut negotium facessat Christo, Episcopo, tibi, Philippo [2]) (nam et hunc adesse pridem intelleximus) et omnibus bonis ac piis. Age Dominus Iesus pugnabit pro sponsa sua, et dabit Spiritum Sanctum suum, prout pollicitus est, cui nemo poterit resistere. Illum et nos precamur iugiter, augeri nobis a deo, quo verbum eius propagetur longe lateque, et nomen eius sanctificetur, mali Daemonis fractis viribus una cum machinamentis omnium, qui ipsi contra Dominum militant. — Praeterea non libenter molestus sum tibi gravissimisque tuis laboribus, sed quia D. Philippus tecum est, non possum celare vos ambos, ut Satan et nos tentet satis graviter: tentat enim Cellarium [3]) sustollere in cathedram Theologicam, ut praelegat sacra. Id quod adeo mihi dolet, ut ea de re et lugeam et conquerar apud meos, apud alios enim non licet. Nactus est amicos quosdam de senatu satis potentes, ob uxorem ante annum ductam. His se insinuavit, ut contradicere vix audeam. Dum dico, dogmatibus scatet non sanis: protinus illi: tanto tempore iam fuit apud nos, quid dogmatum sparsit? Quaenam sunt illa? indicentur. Et dum ego: Nuda sine Christo sacramenta tenet in Coena Dominica. Illi: tamen in die Pentecostes nobiscum communicavit. Verum est, inquio: sed quotannis non communicavit? si ex animo sic egisset, possem utcunque quiescere, verum quia mecum aliquando contendens dixit: se posse uti mensa nostra, et nihilominus suam retinere sententiam, equidem dubito, si ex animo accesserit. At bene, inquiunt, sperandum est. Ego vero: sperarem si dogma istud solum foveret, sed quia libellum edidit, cui titulus est: De operibus Dei, satis propriis cogitationibus refertum, timeo, ne quid amplius lateat, quod suo tempore profusurus

1) Archiepiscopum Coloniensem.
2) Melanchthoni.
3) alias Borrhaum.

sit, praesertim in loco, ubi conscientiam arbitrabitur servandam: id quod aliquando in os illi dixi. Sentit quoque cum Carolostadio, commentariis reiectis, scripturam solam esse legendam et explicandam ex se ipsa, per collationem: audiendum hic spiritum sanctum intus docentem, et non homines. Interea gloriatur per campum scripturae se toties cucurrisse, nec nisi raro impegisse, sine tum veterum, tum recentiorum interpretationibus tamen, ut satis superque sibi constet spiritum, quod in his egerit nihil minus agere in quibusvis (modo invocetur) absque humano subsidio. Videtur homo mihi nescire, quamvis plausibiliter dicat, ut Deus erga nos agat fere per media, utque dona sua varie distribuat, quo usus eorum, veluti catena, per charitatis commercium homines colliget. Insuper eadem ratione, quam fingit, concionum tollere videtur consuetudinem, pariter cum multis aliis rebus, de quibus non est opus, ut dicam apud vos. Verum haec dum apud quosdam effero, respondere solent: qui fit, ut nihil tibi placeat, quod aliis placet? Nos sic audivimus: Capitonem praefatum libellum de operibus Dei commendasse, Lutherum quoque eundem laudasse ut sanum et pium. Nec potes negare, quin adierit ad mensam Domini: adfectus igitur te divexant, non movet amor veri, digredientes itaque monent, ut caveam. Ego vero coram Domino dico: Me tam esse dogmatistarum saturum, ut quoties in mentem aliquis venit, totus horream. Non est enim genus hominum, quod magis timeam, expertus sum enim, quantum inde malorum oriatur. Erasmus[1]) Bernensis adversus excommunicationis usum apud suos pugnat. Senatum dicit esse ecclesiam. In Coena panem nudum et vinum merum esse adserit, tanta pertinacia, ut qui ipsi adhaerent, viri magni, dicant: Es wirt noch darzu kommen, daß wir müssend die köpf einander darob zerschlachen: et eam rem imputant reliquis fratribus. Ut desinam: peto per Dominum, ut de Praelectore consilio adsitis, si fieri potest. Noscitis hominem, (quem alioqui, novit Dominus, ex corde diligo, id quod nec ipse ignorat), quam ob rem scis, vos consilio non destitui.. Valete in Christo, qui nos deinceps, ut hactenus, defendat ac protegat. Basileae XXIV Junii anno 1543.

Os. Myconius
vester.

Ad D. Philippum scripseram superioribus mensibus Witembergam gratias agens de suavissimis ad me datis literis. Sed quia abest, timeo, ne pereant meae.

1) Ritterus.

241. No. 2735. (Vol. V. p. 153.) 7. Aug. (Francofordiae.)

Actio Melanchthonis et Ioannis Pistorii Niddani cum concionatoribus Francofordianis.

Rev. Vir Bretschneiderus in Corp. Ref. Vol. V. p. 153 sq. refert, se frustra per litteras Senatum Francofordianum rogasse, ut vel ipsum scriptum Melanchthonis manu exaratum, postquam cum concionatoribus illius urbis inter se litigantibus d. 7. Aug. 1543. egerat, vel eius apographon sibi mitteretur. Equidem hoc pactum illic omissum nunc repeto ex hocce libro: Evangelisches Denckmahl der Stadt Franckfurth am Mayn, Oder Ausführlicher Bericht von der daselbst im XVI. Jahr-Hundert ergangenen Kirchen-Reformation, — — — aus bewährten schrifftlichen Documenten und andern Urkunden verfertiget von Johann Balthasar Ritter. (Franckfurth a. M. 1726. 4°.) p. 289—291.

Vergleichung der Prädicanten allhier zu Franckfurth im Jahr 43.

Es haben sich etliche Unordnungen bey weilen zugetragen, bey der Frage von der Tauffe und in der öffentlichen Desponsation, oder Trauung, darumb dieses von E. E. Rath zu Franckfurth bedacht, und durch die Prädicanten allda gewilliget, nach gehaltener Unterredung zwischen denen Herrn Prädicanten und Herrn Pistorio, Pastorn zu Nidda und Philippo Melanchtone.

Nemlich daß fürohin in aller öffentlicher Tauff nach der einigen gemeinen Vermahnung eines jeden Kindes Pate besonders befraget werden soll von der gewöhnlichen Bekantnuß deß Glaubens und Fragen der Renunciation, und dieses aus diesen zweyen Ursachen, nemlich dieweil bisweilen die Frauen sich dringen und Unordnung darauf folget, daß solche Unordnung abgestellet werde.

Zum andern, daß offt junge Leuthe zu Gevatern gebäten werden, welchen zu ihrer selbst Erinnerung nützlich ist, daß sie selbst antworten, dieser Fragen, die sie zu Glauben und Besserung vermahnen, warnehmen. Und nachdem zuvor eine Weise gehalten, daß man nur die ersten Kinder-Väter gefraget, und etliche besorgen, die Veränderung möcht Ärgernuß bringen, sollen alle Prädicanten, wie auch sonst in rechter Lehre von der Tauffe und Busse einträchtig seyn, also auch von diesem Stück gleichförmig berichten, daß die vorige Form nicht unrecht gewesen, noch auch die Tauffe nicht unrecht, sondern alle also getauffte, sind auch warlich getaufft; Es sey aber diese Veränderung umb der Unordnung willen, wie droben angezeigt, fürgenommen, damit jeder Väter da mehr Achtung auf die Wort geben, und sich zum Gebett erwecken kan, dieses Kindlein unserm HErrn und Heyland Christo vorzutragen.

Es soll auch die Antwort getheilet werden, also, daß man auf die Articul von GOtt Vatter antworte: Ich glaube; und denn auf die Articul von Christo: Ich glaube: Von diesen Worten: Glaubest du an den H. Geist, und also zu letzt, nach den andern Articuln: Ich glaube.

Doch soll dieses gefährlich nicht verstanden werden, so in der Eyl etwas nicht gantz allso genau gehalten wäre, denn in der Tauff soll man diese zwey Stück vor die fürnemsten achten, die Wort, und die Begiessung und das Gebät. Es soll auch diese Form insonderheit zufragen, erstlich anfangen in ihren Wochen Herr Petrus Geltner, oder Herr Andreas Zöphelius, oder Herr Eberhardus Haberkorn.

Weiter soll fürohin in der Christlichen Lehr, auch in Ceremonien der Administration der Tauffe und Abendmahls deß HErrn (Coenae Domini) wie sie jetzund gewöhnlich keine sonderliche Veränderung durch die Prädicanten fürgenommen werden, es würde denn durch mehr Stände, so reiner Lehre anhiengen, sambt dieser Stadt eine Form, die für ordentlicher möcht bedacht werden, fürgenommen.

Von der Desponsation soll dergleichen fürohin jeder Pfarrer insonderheit zusammen geben, mit gantzem Seegen: So sprich ich ehelich zusammen im Nahmen Gottes des Vatters und des Sohns, und des H. Geistes. Wo auch zwischen den Prädicanten in der Lehr oder von etlichen Ceremonien Mißverstand oder Uneinigkeit vorfiel, so sollen sie erstlich in ihrem gewöhnlichen Gespräch sich davon unterreden, und sollen die andern den Irrenden vermahnen, sein unrechte Meynung fallen zulassen, wo aber solches nicht hülfflich, sollen sie die streitige Sache ohne Bitterkeit und ohne Läster-Wort an einen erbaren Rath gelangen lassen, der sich darauf wird zu erzeigen wissen, und so es nöhtige Sachen sind, wird E. E. Rath bey der Kirchen, da reine Lehre geprediget wird, Rath suchen, und sollen also alle Zwiespalt aufgehoben seyn, und wollen wir beyde Pistorius und Philippus sie die Herren Prädicanten umb Gotteswillen gebetten haben, sie als Gottesfürchtige wolten GOtt zu Lob, und in Betrachtung, daß sonsten leyder viel grosse Zwietracht sind, und wir schuldig sind unser Kirchen zusammen zu halten, gemeine Einigkeit in dieser Kirchen und Stadt allhier erhalten helffen;

Iohannes Pistorius, Niddanus.
Philippus Melanchton.
Petrus Geltnerus.
Matthias Limpergius.
Melchior Ambachius.
Ioannes Zöpffelius.
Sebastianus Ligarius, Mogunt.
Eberhardus Haberkorn.

---

242. No. 2738 b. (Vol. V. p. 156.) 12. Aug.

Casparo Hedioni et Ioanni Marbachio.

Hanc epistolam descripsi ex hocce Io. Fechtii libro: Historiae ecclesiasticae Seculi a. n. C. XVI. Supplementum; plurimorum et celeberri-

morum ex illo aevo theologorum epistolis, ad Ioannem, Erasmum et Philippum Marbachios, — divisum in VIII libros. etc. (Francofurti et Spirae 1684. 4°.) Epistolarum theologicarum Pars I. 1540 — 1550. p. 4. epist. II.

Reverendis viris, eruditione et virtute praestantibus, D. Doctori Casparo Hedioni et Doctori Iohanni Marbachio, Ecclesiam Argentoratensem fideliter docentibus, amicis cariss.

S. D. Reverendi viri et amici charissimi. Dei beneficio adhuc studia doctrinae mediocriter in his vicinis Academiis florent, et in Ecclesiis vox doctrinae est eadem, quae fuit ante bellum. Ate Illyrica nobis molesta est, cui tamen iam respondebo, de Trunco, ut ipse nominat. Dux Brunsuicensis Henricus etiam nunc castra urbi Brunsuigae admovit, et facta sunt aliquot parva proelia, in quibus utrinque aliqui interfecti sunt. Iacobum Gloccerum civem vestrum vobis commendo. Praeclare autem eruditus est, et in Philosophia, et in doctrina Ecclesiae, et mores sunt modestissimi. Sigismundus Kinsingerus iam in salinis in hac vicinia, in schola habet honestum locum. Bene et feliciter valete. die 12. Augusti.

Francisco Dryandro salutem opto, quem propter ipsius integritatem, prudentiam et eruditionem, non dubito vos vestro iudicio multo ante complexos esse. Mitto vobis pagellas, quae utcunqne studiorum indicia continent. Iterum valete. Salutem opto et D. Iohanni Sturmio.

Philippus Melanthon.

---

243. No. 2745[b]. (Vol. V. p. 163.) 25. Aug.

Georgio Spalatino.

Hanc epistolam primum ex apographo, quod in Volumine MSS. C. fol. 61. Bibliothecae regiae Berolinensis invenitur, Rev. Vir Christ. Guil. Spieker edidit et annotationibus illustravit in Niedneri Ephemeridibus Zeitschrift für die historische Theologie anni 1846. (p. 425 — 432. No. XV. Zwei noch ungedruckte Briefe Melanchthons: mit Erläuterungen) p. 425 — 430.; equidem eam h. l. edo ex autographo, quod ipse possideo.

Clarissimo viro et egregia eruditione et pietate praedito D. Georgio Spalatino amico suo cariss. .1 5 4 3 [1]).

S. D. Quod tam amanter mihi reditum gratularis, agnosco veterem et perpetuam erga me benevolentiam tuam, tibique gratiam

---

1) Spalatinus a sinistra adscripsit: D. phil. Mel. a reditu ex Vbijs. — Spiekerus l. l. p. 426. refert, eam (in illo apographo Berolinensi) ab alia

habeo. ac opto ex animo ut deus has Ecclesias et earum [1]) doctores servet et regat. Quantas alibi viderim dissipationes Ecclesiarum, non possim [2]) siue lachrymis recitare. Id significavi Illustrissimo principi nostro ac simul hortatus sum, ut nostri magis studeant fovere Ecclesias. In Ubiis ita res actae sunt. Postquam D. Bucerus et ego absolvimus librum, quo forma doctrinae et rituum continetur, Episcopus adhibitis coadiutore, decano Comite Stolbergio, et aliis quibusdam consiliariis doctis et nobilibus ordine legi librum iussit, et accurate disputavit de singulis articulis, miratus sum et assiduitatem et iu [3]) iudicaudo prudentiam. Nam quotidie totu septimana matutinae horae quaternao ei labori tribuebantur, et ipse de controversiis ita disseruit, ut serio ei cogitatas [4]) esse appareret. Absoluta hac deliberatione decrevit se librum propositurum esse in conventu suae ditionis, et petiturum ut ad hanc formam emendarentur Ecclesiae, congruit autem cum nostris Ecclesiis, nisi quod collegia non abolentur, sed doctrina in eis et viciosae ceremoniae corriguntur [5]). Postea igitur in Conventu, re disputata a comitibus Equestri ordini [6]) et legatis civitatum, decretum est Ecclesias ad hanc normam emendandas esse. Et nunc aliquot oppidis praesunt pii concionatores. Huic decreto refragatur collegium summum Coloniense, etsi illustres plerique bene sentiunt, sed impediuntur pertinacia quorundam senum et groperi [7]), qui anteferunt saluti suae et populi, Ro. pontificis et Regum iudicia, cum quidem in illis locis in primis opus sit emendatione doctrinae et rituum. mira est enim inscitia populi, et εἰδωλομανίαι prorsus ethnicarum similes [8]). Omnia autem Episcopo molienti emendationem faciliora essent, si hoc bellum in vicinis locis non exarsisset, quod fortassis et Belgico et Galliae erit exitiale. De Crumpeo nihil audivi. Medicus adhuc vivit, et saepe amanter tui mentionem fecit. Nunc Bonnae sunt Hedio et

---

manu sic inscriptam esse: Epistola D. Philippi Melanchtonis ad D. Georgium Spalatinum, docens de Reformatione Archiepiscopatus Coloniensis.

1) earum] Spieker: harum
2) possim] Spieker: possumus
3) in] apud Spiekerum deest.
4) cogitatas] Spieker: cognitas
5) sed doctrina — corriguntur.] apud Spiekerum desunt.
6) Equestri ordini] Spieker: equestris ordinis
7) De hoc Dr. ioh. Gropero, Canonico Coloniensi vide Spiekeri annotationem 9. l. i. p. 428.
8) εἰδωλομανίαι pr. ethnicarum similes.] Spieker: εἰδωλομανία pr. ethnicae similis.

Bucerus, et oppido Teutonum [1]) quod e regione Coloniae Agrippinae in ripa germanica situm est, praeest concionator doctus et pius. Bene et foeliciter vale. 25 August.

philippus Melanthon.

---

244. No. 2745 e. (Vol. V. p. 163.) 25. Aug.

Mart. Bucerus ad Melanchthonem.

(Cum additamento a Melanchthone d. 12. Sept. adscripto.)

Huius epistolae in Biblioth. Carol. Epist. T. 45. p. 115. apographon asservatur, quod mihi ex Simleri Collectione describendum Clar. Vir Voegelinus Tigurinus benigne curavit.

S. D. Quae cum mercatoribus agimus, mihi non solent cedere feliciter. Literae, quas pridem Echtjis credideram, utinam cum his tandem accipias. Dominus nos satis severe hic visitavit et adhuc sub acri castigatione tenet. Moguntiae Imperatorem adversarii Colonienses contra R^{m} ... [2]) et nos omnes gravissime inflammare studuerunt. Tamen cum primus Dux exercitus eius, Vicerex Siciliae, Contgaza adveniret, (advenit autem Dominica post Laurentii cum aliquot millibus Italorum et Hispanorum); item cum veniret designator hospitiorum Imperatoris, promiserunt hi magnam Imperatoris in nostrum benevolentiam. Ipseque Contzaga monuit, ut nos [3]) concionatores non committeremus nos turbae, se habere militem feroculum, nec posse eius audaciam semper continere. Nihilominus instabat, ut militi suo oppidum patefieret. A qua petitione aegre admodum abduci se passus est, admisso hospitio, quod ei nostri offerebant in Coenobio Dietinkirchen. Cumque locum castris commodum ultra vineas haberet, tamen in ipsis vineis proxime urbem castra metatus est, in quibus totus exercitus convenit, deseditque usque ad XX. huius mensis. Quo die Imperator cum omni exercitu versus Ducem movit. Sed eo die usque Borhem tantum ad nostrum illum verum Israelitam promovit. Italorum et Hispanorum a peritis aestimatoribus creduntur esse octo millia, Germanorum peditum XII millia. Equites Graeci celeres 1500. Germani totidem. In familia imperatoris prope trecenti Cataphracti fuerunt pretiosissime ornati. Ipse Imperator praeter morem suum praeclaro ornatu prodiit Cataphractis, armis

---

1) et oppido Teutonum] Spieker: in oppido Teutorum,

2) reverendissimum i. e. Episcopum Coloniensem.

3) nos] sic apographon pro: nostros?

auro pictis, iniecta vestis aurea erat. Pileum habebat purpureum cum penna alba. Aciem ipse instruxit adeove discurrit, ut ab armato in expeditum equum transilire oporteret. Signum equestris exercitus D. Io. ab Hulchen ipse sua manu dedit. Vis bombardarum et commeatus ingens advecta erat. Numquam tantum Germanici sermonis ab eo auditum est. Passim equites et pedites, Duces et gregarium militem appellabat, increpabat et excitabat. Quicquid navium Rhenus habet a Spira usque Coloniam, hic conspexisses. Impedimenta immensa secum trahunt Itali et Hispani. Quomodo vero putas nostros ab his hospitibus tractatos esse per novem illos dies, quibus hic haeserunt? gratia Domino, de stupris nihil auditum est. Verum exciderunt funditus supra 300 iugera vinearum, vastarunt, quae in agro reliquae fruges omnes erant, plurimum tritici et avenae. Doluit Duci Guolfgango Palatino, qui legato Vogelspergio ducit XII vexilla, locum sibi in vineis [1]), cum extra locus esset. Sed Duci Italo parere coactus est. Omnia enim praecipua munera obeunt Itali et Hispani, quod nostris quidem dolet, sed ferunt tamen. Exercitus prope totus convenerat XIV huius. Imperator advenit primum XVII. Tandem apertae portae militi sunt, et militaris custodia in forum collocata. Adeo vero exederunt omnia, ut cives panes in castris emerent. Damnum, quod acceperunt, tanti faciunt, ut dicant cives, se maluisse multari centenis millibus florenorum. Vicini vero Pagi R... penitus despoliati sunt, pecora abacta, omnis suppellex cum frumentis erepta. Non aliter forum instruxerunt suppellectilibus, quam si in media ditione hostili fuissent. Cum quererentur nostri Ducibus, causarenturque haec contra promissa fieri: respondebant Duces: Adducantur rustici, indicent eos, qui se spoliarunt, suspendemus eos. Sed quid miseris et oppressis aliud quam dolere et flere relinquebatur? Ita etiam pagum Bornenheimensem in gratiam hospitii Imperatorii totum diripuerunt, arcemque [2]) etiam direpturi aderant, cum Imperator abiisset, sed noster retinuerat aliquot ex satellitibus Imperatoris, Germanis et Hispanis, humaniterque tractaverat, horum iussu bombardis persuasit illis direptoribus, ut abirent, postquam sex ex illis cecidissent. Ita servata arx eius est. Tamen praestantissimum lectum, in quo Magister aulae Imperatoriae dormierat, abstulerunt et reculas aliquot obvias. Propter excisas vineas damnum hic nobilis accepit maius

1) H. l. verbum quoddam deesse videtur, fortasse: „assignari".
2) Scil. Electoris Colon.

quinque millibus, rustici eius maius octo. Sic tractantur amici. Interim de nobis et religione quid? Designator hospitiorum nostrum hospitium deputaverat magnis quibusdam consiliariis, Imperatoribus et vix exorari potuit, ut illud relinqueret comitibus a Manderscheydt. Tamen nos illud relinquere oportuit. Primum minabatur, se scripturum Imperatori, Lutheranis doctoribus servari hospitium praecipuum et excludi ipsos consiliarios. Transivimus igitur ad teloneum. Primoque biduo cum Imperator advenisset, tranquille ibi fuimus, quamquam sacrifici et eorum scorta nos iactarent, alii suspensos, alii confossos. Ad hoc enim hortabantur hospites suos Italos et Hispanos per se cupidos et talia minitantes. Tamen nihil mali nobis illatum est. Imperator vero postridie statim cum advenisset, lustravit exercitum. Die Dominico, impulsus, ut creditur, ab aliquibus, Missam solenniter audivit in magno templo, in quo Episcopus Compostellanus in die assumtionis sacrum fecerat, et orationem in nos habuerat, multa pollicitus sacrificulis, multa minitatus nobis. Praeesse dicitur sacris Imperatoriis vir venerabilis aspectu et senex, eodem vero Dominico die Imperator egit gravissime cum nostro sene, ut institutum suum differret ad Concilium, vel proxima comitia, ne vellet esse primus inter Episcopos renovator. Et ut removeret a se tres concionatores, quos gravatim ferret ipsi adesse, Philippum Melanchthonem, me[1]), et Hedionem. Cancellarius cum alia negotia Principis Imperatori exposuisset, responsum de religione exponere noluit, coactusque princeps est, uti opera Doct. Stigperti, Imperatori admodum, quod pridem audivi, ingrati. Responderi erga noster fecit: se nihil novi, sed talem moliri reformationem, quae cum scriptura Dei et vere Catholicae Ecclesiae institutis consentiat, quamque se non dubitet approbaturum Deo, Maiestati ipsius, et Statibus Imperii, eoque eam ipsius Maiestati, quam primum absoluta sit, exhibiturum diiudicandam. Tertio institit Imperator, ut differret omnem mutationem, donec sibi reformationem exhibuisset. Perstitit senex, se ita in hoc negotio gesturum, ut speret se actiones suas approbare posse Deo, ipsius Maiestati, et statibus Imperii. De nobis fecit responderi, se ea audivisse de nobis et deinde comperisse, ut non dubitarit, nos Maiestati eius non displicere, quorum ipse opera usus esset. Tamen te[2]) abiisse, me quoque pridem abire debuisse, sed nec Hedionem hic haerere posse: se igitur, quod ad nostras personas

1) Bucerum.
2) Melanchthonem.

attineat, facile morem gerere Imperatori posse: tamen conscientia sua, et religione muneris sui urgeri, ut aliis idoneis Doctoribus utatur. Ita discessum est, spe aliqua placationis animi Imperatorii in nostrum. Discedens enim palam admodum humaniter secundo valedixit seni in equo aperto capite, cum exceptus ab eo admodum frigide visus esset se habere. Sed cum rogatus quatuor bombardas Imperatori misisset in castra mediocres, cum perito homine bombardas tractandi, quidam ex Ducibus eum hominem duxerunt ad locum, in quo bombardae Imperatoris stabant, ostenderuntque ordine illi, quas donassent partim, partim mutuo dedissent ceteri Electores et Principes. Ibi noster mire pudefactus est. Nam nostrae bombardae illis nullo modo conferendae erant. Deinde ductus est ad Imperatorem homo ille, qui ipse homini dixit: Reduc bombardas in locum, e quo eas adduxisti, et e vestigio vide, ut huc redeas, quanti me et tuum Dominum facis, dabo tum tibi ad tuum Dominum literas. Ideo num allatae sint, aut quales sint, nescio. Seni adest quicquid Christi solidi est. Reliqui respiciunt, ut solet omnis homo, ad ea, quae in oculis sunt. Caro iudicat de eo, quod Simei iudicabat de Domino suo. Utinam idem fatum senis sit. Fortuna prope eadem aut esse, aut futura creditur a plurimis, quae erat ei, cui Simei benedicebat. Celso tamen est animo. Senatus Coloniensis impetravit Moguntiae literas ab Imperatore ad se, laudatrices et confirmatrices suae constantiae contra novam doctrinam. Eas literas praeter morem publice praelegi populo fecerunt, capitaleque fecerunt, novos Doctores audire vel hospitio excipere. Pontifex scripsit Capitulo, quae mitto. Sacrifici hic plurimos accenderunt magna indignatione contra senem et nos, persuasos scilicet omnem calamitatem illorum esse propter nostram doctrinam. Hoc enim et hospites testati sunt. Adhuc tamen pergimus, et multus populus, quamlibet ingentia damna sua profitetur aequanimiter laturum, modo Religionem Christi retinere possit. Multi etiam subinde baptizant nos grandibus convitiis. Me tandem dimittit senex cum Hedione, qui admodum his turbis commovetur. Quamquam quis non moveatur? Meinertzhagio et Mathiae Ecclesia commissa erit. His aderunt Franciscus, Martinus, et discipulus Meinertzhagii Altendorpius. Instatur impressori, ut reformatio quam primum exeat. Exercitus Brabanticus Duce Principe Uraniae expugnata prius arce Merniau, et ea ditiuncula occupata, ad Imperatorem ad ducem pervenit. Ferunt oppidum Duren undique cinctum esse et oppugnari durissime. Septem in oppido vexilla esse feruntur, Duce quodam,

viro strenuo. Quid Princeps Iuliacensis et Rossemius faciant, nescimus. Cum hic castra essent, apparebant subinde equites et pedites trans Rhenum, etiam cum Imperator navi descenderet. Quae res eum valde commovit. Illudi enim sibi putabat. Tamen ea res profuit, ut traiicere Hispani distulerint, quod initio conati erant. Sic fere hic habuerunt et habent res. Nullius in his te admoneo. Ipse vides, quam severiter Dominus suum populum humiliet, utinam ad salutarem poenitentiam. Vides quid nobis minetur. Gerardus, secretarius Imperatoris hic fuit, sed colloquium meum petitum respuit, dixitque apud magnum quendam, se noluisse, quamquam rogatum, cum nebulone, me notans, loqui. Religio graecae epistolae quam hic habebas, videtur regnare apud primores omnes. Et quid expectas aliud, ubi Itali prope administrant omnia? Precibus instemus Si Dominus dederit, ad Macedonem veniam, inde plura. Monasteriensis etiam satagit rerum suarum, et graviter impetitur a Capitulo Osnabruck et Monasterien. Ordo equestris adest Capitulo Osnabruckcensi. Dominus vos omnes servet et respiciat Ecclesiam suam. Commenda nos precibus vestrorum D. Doct. Pastoris et aliorum.

XXV Augusti 1543 Bonnae

M. Bucerus.

Post hanc epistolam allata est fama de capta Duren, et interfecto praesidio, suspensisque Ducibus capitaneis, Vlaten et Monchhusen. Hi multis apud nos cogniti fuerunt, ac fortissimos sese praestiterunt. Dicitur autem civitas illa esse initium Iuliacensis *διοιχήσιος*, ea quater ab Imperatore adorta et severiter expugnata, quinta vice capta est[1]), ac quicquid non fortuitu evasit, illud omne occisum est, primum viri bellatores, deinde adolescentuli, quibus etiam Turcus, ut ut crudelis bestia sit, parcit. Denique maior pars mulierum ubactu et foedissime stuprata est. Reliqua nolo hic narrare, sed rem omnem Domino committere. Vos bene valete. Datum Witembergae XII Septemb. Anno 1543.

Haec P. S. per Melanchthonem sunt addita.

---

245. **No. 2748[b].** (Vol. V. p. 166.) **29. Aug.**

Philippo, Comiti a Solms.

Haec epistola primum edita est a K. F. Th. Schneidero in hocce libello: *Luthers Promotion zum Doctor und Melanthons zum Baccalaureus der Theologie. Nebst zwei bisher ungedruckten Briefen Melanthons.* (Neuwied 1860. 8°.) p. 37 sq. epist. II.

---

1) Dura capta d. Barth. i. e. XXIV Aug.

Dem wolgebornen Grauen vnd herrn, herrn Phillppsen Grauen zu Solms, vnd herrn zu Mintzenberg meinem gnedigen herrn.

Gottes gnad durch seinen eingeborenen Son Jhesum Christum vnsern heiland zu uor, Wolgeborner Gnediger Graue vnd Herr, vor meinem abreysen zu anfang des somers, hab ich beyden jungen gesellen Wilhelmen vnd Philippsen beuohlen, so bald sie widerumb ausgehen wurden, denn sie die zeit, als junge leut, viel grind hatten, solten sie das studium juris furnemen, mit anzeigung welchen sie horen sollten, der halben ich nach dem ich widerumb zu hauß khomen, alß bald gefraget, wie sie es die Zeit gehalden, habe sie durch gottes gnad. gesundt gefunden, vnd vernomen das sie sich zuchtiglich vnd ehrlich gehalden, das sie auch mit vleiß in jure studirn. Dweil denn dises also ist, vnd E G gewißlich befinden, das durch gottes gnad dise zween jungen zu tugent geneigt sind, vnd gute hoffnung zu yhnen zu haben, bitt ich E G wollen gnediglich yhnen furohin zu tugent vnd zu ehrlichen sachen vnterhaltung geben vnd hulff erzeigen, zu hoffen, gott werde dise junge leut auch mit der zeit, zu nutzlicher Regirung, vnd zu wolfart vieler leut gebrauchen, dazu ich yhn warlich von hertzen, gottes gnad vnd segen [wunsche]. E G wollen auch auß erzeleten vrsachen, khein vngnedig mißfallen daran haben, das sie sich als junge leut mit der zerung nit so gantz enge halden, denn es doch noch khein muttwilliger vberfluß ist, welchen ich in kheinen weg gestatten wolde, E G wollen auch gnediglich yhnen die ordenlich Bucher in jure, nemlich zwei Corpora iuris zu kauffen beuehlen, denn die selbigen mussen sie haben, ich hab auch ein schrifft Philippi die er gemacht eingelegt, daraus khonnen E G die so Latinische schrifften richten konnen, vernemen das es zierlich geschriben ist, vnd E G zu dienen in aller vnterthenikeit, binn ich allezeit willig, der ewige gott bewar E G allezeit, datum Witteberg 29 Augusti 1543

E G

vnterheniger
diener
Philippus Melanthon.

246. No. 2749[b]. (Vol. V. p. 167.) exeunte Augusto.

Henr. Bullingerus ad Melanchthonem.

Huius epistolae ex Simleri collectione Tigurina (Epist. T. I. p. 366. Cast. C.) apographon per Clar. Virum Voegelinum accepi.

Bullingerus Clarissimo viro, D. Philippo Melanchthoni, Domino colendissimo et fratri inprimis charo.

S. Iuvenes nostri, qui aestate praeterita redierunt ad nos Witemberga, nunquam potuerunt nobis satis praedicare, tuam,

Philippe clarissime, erga omnes Tigurinos benevolentiam et humanitatem, simul attulere literas a te praefectis Collegii inscriptas, locupletissimos favoris et studii erga nos tui testes. Pro his tibi maximas ago gratias, ac vicissim omnia nostra officia, ac nos ipsos totos tibi tuisque offerimus, orantes ut in illa erga nos benevolentia perseveres. Amamus enim pietatem, eruditionem et humanitatem illam, quae in te est, singularem: cupimusque favorem nostrum aliquo tibi argumento declarare. Ego certe non alio consilio tibi libros hosce commentariorum in Ioan. decem mitto, nisi ut studii erga te mei approbandi gratia. Maiora libenter, si possem, darem, nunc, quae habeo, mente offero candida. Tu haec pro tua humanitate boni consule. Amo enim te, ac cupivi, hoc qualicunque munere animo gratificari tuo, quem scio studiosorum delectari diligentia et lucubrationibus. Laboravi in his scribendis et edendis continuis mensibus novem, nec aliud toto spectavi opere, quam ut Christus, verus Deus et Homo, et quae per hunc nobis donavit Pater coelestis, recte intelligantur et fide recipiantur. Ceterum abstrusa aquilae altissime volantis mysteria ita explicui studiosis, ut nemo, opinor, conflare invidiam possit, velut nova et spinosa contentiosave magis urgeam, quam quae sunt a primaeva ecclesia, quam omnes Catholicam vocant, magno consensu per spiritum veritatis recepta et defensa. Crebrius interim novum et noxium Schuenckfeldii dogma, quod multorum affligit animos, oppugno confutoque, praesertim ubi de vera humanitate Christi, deque veritate redivivi corporis eius in cap. I, II, III, IX, XVI, XVII et XX dissero. Quoniam vero blasphemus ille Servetus Hispanensis et Campensis quidam blatero ac malesani Anabaptistae pravas opiniones de Divinitate Christi, de adoranda Trinitate, de spiritu sancto et ineffabili utriusque naturae Christi coniunctione, nexu sive munitione sparserunt in multorum pectora, summa fide, cura et diligentia, quoties per occasionem licuit, praeteritis interim istorum nominibus, conatus sum, orthodoxum asserere sanctae Ecclesiae sensum, haereticum abolere. Spero autem me piis et studiosis rem fecisse non ingratam. Sane toto animi mei desiderio, toto hoc opere meo, veritatem catholicam defendere, pravas sententias proterrere, atque omnibus sanctis inservire studui: id quod novit, qui omnium corda novit Iesus Dominus noster. Accipe ergo munus a pietatis tuique nominis studiosissimo. Commendo me tuae pietati ac tuis precibus, Vir clarissime, de literis et pietate optime merite. Dominus Iesus servet te suae Ecclesiae ac nobis omnibus diu in-

columem. Salutant te D. Megander, D. Pellicanus, D. Bibliander, et Erasmus Fabritius, Ecclesiae nostrae Ministri: scholae item nostrae Professores: D. Ammianus, Collinus, Gessnerus, Werdmyllerus et ceteri. Salvus sit Clarissimus Vir D. Martinus Lutherus una cum choro isto piissimorum doctissimorumque isthic apud vos virorum, quibus me diligenter commendabis. Tiguri [1]).

---

247. No. 2755. (Vol. V. p. 176.) 6. Sept.

Vito Theodoro.

Haec epistola in Corpore Ref. l. l. manca exhibetur, quoniam ex Peuceri et Pezelii libris repetita est, in quibus eius principium et extrema pars desunt. Utramque partem illic omissam ex Professoris Van de Velde apparatu primum edidit Aug. Scheler in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 9. p. 132 sq. nr. 34.

Et tibi et multis gravissimis viris notae sunt querelae meae crebrae, doloris veri plenissimae, *περὶ κακοηθείας*, *πλεονεξιῶν*, *πολυπραγμοσύνης καὶ σοφιστικῆς τῶν ἀρχόντων*, ex quibus fontibus haec mala Germaniae, quae nunc sunt in conspectu, orta sunt; quae ut Deus mitiget, oremus. Me non modo dolor et luctus sed etiam indignatio excruciat causas harum aerumnarum colligentem et alte repetentem. Sed haec nunc omitto. A te expecto res Pannoniae et Belgici. Hic adfirmant arcem Strigoniensem proditione militis Italici captam esse; quid postea gestum sit, nondum narratur. De Belgio tantum audimus Carolum Coloniam venisse. Iam venio ad Ecclesiastica. Me absente extorsisti a Luthero epistolam ad Venetos concionatores, in qua ille fortassis *φορτικώτερον* respondit *περὶ δείπνου κυριακοῦ*. Hunc scopulum ut vitaremus fueram ipse responsurus. Quare in talibus negotiis velim et deinceps circumspectiorem . . . .
. . . .

Ex civibus tuis alter tantum nunc gradum magisterii petivit. Hieronymus propter valetudinem, meo consilio, expatiatus est et rogavit, ut meis literis apud te excusaretur. Quaeso ut hanc eius peregrinationem boni consulas. Magna utriusque eruditio et virtus est. De Hieronymo Scriba cive vestro, habeo et tibi et D. Hieronymo Bomgartnero gratiam ac spero vos beneficium collocasse apud memorem et gratum. Dextra et ingenua natura est et disciplinarum capax. Agamus Deo gratias quod his miserrimis

---

1) Simlerus de tempore, quo haec epistola scripta est, annotavit: In fine m. Augusti 1543.

temporibus et in tanta ingeniorum petulantia et tantis furoribus tamen aliqua bona ingenia excitat ad doctrinarum defensionem. Et vestrae civitati hoc decus gratulor. Bene vale. D. Hieronymo salutem opto, teque rogo, ut meis verbis ei gratias agas de Hieronymi Scribae negotio. Die 6. Septembris (1543).

Philippus Melanthon.

---

248. No. 2765[b]. (Vol. V. p. 185.) 1. Oct.

Testimonium.

Hoc primum ab Aug. Schelero ex Professoris Van de Velde apparatu Melanchthoniano editum est in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 9. p. 131. nr. 33.

Publicum testimonium Hieronymo Schreibero datum.

Vixit in academia nostra cum magna modestiae laude et diligentia in officio, Hyeronymus Schreiber Norimbergensis, cumque eas artes quae initio traduntur adolescentiae ad latinam linguam discendam recte percepisset, ut aditum ad philosophiae studium haberet, addidit graecam linguam. Deinde, ut est ingenua natura, incensus amore verae doctrinae, dedidit se philosophiae, nec umbram solum eius aut particulam aliquam arripuit, sed totam complecti studet et praecipue in illa dulcissima parte elaborat, quae doctrinam de motibus et viribus siderum continet, quae cum propter alias multas in vita utilitates appetenda est, tum vero quod (ut Plato inquit) grata de Deo fama in his artibus sparsa est. Testatur enim clarissime hunc mundum non casu ortum esse, sed ab aliqua aeterna mente architectonica conditum esse, et providentia divina genus humanum gubernari. Haec autem sententia, ut verissima est, ita ad virtutem et ad vitae gubernationem utilissima est. Quare et hic Hieronymus ad hanc honestissimam doctrinam optimos mores adiungit, et cum admonitus ab hac doctrina caelestium motuum et mirandi ordinis in natura Deum spectatorem esse et iudicem rerum humanarum statuat, probare ei vitam et actiones suas studet. Quare etiam de religione amplectitur confessionem catholicae ecclesiae Christi et abhorret ab omnibus fanaticis opinionibus. Commendo igitur eum omnibus bonis viris, quos quidem non dubito huic meo testimonio suffragaturos esse, cum studia eius et mores cognoverint.

249. No. 2798ᵇ. (Vol. V. p. 226.) 16. Nov.

Vitus Theodorus ad D. Lutherum,

Haec, de morte Eccii epistola ex Cod. MS. vet. epistolarum Cl. Godofr. Thomasii descripta invenitur in Cod. MS. No. 58. Bibliothecae Hamburgensis fol. 76ᵇ nr. 124., ex quo eam h. l. repeto.

De *Eccii* morte audivisse te puto. Decessit 10. Februar. sub meridiem, decubuit dies plus minus septem. Initio febris eum invasit, quam cum solito more curaret crebris cum poculis, malum auctum est adeo, ut adhortarentur eum amici ad confessionem et eucharistiam. Sed frustra aliquamdiu. Deinde etiam παράθημα oculis accessit. Itaque festinarunt et adhibuerunt monachum, qui ad lectum Missam celebraret. Is cum solitam abominationem mussitaret, Eccius clamare coepit: Hätten wir nur die 4000 Gulden, wir wollten der Sache zu recht werden. Paulo post secuta est epilepsia, quae non solum aliorum sensuum omnium, sed etiam linguae usum ademit. Quicquid dictum est ei, lapidi dictum est, nec profuit, quod monachi ad lectum murmurarunt Psalmos 55. Tandem accessit etiam tertius morbus, qui etiam vinosorum et libidinosorum est. Itaque una cum sanguine etiam animum evomuit. Haec mihi narravit *Weyherus*. Nam eius amici alia comminiscuntur. Sudet enim eos, suum defensorem tam foede mori. An. 1543. 16. Nov.

---

250. No. 2807ᵇ. (Vol. V. p. 239.) 2. Dec.

Ioannes Fridericus Princeps Elector ad Lutherum, Bugenhagium et Melanchthonem.

Hanc epistolam vide apud Burkhardtum l. l. p. 433—435.

---

251. No. 2818ᵇ. (Vol. V. p. 251.) 20. Dec.

Lutherus, Bugenhagius et Melanchthon ad Ioannem Fridericum Principem Electorem.

Hoc theologorum responsum ad epistolam praecedentem vide apud Burkhardtum l. l. p. 435—437.

---

252. No. 2828ᵇ. (Vol. V. p. 271.) 30. Dec.

Ioannes Fridericus Princeps Elector ad Lutherum, Bugenhagium et Melanchthonem.

Vide ibidem p. 437 sq.

---

253. No. 2836 b. (Vol. V. p. 276.) (hoc anno.)

Io. Mathesio.

Melanchthonis Consilia latina ed. Christoph. Pezelius (Neustadii 1600. 8°.) P. I. p. 529 sq.

Consilium de materiarum delectu in concionando. Ad Io. Mathesium. Anno **1543.**

Gaudeo relinqui altercationem, quae inter vos fuit de iustitia ante lapsum humanae naturae. Mi Mathesi, de praesentibus nostris aerumnis, de praesenti beneficio disputemus. Magnae res nobis cogitandae sunt. Postquam lapsa est humana natura, cogitemus seriam fuisse iram Dei, et quidem tantam, ut, nisi tunc filius fuisset deprecator, tota natura hominum reiecta fuisset. Condiderat Deus homines, ut se patefaceret, ut celebraretur, denique ut delectaretur hoc opere. Ab hoc se contemtum esse vere irascebatur, sed intercessit pro nobis filius. Rursus magnitudo misericordiae declaretur, quae tamen, si ira non cogitetur, declarari non potest. Hos locos agitandos et illustrandos esse duco. Et in his versari Paulum vides. Omittamus disputationes, quae plus habent subtilitatis, quam utilitatis, ac in nostris Ecclesiis concordiam foveamus. Id autem fieri non potest, nisi nos ipsi interdum quosdam iracundorum hominum aculeos dissimulemus. Hanc Philosophiam profecto necessariam esse doctori in Ecclesia iudico, et opinor mea exempla aliqua in hoc genere tibi nota esse.

ANNO 1544.

254. No. 2849 b. (Vol. V. p. 290.) 18. Jan.

Ioanni Turbidini.

Haec epistola invenitur in hocce libro: Locorum communium collectanea: a Ioh. Manlio per multos annos, pleraque tum ex Lectionibus D. Phil. Melanchthonis, tum ex aliorum doctissimorum uirorum relationibus excerpta, et nuper in ordinem ab eodem redacta. ([Basileae,] 1564. 8°.) p. 98 sq.

Venerabili viro, egregia virtute et sana doctrina praedito D. Iohanni Turbidini, pastori ecclesiae Gottensis, amico suo.

Etsi multa sint disputata a multis de elevatione Sacramenti, tamen in Ecclesiis nostris placuit eum morem imitari, quod allegata hac elevatione, aliqui confirmabant morem circumferendi et adorandi panem. Hanc autem circumgestationem constat extra

rationem sacramenti esse, ut si aqua gestetur sumpta ex ceremoniis Baptismi. Sunt enim Sacramenta actiones a Deo institutae. Aqua non est sacramentum, sed ipsa baptisatio, sonante simul verbo Dei. Sic de coena Domini sentiatur. Panis et vinum ordinata sunt ad sumptionem, sed si circumferantur, tanquam spectaculum, in circumgestatione nequaquam est sacramentum. Non enim alligatus est Deus ad aliquam creaturam sine suo expresso verbo. Post haec horribilis error est, quod sacrificulus offerat in hoc ministerio Filium Dei pro vivis et mortuis, et quidem quod addunt id opus valere ex opere operato, id est (ut ipsi loquuntur) sine bono motu utentis: ad hanc persuasionem oblationem retinent. Cum error iste damnabilis sit, aboleri vinculum erroris utile est, et prorsus homines de vero usu sacramenti, de confirmatione fidei, et gratiarum actione, docendi sunt. 18 Ianuarii, Anno 44.

---

255. No. 2855 b. (Vol. V. p. 295.) 29. Jan.

Christianus Rex Daniae ad Lutherum et Melanchthonem.

Hanc epistolam Burkhardtus l. l. p. 442. memorat quidem, sed verba eius ipsa non affert, lectores ablegans ad librum, quem nondum inveni: Samling of Kong Christian etc. ed. Wegner 232. 13.

---

256. No. 2873 b. (Vol. V. p. 322.) 2. Mart.

Albertus Dux Prussiae ad Melanchthonem.

Huius epistolae mentionem fecit Max. Töppen in libro suo: *Die Gründung der Universität zu Königsberg und das Leben ihres ersten Rectors Georg Sabinus.* (*Königsberg* 1844. 8°.) p. 104. nota 1.; sed epistolam ipsam hucusque non vidi.

---

257. No. 2936 b. (Vol. V. p. 378.) 8. Maii.

Idem ad eundem.

Huius quoque epistolae, quam nondum vidi, mentio fit in eodem libro p. 105 sq. nota 1.

---

258. No. 2954 b. (Vol. V. p. 407.) 6. Jun.

Ioanni Conrado ab Ulma.

Ex Simleri Collectione Tigurina (S. Msc. 55.).

Egregia eruditione et virtute praedito D. Io. Cunrado ab Ulma [1]) *Pastori Eccl. Laureacensis, amico suo.*

S. D. Adolescens Georgius Grim Laureacensis, etsi literis mediocriter excultus est, et bonis moribus praeditus est, tamen

1) Simlerus adnotavit: alias Ulmero.

ad concionandum non videtur vocandus. Nam pronuntiatio Templis non est idonea propter τραυλότητα, quae in me quoque reprehenditur. Sed ego agnosco et deploro mea vitia, et si me abdere possem in specum aliquem, facerem. Aliis melius consulo, ne, cum libera est deliberatio, vitae genera suscipiant, ad quae natura non sunt idonei. Quaeratur ergo locus Georgio in Schola aliqua. Mitto alium ad munus Ecclesiasticum probum et modestum hominem, Petrum Eubulum, Sigensem, quem Tibi commendo. Spero enim fore obsequentem et Concordiae studiosum. Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut ministerium tuum gubernet. Bene vale. Die VI Iunii (1544).

Philippus Melanthon.

---

259. No. 2957[b]. (Vol. V. p. 410.) 9. Jun.

Fridericus Myconius ad Melanchthonem.

Ex autogr. in Ep. msc. Vol. V. p. 279. Bibl. Saug. Civicae. Apographon benigne mihi curavit Clar. Vir Voegelinus.

D. Philippo Melanchthoni, viro doctissimo pientissimoque, Domino suo in Christo cum primis colendo.

Commendavit mihi D. Bucerus hunc iuvenem[1]) ut doctissimum et sanctissimum, tibique carissimum: et hoc quidem nomine hospitio excepi multo libentissime. Quicquid enim a te est, gratissimum est. Utinam egissem, quod acceptum tibi, et illi viro sit. De variis sumus colloquuti, sicut nimirum audies ex ipso. Inprimis sum conquestus, quae sint ferenda mihi propter Eucharistiae causam.

Audio Buceranus, Lutheranus, desertor pristinae sententiae, contumeliis adficior, prohibentur a convictu meo adversariorum[2]) stipendiati, quos vocant, imo et a meis concionibus, ne, ut quidam scribit, aliam de Eucharistia sententiam imbibant. Adeo mihi res ea dolet, ut vix doluerim magis, dum Carolostadium ferre cogerer, quamvis fortiter Dominus mihi adsit. Quod enim ad sententiam attinet, conceptam ex verbis Christi, non moveor. Moveor autem, quod intelligere nolunt, quae maxime intelligunt, excoecati adfectu non bono contra D. M. Moveor item, quod video, quanto studio malus laboret, ne verbum Christi de coena recte intelligatur, et rectum habeat usum, postquam Missa Papi-

---

1) Iosephum Macarium, Hungarum.
2) Tigurinorum.

stica e manibus erepta est. Verum post motus illos vehementissimos, dum redeo ad Verbum, quiesco et excutere quidem possem, quicquid divexat, nisi idem subinde a quibusdam renovaretur.

Ne vero nescias Virorum doctissime, qualiter ego sentiam: Confessio mea de Coena haec est: Christus in Panegyri hac cum pane nos pascit suo corpore, et cum Vino nos potat suo sanguine, non quidem ratione crassa et ut Capernaite postulavit, sed ratione coelesti et spiritnali, interim tamen vera. Et hanc veritatem credendam esse, non inquirendam. Id quod dico de modo ineffabili, quo Christus in dextera Dei sedens, suos in S. Coena corpore et sanguine suo reficit ad vitam. Ad sedandos animos adversus me commotos confessionem hanc misi, sed frustra: nisi enim dixero Est pro Significat poni, defendi non valeo. Haec in sinum tuum effundo, nonnisi ut onere nonnihil lever, et si quid erroris sit in mea sententia, tu per Christum, dum fuerit otium, edoceas. Velim et illud doceri abs te, rectene an minus sentiam, dum indico, de carne Christi semper et cogitandum et loquendum, ut est iuncta Divinitati: nunquam autem ut de abstracta, qualiter loqui videntur qui dicunt corpus Christi in multis locis simul esse non posse. Quod dicunt enim facile concedo de corpore a Divinitate soluto; verum dum solvi nequit, dubium est, an illi bene dicant. Video namque infallibile esse apud eos: Corpus non potest esse simul multis in locis, ergo non potest esse in Coena et in coelo simul, nisi contemplatione fidei. Hoc argumento physico nituntur adeo fortiter, ut putent, se vicisse contra omnes, qui non consentiunt. Usus est Vittenbergensis quidam eo argumento contra me per literas, qui ante paucos annos longe aliter senserat. Neque ego interim in hoc sum, ut simpliciter dicam: Corpus Christi esse ubique, sed credo verbis Domini lubens, dum adserit, corpus suum esse in Coena, dari et sumi. Scio taedio te affici, dum his rebus divexaris, quamobrem veniam peto. Si non urgerent isti, ne verbo quidem earum fecissem mentionem. Parce igitur et in Christo vale cum D. Martino, aliisque sanctis et doctis omnibus. Basileae IX Iunii 1544.

F. Os. Myconius.

---

260. No. 2959[b]. (Vol. V. p. 411.) 10. Jun.

Ioanni Conrado ab Ulma.

Ex eadem Collectione Simleriana (S. Msc. 55.).

Egregia eruditione et pietate praedito Iohanni ab Ulma, Scaphusiano, docenti Evangelium in Ecclesia Laureacensi, amico suo.

S. D. Statim ubi Lorensem adolescentem audietis, dehortabitur vos τραυλότης linguae ipsius, ne ei munus concionandi mandetis. Adiunxi igitur proficiscenti ad vos alium, Petrum Eubulum, Sigensem, natum in Comitatu Nassaico, modestum et pium hominem, et literis bene excultum. Nam in Academia Marpurgensi consumpsit triennium. Nos iam amplius anno audit. Et tua consuetudine quotidie proficiet. Morigerum certe et communis Concordiae studiosum se fore pollicetur, et ego natura placidum et amantem tranquillitatis esse comperi. Quare ut ei Diaconi munus commendes Te etiam atque etiam oro. Bene vale. Die X Iunii anno 1544.

Philippus Melanthon.

---

261. No. 2968[b]. (Vol. V. p. 421.) 22. Jun.

Henricus Bullingerus ad Melanchthonem.

Apographon huius epistolae, quae invenitur in Epist. T. I. p. 257. Cast. C. in Arch. Eccl. Tig. per aman. Bullingeri, accepi per Cl. V. Voegelinum.

Ad Philippum Melanchthonem.

Gratiam et vitae innocentiam a Domino. Accepi literas tuas [1]), Philippe doctissime, idemque mihi colendissime Domine, et frater carissime, ex quibus tuum iudicium de meis lucubrationibus, praesertim in Ioannem nuper editis, intellexi. Ac gratias ago Domino nostro Iesu Christo, qui mea opera ad gloriam sui nominis et Ecclesiae suae utilitatem utitur, ita nostra temperans ac moderans, ut ea optimi ac doctissimi quique, inter quos tu non postremas tenes, commendent atque approbent. Novit autem Christus, quem nihil latet rerum omnium, quid spectem in meis lucubrationibus. Cupio illustrare pietatis negotium et gratiam illam maximam a Christo nobis praestitam. Cupio studium sacrarum literarum bonis et studiosis omnibus commendare. Putantur illae barbarae et incultae, temere ac nullo certo ordine esse scriptae. Ideo multi abhorrent ab eis. Proinde ostendo obiter, pulcherrimo ordine res praestantissimus purissimasque inter se cohaerere et absque fuco tradi implicissime purissimeque. Cupio antiqua illa et pura orthodoxae Christi Ecclesiae, quae Christi Sponsi spiritu et verbo regitur, dogmata, per sophisticam et pontificiam doctrinam valde

1) die XXV Martii datas.

obscurata, pristino reddere nitori: haereses autem et opiniones novas, exoticas atque noxias, quas imperiti et audaculi quidam antiquitatis prorsus ignari, nostro seculo reparantes excitant, confutare et priusquam stabiliantur in simplicium animis, opprimere. Cupio in omnibus, et per omnia Christo multos lucrifacere: Verbum vitae omnibus modis ornare, ut hoc omnes ceu praestantissimum in orbe Thesaurum expetant. — Oro autem, mi Philippe, ut me tuis precibus iuves apud Dominum, quo possim de Ecclesia, sicuti hortaris, bene mereri, edendis piis, utilibus et moderatis lucubrationibus.

Facile persuades, ut a tractatione Monogamiae et Polygamiae discedam, quippe cum invitus et non nisi coactus ad eam descenderim. Imo Ioannes quidam Lenignus scriptis anno praeterito literis, quas ad me Illustrissimi Hessorum Principis cursor pertulit, praedivitem materiam suppeditavit de hoc negotio disserendi, dum frigidis quibusdam rationibus digamiam, ita enim appellabat Polygamiam confirmatam, nostras autem rationes firmissimas videri vellet confutatas. Ego tamen tunc acrioris certaminis occasiones praescindendas arbitrans, brevi epistola ita homini respondi, ut intelligeret, me veritatis causam, si quando maior posceret necessitas, neutiquam deserturum et rationes ab ipso prolatas nullo dissolvi posse negotio. Iccirco libenter ab eo certamine porro abstinebo, modo autores istius mali non pergant camarinam commovere, multisque praebere occasionem multas ducendi uxores, fidemque et pudicitiam coniugalem profanandi. Nosti enim quales nostrum seculum habeat homines, innumeros nimirum leves, qui quovis vento doctrinae circumferuntur, neque aliud magis in Evangelio quam carnis quaerunt licentiam. Quibus sane doctrina sana obsistere oportet, praesertim, cum verbum Dei castissimum suis immundis cogunt servire affectibus, ne videlicet propter ipsos male audiat veritatis, verae libertatis, puritatisque praeconium, denique ne Dei sancta instituta in nescio quam suspicionem incidant. Equidem condonanda sunt quaedam hominibus alioqui bonis et bene merentibus [1]: sed ita interim videntur res attemperandae, ne illorum errata atque peccata inficiant corrumpantque Ecclesiam. Neque tu aliud a me poscis, cum etiam tibi veritatis et Ecclesiae incolumitas unice cordi sit.

Hortaris deinde, ut si quae ex vestris ad nos regionibus

1) Simlerus adnotavit: De Cattorum Principe loquitur.

horridiores literae scribuntur, malum id obruamus silentio, nostraque arte leniamus. Verum quid dices, mi Philippe, si literae huius modi sint, ut difficile sit ad eas silere, nec ulla possint arte leniri. De D. Martini Lutheri literis loquor. Noris an nescias ignoramus tales Lutherum ad Froschoverum nostrum scripsisse literas (quas haud dubie nos non ignorare, minimeque latere voluit) ut non satis possint mirari, qui eas legunt viri boni et docti, quid Luthero evenerit, quod tanta cum immodestia, ut ne quid dicam acerbius, tam diras in nos effuderit criminationes atque contumelias. Et quia forte ignoras quas scripserit, paucis in sinum amici et fratris effundam, quicquid id est iniuriarum. Mox ab initio epistolae, Neque ego, inquit, neque ullae Dei Ecclesiae, ullam cum vestris praedicatoribus communionem habere possunt. Sumus itaque Lutheri iudicio resecti a consortio omnium sanctorum, veluti impii et pertinaces haeretici. Ergo nostra doctrina corruptissima est. Ergo nostrae Ecclesiae non sunt Ecclesiae Christi, sed synagogae Sathanicae. Ab huius modi enim communione iussit sanctos abstinere Apostolus. His autem quid, oro, poterat in nos atrocius vel cogitari? Imo adiungit his protinus: Doleo illos tantopere laborare, et tamen damnatos esse atque perditos Careremus itaque vera in Christum fide. Quicquid enim ex fide non est, peccatum est. Et qui non credit in unigenitum Dei Filium, iam iudicatus est. Rursus, satis admoniti sunt, inquit, ut resipiscant ab errore et ne secum miseros homines rapiant ad inferos, sed nullas habent aures ad sana consilia etc. Quis, oro, mi Philippe, unquam nos admonuit? quis de errore in doctrina convicit? Imo obtulerunt Helveticae Ecclesiae confessionem fidei suae Luthero: submiserunt eidem et declarationem articulorum de ministerio verbi et vi Sacramentorum. In iis tamen omnibus nihil damnavit Lutherus: nullius nos erroris convicit: nulla admonitione ab ullo falso dogmate retraxit. Scripsi privatim ego quoque Luthero, et obtestatus sum, si quid erroris in nostra doctrina esse norit, amice et fraterne indicet. Scripsi denique omnium fratrum et Ministrorum, qui Tigurinae Ecclesiae ministramus, iussu et nomine. Ceterum ille ne verbum quidem respondit. Nunc satis admoniti, nullas ad sana consilia aures habemus, ac homines nostrae fidei creditos nobiscum abripimus ad tartara. — Atrocia sunt haec, verum sequuntur atrociora. Nolo, inquit, esse particeps damnationis eorum ac blasphemae doctrinae: imo orabo et docebo contra illos ad finem usque vitae meae. En omnia nostra damnationem nuncupat: do-

ctrinam nostram blasphemum appellat. Publicum se hostem nostrum fore apud Deum et homines promittit, apud Deum precibus, apud homines doctrina. Nec spes est, illum aliquando rediturum in gratiam nobiscum, cum se pugnaturum contra nos spondeat ad finem usque vitae. Insuper et illud appendit: Deus adsit miserandis Ecclesiis, ut liberentur tandem a falsis illis praedicatoribus et seductoribus. Quid, oro, contra nos unquam vel ipse Papa horribilius intonuit? Sumus iam et Luthero pseudoprophetae et seductores: digni nimirum, qui obruamur lapidibus, et in quos animadvertat iustissimi cuiusque iudicis gladius: quibus interdicatur igni et aqua. Atque his omnibus nondum impotenter satis animi sui aestum contra nos effudit, nisi sub finem literarum etiam illud superadderet: Rident haec nostra, sed plorabunt, ubi invenerint iudicium Zuinglii, quem sequuntur. Deus servet innocentium corda ab eorum veneno. Non ridemus, Philippe, imo dolet nobis non mediocriter, virum tantum sibi ipsi ereptum furere sic contra immerentes, et semet ipsum dedecorare turpissime. Zuinglium beatae memoriae de pietate et literis optime meritum ad inferos detrudit: eodem nos colligat iudicio: quorum doctrinam, non aquam vitae, sed venenum et poculum mortis aeternae esse indicat. Qua iam obsecro arte possumus tantum leuire malum, et malum quidem Lutheri iudicio incurabile? Nec est, quod dubites de literis. Manum et signum Lutheri novi, cum prius etiam illius acceperim literas.

Non credimus autem, illum in plane impios et manifestos Verbi Dei hostes atrociora effundere potuisse. Ut autem maxime concedamus, nos errare in negotio Eucharistiae, an ita eramus abiiciendi, damnandi, conculcandi? Iam vero cum syncera et pura sit in Ecclesiis nostris doctrina de poenitentia et gratuita remissione peccatorum in nomine Iesu Christi; cum in dogmatibus non dissideamus vel latum pilum, quod dicitur, a dogmatibus apostolicae et primitivae Ecclesiae: cum sanctus et legitimus nobis usus sit Sacramentorum, denique cum vita nostra, Deo iuvante, imo operante per nos, inculpata sit, et sanctissimae nobis Ecclesiae sint, nostri Ministerii sancti et iusti testes, et vera apostolatus legitimi signacula, cur vir tantus tantis immeritos adobruit convitiis atque contumeliis? Extant praeterea libri nostri, fidei et doctrinae nostrae locupletissimi testes. Certamus contra Epicureos, contra impios et sceleratos, contra infideles et antichristianos, pro orthodoxa fide et disciplina Christiana. Magnis cum laboribus et curis studia et Rempublicam reparamus. Multi nostro-

rum propter Christum sanguinem suum effuderunt, et animas suas tradiderunt pro testamento Dei. Cur ergo Lutherus et eos, qui feliciter obdormierunt in Domino, et nos, qui hodie adhuc pro modulo nostro, et gratia nobis a Christo data, laboramus in vinea Domini, tanquam bipedum nequissimos damnat, abiicit, atque conculcat? Redundat ista iniuria, qua nos affecit, in sanctas Christi Ecclesias, quarum Ministri et legitime quidem vocati Ministri sumus. Redundat contumelia illa et in ipsum Dominum Iesum, caput, Regem, et Pontificem nostrum, cui credimus, adhaeremus, atque servimus. Haec apud te, Philippe, amicum et fratrem coram Domino querimur, et apud fidelem et iustitiae amantissimum haec deponimus, ut ex iis intelligas, quales literae sint, quae ex vestris regionibus ad nos perscribuntur. Possemus et huius generis alias quoque exhibere, quas per Christianam patientiam hucusque devoravimus atque concoximus. Dubitatur autem inter nos, et de aliorum apud vos eruditorum iudicio, cum is, qui primatum apud vos obtinet, de nobis tam maligne iudicat. Quod si alii quoque eruditi et Ecclesiarum praesides per Saxoniam eo in nos animo fuerint, quo constat, affectum esse Lutherum, quis non intelligat, quanto cum Ecclesiarum scandalo, quanto cum bonorum et simplicium hominum dolore ac detrimento, hoc ulcus aliquando erupturum sit? Nam si isti ita perrexerint, cogemur tandem nostram et nostrarum Ecclesiarum innocentiam, veritatem, integritatemque tueri.

Ceterum si tu humanissime piissimeque Melanchthon, vires ingenii et humeros admoveris rei alioqui satis periculosae, ut nihil non capessis alacriter, quod pro gloria Dei et Ecclesiarum incolumitate facit, lenire apud tuos hoc malum poteris, neupe si pro tua autoritate, qua merito apud tuos polles plurimum, te interposueris, tuosque et graviter et frequenter modestiae, aequitatis ac iustitiae admonueris, ut scilicet nostra diligentius legant atque expendant, priusquam nos damnent; cogitent item, nos quoque vocatione sancta et legitima ad hoc ministerium sanctum vocatos Ministros esse Christi Domini, qui per nostrum et eorum, qui obdormierunt iam dudum in Domino, ministerium, barbaros et indomitos, adde et Antichristo addictissimos populos, ad se convertit, inque Helvetiis permultas Ecclesias certe illustres constituit, quae propter Christum multa et magna fecerunt, ac pertulerunt: quae Christum vera fide amplectuntur, et invocant, vera item religione, caritate vitaeque innocentia colunt: Antichristum contra et omnem superstitionem et impietatem fugiunt. Apud nos

nullo opus est hortatore, cum omnium animi ad pacem et sanctam concordiam proclives sint, teque in primis, Philippe piissime, deinde alios omnes tui similes, pios, doctos et modestos, diligant ex animo. Efficiet autem haec modoratio, et animorum coniunctio inter nos mutua, ut si quae videntur in Ecclesiis nostris adhuc doceri et geri dispari ratione a vestris, cuiusmodi est Sacrae Coenae, Confessionis et privatae absolutionis, denique simulachrorum negotium, dilectione et studio gliscente mutuo, tempore item et cognitione verum exactiore, tum et experientia magistra, intercedente, singula et rectius ab utrisque intelligantur, et de iis iudicetur, sepositis affectibus, purius. Recte enim mones ex Basilio, non tam sinistrae opus esse dextra, quam Ecclesiae concordia docentium. Ergo quod promittis te curaturum, ne magis dilabantur ac divellantur nostrae Ecclesiae, sed ut magis constringantur, hoc ipsum et de nobis tibi tuisque polliceberis. Astringemus enim et nos nostram coniunctionem non dissipabimus. Atque haec est mea et reliquarum Symmystarum voluntas, de qua rescribi a me volebas. Haec autem simplici et syncero animo coram Domino scribo. Plura de nobis referet piissimus et doctissimus iuvenis D. Iosephus [1]) Pannonius, convictor ille tuus, quem tu scripto publico omnibus bonis et studiosis commendasti. Oro autem, ut ad autumnales nundinas recribas, et haec mea boni consulas.

Salutem optat tibi D. Gaspar Megander, qui tecum sub D. Georgio Simlero beatae memoriae, docto et sancto viro, Phorcae bonas literas primis in annis imbibit: eo tempore, inquit, quo tu post paulo Tubingam migrabas. Salutant te et reliqui Ecclesiae Tigurinae Ministri ac concionatores D. Rodolphus Gualtherus, D. Erasmus Fabritius, Professores item sacrarum literarum D. Pellicanus et D. Theodorus Bibliander, sed et reliqui linguarum et bonarum literarum professores omnia fausta tibi precantur D. Ioan. Iacobus Amianus, Rodolphus Collinus, D. D. Conradus Gessnerus, in primis vero Ecclesiae nostrae Catechista D. Otto Werdmyllerus. Salutabis tu nostro nomine Praesides Ecclesiarum et Professores bonarum artium, amicos nostros, officiosissime. Dominus Iesus servet te in gloriam nominis sui, et Ecclesiae suae incolumitatem, colendissime, idemque mihi carissime Melanchthon.

Tiguri XXII Iunii 1544.

Heinrychus Bullingerus, tuus ex animo.

---

1) Macarius.

262. No. 2987 b. (Vol. V. p. 440.) 9. Jul.

Vito Theodoro.

In Corp. Ref. Vol. V. p. 440 sq. duae epistolae No. 2987. et 2988. a Melanchthone ad Vitum Theodorum hoc die datae exhibentur, quarum neutra subsequentia continet, quae Ioh. Voigt in dissertatione inscripta: *Hieronymus Baumgärtners Gefangenschaft. Ein Beitrag zur Geschichte Nürnbergs*, affert ex epistola a Melanchthone ad eundem eodem die data, cuius apographon in tabulario secreto Regiomontano asservatur. Haec dissertatio invenitur in hocce libro: *Anzeiger für Kunde der deutschen Vorzeit. Neue Folge. Organ des germanischen Museums. I. Band.* 1853 *u.* 1854. No. 6. Iuni 1854. p. 132—136.

Quod in illa prima contione denuntiatum est, insidiari diabolum calcaneo nostro, id fieri atrociter experimur. Sed filium Dei oremus, ut caput insidiatoris conculcet. Mihi vulnus fecit ante paucos menses filii calamitas, quod nulla humana ope sanari potest. Cumque in hoc tanto essem moerore, accessit alterum vulnus, quod viri optimi et nobis amicissimi Hieronymi Baumgartneri calamitas nobis fecit. De quo quid vel consilii vel spei cives vestri habeant magnopere cupio scire. Nos qua parte nostri ei [1]) possumus? Deum aeternum patrem nostri Iesu Christi oro, ut eum vobis et nobis restituat. Quem possumus nominare ulla in urbe civem sic meritum de republica in omni genere negotiorum? Summa fide et prudentia administravit politica munera. Fovit Ecclesiam Dei, iuvit studia literarum, texit cives pauperes, abhorruit a factiosis consiliis, nullam sibi potentiam quaesivit, nihil ὀλιγαρχία habuit. Praeterea eruditione tanta praeditus est, ut nobis qui in schola versamur longe antecellat. Et domesticae virtutes in eo omnes sunt, quae bono viro attribuendae sunt. Postremo mihi sic est amicus, ut non minus quam fratrem diligendum iudicarim, et dilexi praecipue propter ipsius excellentem virtutem. Hunc talem virum et amicum tam indigno casu venire in discrimen summum non dolerem? Spero equidem Deum custodem eius fore, qui ait ut pupillam oculi, ita se sanctos suos custodire, et ut custodiat oro. Sed periculum quantum sit reputo. Scribe quaeso quidquid explorare poteris. Bene vale et rescribe.

Dat. Wittenbergae IX. Iulii M. D. XLIIII.

Philippus Melanchthon.

---

1) H. l. aliquid deesse videtur fortasse *opem ferre.*

263. No. 2990ᵇ. (Vol. V. p. 442.) 14. Jul.

Albertus Dux Prussiae ad Melanchthonem.

In hac epistola, quam nondum vidi, Dux Melanchthoni indicat, Sabinum cum uxore et liberis feliciter venisse Regiomontum, vide Phil. Melanchthons Briefe an Albrecht, Herzog von Preußen. Von den Originalen im geheimen Archiv zu Königsberg — — herausg. von Karl Faber (Königsberg 1817. 8°.) p. 91. et Töppen l. l. (conf. supra no. 253.) p. 106.

264. No. 3001ᵇ. (Vol. V. p. 454.) 3. Aug.

Testimonium ordinationis.

Hoc testimonium legitur in Bibliotheca (Bremensi) hist.-philol.-theologica. Classis IV. Fasc. 1. (Amstelodami 1720. 8°.) p. 89 sq. no. V.

Testimonium ordinationis Theodori Fabricii D. datum a M. Luthero et collegis.

Versatus est in Schola Ecclesiae nostrae Theodorus ***Fabricius*** ea modestia et diligentia in literis, ut propter bonos mores et eruditionem ornatus sit gradu Doctorum Theologiae. Postea cum vocatus esset ad gubernationem Ecclesiae Cervestensis, hortatores ei fuimus, ut illi vocationi obtemperaret. Saepe enim eum audieramus et sciebamus, eum recte tenere summam Christianae pietatis, et amplecti puram Evangelii doctrinam, quam Ecclesia nostra uno Spiritu et una voce cum Catholica Ecclesia Christi profitetur, ac a fanaticis opinionibus damnatis iudicio Catholicae Ecclesiae Christi abhorrere. Promisit etiam hic D. Theodorus Fabricius in doctrina constantiam, et in officio fidem et diligentiam. Quare ei iuxta doctrinam Apostolicam publica ordinatione commendatum est ministerium docendi Evangelii et Sacramenta a Christo instituta administrandi iuxta vocationem. Cumque scriptum sit de filio Dei: ***Ascendit, dedit dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Pastores et Doctores***, precamur ardentibus votis, ut suae Ecclesiae Gubernatores det idoneos et salutares ac efficiat, ut huius Fabricii ministerium sit efficax et salutare. Ipsum etiam D. Theodorum Fabricium et suam Ecclesiam hortamur, ut curent Evangelium Dei pure et fideliter conservari et propagari. Nam hoc officio Deus praecipue se coli postulat, sicut inquit Christus: ***In hoc glorificatur Pater meus, ut fructum copiosum feratis, et fiatis mei discipuli.*** Et hac luce retenta, manet Ecclesia, et aderit in ea Ecclesia Deus, dabit vitam aeternam invocantibus ipsum, et opitulabitur in aerumnis huius vitae. Ibi enim adest et exaudit Deus, ubi ipsius Evangelium vere sonat.

Sicut scriptum est Ioh. XV. ***Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis, petetis et fiet vobis.*** Datae Wittebergae die tertio Augusti Anno MDXLIIII.

Pastor Ecclesiae Wittebergensis et ceteri
Ministri Evangelii in eadem Ecclesia.
Martinus Luther D.
Iohannes Bugenhagius Pom. D.
Philippus Melanthon.

---

265. No. 3002 b. (Vol. V. p. 455.) 4. Aug.

Senatui Herzbergensi.

Ex apographo.

Den Erbarn vnd Weisen Herrn Burgermeistern, vnd Radt zu Herzberg meinen günstigen Herrn vnd Freunden.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Son Jhesum Christum vnsern Heyland zuvor,

Erbare, Weise günstige Herrn, Ewr. Weißheit khennt ohne Zweifel ein jungen Knaben von Hertzberg Martinum einer armen Witfrawen genannt Partholyn Son, der fromm vnd vleissig ist, vnd die Wochen nicht mer denn zween Grossen hatt, davon ehr ihm Speis vnd Tranck Kauffen muss, Nu erbarmet mich warlich der grossen armut, vnd will ihm ferderlich zu diensten helffen. Ich bitt aber vmb Gottes willen, E. W. wolle gedachten Martino ein hulff thun mit etlichen Gulden, auff dem gemeinen Kasten, das wirt Gott Belohnen, der euch allezeit bewaren wolle, gnädiglich vnd väterlich, Datum Wittenberg, d. 4. Aug. 1544.

E. W.

williger

Philippus Melanchton.

---

266. No. 3022 b. (Vol. V. p. 474.) 28. Aug.

Eberardus a Rumlang ad Melanchthonem.

Ex autogr. in Tomo Epist. ap. Cl. Scheurerum Th. Bern. p. 41. Apographon huius epistolae Cl. V. Voegelinus benigne mihi curavit.

Eberardus a Rumlang ad Philippum Melanchthonem.

Gratia et pax a Deo Patre et Domino nostro Iesu Christo, provehant nos in salutiferae fidei incrementum et dilectionis exuberantiam. Amen. Philippe omnibus modis fidelissime et ornatissime, quod dignatus sis tam amicas ad me dare literas, omnem humanitatem benevolentiamque spirantes, ita sane me affecit, ut

id verbis expedire satis nequeam. Sunt enim mihi instar maximi et pretiosissimi muneris, potissimum etiam, quod tam amice et suaviter copiosius scribendi, si exposcam operam tuam et diligentiam obtuleris. Ausim dicere, te ipsam esse amicitiam, qui ad vota amici tam inpense et fuse te impertias, fit hoc non absque numinis summi aspiratione, quod totum te moderatur. Cuius scripta tua certissimi sunt testes, ex sinu pectoreque Christi depromta, arcana Dei expressissime tradentia, ut merito te, donaque tua omnibus piis gratuler, qui Deum in te loquentem sentiunt et depraedicant. Ideoque gratias agunt, laudesque decantant. Libere et candide loquor, teste conscientia mea, nec adulor, modo precemur Dominum, ne ex nostro affectu Ecclesiam ullo pacto turbari, nedum affligi vel scindi sinat, quae alias immensis Satanae insultibus conflictatur, sed nostra pectora ducat et gubernet, quo in fide illustriora reddita fructus progerminent et protrudant salubriores, sublato omni livore, detractione, amarulentia et calumniis, ad quod te promptissimum accipio. Studeamus itaque communioni Sanctorum, quae a nobis excolatur, foveatur et evehatur, si quae minus arrident, ut nihil, quod non aliquando deficiat ac claudicet apud quosque homines, benignitate oblegamus, amice admonendo dissimulemus, mitigemus et leniamus. Quod quia tu nusquam non facis, ideo tamen scribo, ut et me in hoc propendere sentias, id summis votis expetere. Mutua defensio tutissima est, quum calamitoso hoc flatu debemus πᾶσιν ἴχνεσι ζητεῖν, quod inde plurimi fructus in Ecclesiam redundarent, neque hostes nostri haberent, quod calumnientur nostro merito.

Quod ad Coenam attinet Dominicam, sentio ipsam promissionum Evangelicarum esse caeremoniam additam et pignus ac testimonium Dei, quo contestetur, totum Christum cum omnibus suis fructibus incarnationis, passionis et resurrectionis, nostrum esse, si fide ipsum adprehendamus, atque Dei beneficia per Christum nobis praestita commemoremus, sane per baptismum venimus et cooptamur in Christi consortium et participationem cum eo mortui, et a morte suscitati per regenerationem in vitae sanctimoniam, et quia non nisi fide fixas in Christo radices habemus, insiti illi; sentio hunc esum panis in Coena contestationem esse exhibiti mihi et praestiti Christi. Sunt enim Sacramenta nostra signa exhibitorum beneficiorum, quemadmodum Legis Sacramenta signa futurorum et in Christo praestandorum, fuere. Ideoque Coena frequentatur ad fidem nostram vegetandam et confirmandam, quod praecipuum in hoc sit Coena, quod Deus testatur,

adoptionem, quae coepit in Baptismo, evacuari atque irritam fieri non posse, etiamsi in foeda vitia et crimina post reconciliationem, quae contigit per Baptismum, labamur, modo fidem retineamus et serio nos emendando ad Deum convertamur. At fides non aliunde efficacius alitur, quam si misericordiam Dei et dilectionem Dei erga nos, qui filium suum unigenitum hostiam pro nobis dedit, per quam Patri reconciliati sumus, contemplemur, et intimis animi recessibus infigamus. Formulas itaque locutionum, quibus tu uteris, agnoscimus et recipimus. Sed ab his abhorremus, quae per Ministri administrationem corpus Domini tanquam per hoc medium applicari et exhiberi contendunt, cum gratia non signo sit alligata, alioqui et infideles ea participarent, et quia Christus se ipsum suis fruendum dat per Spiritum Sanctum, qui nos excitabit in novissimo die Rom. VIII. Et quum Christum in Baptismo accepimus et fide in eo permanemus, minister panem sacrum mihi exhibet in contestationem Dei, quod Christus pro me sit passus et mortuus, primitiae resurgentium et quod totus Christus meus sit, ubi et vicissim ego hanc fidem universae Ecclesiae profiteor, ideoque panem corpus suum dixit, quia salus mihi corpore Christi, ad quod respiciendum semper est, parta est, peccata enim mea in corpore suo pertulit, super lignum, semel passus iustus pro iniustis, ut nos adduceret Deo, quo peccatis mortui Deo vivamus. Haec fides semel suscepta non iteratur, quod qui semel beneficia Christi agnoscunt, non amplius esuriunt, at incremento opus habet, ne assiduis tentationibus Satanae succumbamus, qui fidem nostram impugnat. Itaque coena iteratur, quae testetur et admoneat nos beneficiorum Dei, gratiae et misericordiae, et quod Christus nobis sit exhibitus pignus nostrae salutis, quo suscitetur et foveatur scintilla fidei, quam ante Coenam in pectore habeo, sine qua etiam non est Christus, cui in Baptismo sum insitus, et quam Paullus ante esum explorandam docet, (priscis etiam patribus orthodoxis consuevit solennibus verbis *Χριστοῦ* (?) in re coenae et eo quod fides nititur coenae actionis mentionem habuerunt, quam . . . .[1]) admonet).

Oro mi Philippe, boni consule prolixitatem meam, si erro, dummodo tantum errem sine periculo aliorum, corrige, obsequar lubens, medelam adhibeto et quicquid rescribis, tuto scribis, nam arcana nostra nolo prodi, modo efficias, ut tuto literae ad me perferantur. Si Tigurum veniunt, mihi reddentur. Habeto me

1) H. l. omissa scriba legere non potuit.

commendatum. Dat. XXVIII die Augusti anno incarnationis Dominicae 1544.

267. No. 3027 b. (Vol. V. p. 478.) 9. Sept.

Senatui Ratisbonensi.

Hanc epistolam ex Professoris Van de Velde Apparatu Melanchthoniano primum edidit Schelerus in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 8. p. 121 sq. epist. 28.

Den erbarn weisen und furnemen Herrn Burgermeister und radt zu Regensburg, meinen günstigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Son Jesum Christum unsern Heiland zuvor. Erbare, furneme, weise, gunstige Herrn. Erstlich bitt ich E. W. als die verstendigen, die wollen an meinem Schreiben kein ungunstig misfallen haben, denn sie wissen das ich in diesem meinem beruff der jungen leut studia so viel mir möglich zu furdern schuldig binn; fuge derwegen E. W. zu wissen, das Zeiger dieser Schrifft Nicolaus Marius und Wolfgangus Seitentaler durch Gottes Gnad wol und loblich nach ires alters vermogen studirt haben, das zu hoffen, sie werden zu christlicher regierung auch mit der zeit dienen khönnen, besonder so sie furt fahren und ihr wol angefangen studium volnziehen werden. Darumb bitt ich E. W. wolle ihn dazu ferohin gunstige hulff erzeigen. E. W. als die verstendigen und die zu furderung gottlicher Ehr geneigt sind, das Gott diese elemosyna den Regenten bevolhen hatt, das sie christliche Lehr pflantzen und erhalden und will sie gnediglich belohnen wie vor Augen. Denn E. W. sehen, welche Elend sind in Frankreich, Hungarn, Italien, Niederland, England und Schottland, da christliche Lehr lange Zeit vervolget worden und noch grausamlich gelestert wird. Darum wir billich Gott danken sollen, das ehr so gnedig Teutschland verschonet umb seines lieben evangelii willen und sollen derwegen dasselbig ehren und trewlich furdern, das Gott recht angeruffen werde und der Heiland Jesus Christus recht gepreiset werde und viel Leut sich bessern und selig werden. Das gebe Gott. E. W. wollen derwegen ihren stattkindern zum studio des gutwilliger helffen und Belohnung von Gott warten, der warlich diese Wolthat und diese gutwilligkeit obgleich das Werk so groß nicht ist, reichlich belohnen will. Der wolle auch allezeit Ewr kirchen und Stadt gnediglich bewaren. Amen. Datum Witeberg, 9. September 1544.

E. W. williger

Philippus Melanthon.

268. No. 3031ᵇ. (Vol. V. p. 481.) 19. Sept.

Lutherus, Bugenhagius, Crucigerus, Schurffius et Melanchthon ad Ioannem Fridericum Principem Electorem.

Hanc epistolam legas apud Burkhardtum l. l. p. 448 sq.

269. No. 3065ᵇ. (Vol. V. p. 517.) 23.—24. Oct.

Lutheri et ceterorum Theologorum Witeberg. iudicium de Comitiis Wormatiensibus indictis Augustam Vindelicorum transferendis.

Vide ibidem p. 450—452.

270. No. 3067ᵇ. (Vol. V. p. 520.) 29. Oct.

Frechtus ad Bullingerum.

Ex Collectione Simleriana Tigurina (S. Msc. 56.).

(*Fragmentum.*)

— — — Optimus Melanchthon ad me scribens ita praefatur: „Si profunderem lacrymas, ut vester Danubius aquas, non ex„hauriretur dolor meus, quem mihi adfert instauratio belli περὶ „δειπνοῦ. Nec de mearum rerum mutatione valde angor. Doleo „turbari Ecclesias, non sanari. Nam controversia his rixis non „explicatur, nec dirimitur. Multa mecum cogito, de quibus for„tasse brevi coram colloquemur.“ Haec ex meis ipsis praecordiis optimus Philippus scripsit, obtestans quemvis, ut Christiana moderatione prudentum sermones reprimantur.

271. No. 3067ᶜ. (Vol. V. p. 520.) 30. Oct.

Lutherus, Bugenhagius, Melanchthon et Crucigerus ad Ioannem Fridericum Principem Electorem.

Vide Burkhardtum l. l. p. 452.

272. No. 3085ᵇ. (Vol. V. p. 541.) 3. Dec.

Ioannes Fridericus Princeps Elector ad Lutherum ceterosque Theologos Witeberg.

Vide ibidem p. 454—457.

273. No. 3085 e. (Vol. V. p. 541.) 3. Dec.

Henr. Bullingerus ad Melanchthonem.

Epist. Tom. II. p. 143. Cast. C. Arch. Eccl. Tig. per aman. Bullingeri. Apographon huius epistolae, qua Bullingerus ad Melanchthonis epistolam prid. Cal. Sept. datam respondet, per Clar. V. Voegelinum accepi.

(*Ad Philippum Melanchthonem.*)

Gratiam et vitae innocentiam a Domino. Nihildum vidimus scriptorum D. Lutheri vel ad nos, vel contra nos. Quo fato id fiat, ignoramus. Miramur interim D. Lutheri consilium, qui, quantum ex aliorum quoque amicorum et fratrum literis intelligimus, acerbissime in nos scripsit, nihil tamen misit. At ingenui et vere Germani hominis fuerat, mea quidem sententia, illis maxime exemplum mittere, ad quos, vel contra quos scriptum est. Nullam homini occasionem dedimus agendi contra nos usque adeo atrociter et hostiliter. Id quod valde consolatur nos, qui alioqui magno cum dolore videmus, multis infirmis perniciosum obiici scandalum. Vere enim scribis, hostes nostros cristas ferociter erecturos. Dolet et illud nobis maxime, symbolum illud unionis et concordiae redemptorum sanguine Filii Dei, Sathanica suggestione verti in materiam rixarum, quibus animi fidelium saucii distrahuntur in partes. Nec impunitum sinet magnum hoc malum iustissimus Dominus. Quoniam vero prior ille ministerium nostrum et Ecclesias nihil tale meritas, damnavit tractavitque indignissime, publicato huiusmodi scripto (quantum videlicet ex optimorum doctissimorumque literis intelligimus: ipsum librum brevi nos accepturos speramus) quod non citra veritatis et Ecclesiarum nostrarum ingens periculum dissimulare possumus, non indigne feres vel tu, colendissime, nobisque carissime Melanchthon, vel alius vir bonus, si vere et modeste, coram Christi Ecclesia, nostram tueamur innocentiam, fidem denique nostram libere confiteamur, et adversarii respondeamus argumentis. Diu quidem propter pacem Ecclesiarum multa dissimulavimus. Nullum ille librum multo iam tempore edidit, in quo non Zwinglium nostrum meliora meritum notarit, ac nos etiam accusarit. Eo nomine semel et iterum datis ad Lutherum literis amicissime scriptis, hominem dehortati sumus. Sed et magnis sumptibus D. Bucerum de concordia Lutheri cum Helveticis Ecclesiis et harum cum Luthero splendide disserentem, ac magna pollicentem saepe audivimus. Responderunt Ecclesiae nostrae epistolae Lutheranae, adeoque et amicitiam contraxerunt cum illo, oblivione deletis

omnibus iniuriis, et hostilibus libellis. Quorum omnium ille immemor, pergit suo modo agere, pacem videlicet calcare, et classicum canere. Satis ergo dissimulatum hucusque. Satis illi datum. Satis tentatum. Ille bellum mavult, quam pacem. Interim non est, quod metuas, ne et nos in respondendo modestiam praetereamus. Numquam placuit nobis Lutherana illa omnibus maledicendi rabies et stylus saevissimus, exemplo carens, ut non magnopere nunc demum illud imitari cupiamus. Nec quicquam nobis negotii cum Anabaptistis, cum Campano, cum Schwenkfeldio et aliis sectarum autoribus. Nostram agemus causam. Tu ora Dominum, ut omnia cedant ad Christi gloriam et Ecclesiarum salutem. Copiosius autem de his apud te disserimus, quia te amamus et te inprimis nostram innocentiam scire cupimus. Dolet autem valde, te quoque versari in periculo non levi. Ergo si quid nostra poteris sublevari opera, omnia nostra tibi offerimus. Concede ad nos. Patebunt tibi omnium nostrum aedes. Nec ingratus eris hospes Magistratui nostro et Reipublicae. Honesto tibi stipendio providebitur. Nos interim tibi commendatos habe, et ora pro nobis Dominum. Vive et vale. Salutant te amicissime D. Pellicanus, Megander, Bibliander, Gualtherus, Fabritius, ac reliqui. Tiguri III Decembris 1544. Commendamus tibi hunc studiosum iuvenem Schafhusianum, qui valde praedicat tuam humanitatem, fidem et diligentiam. Dominus Iesus servet te.

Heinrychus Bullingerus,
tuus ex animo.

274. No. 3089 b. (Vol. V. p. 546.) 13. Dec.

Lutherus, Bugenhagius, Cruciger, Camerarius et Melanchthon ad Philippum Landgravium Hassiae.

Hanc epistolam repeto ex hocce libro: Epistolarum historico-ecclesiasticarum Seculo XVI. et XVII. a celeberrimis viris scriptarum Semicenturia altera ex autographis et apographis fide dignis descripsit, edidit ac notulis illustravit Bernh. Frideric. Hummel. (Halae 1780. 8°). p. 114—116. no. XLIII.

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jesum Christum vnsern heiland zuvor. Durchleuchter Hochgeborner furst, vnnd Herr, wiewol wir E. f. G. gerne verschonen wollten, als die wir wissen, welche last vndt arbeit vil löblicher fursten vnd Regenten, ietzund tragen, so zwingt doch die notturfft dises ellenden Lebens, daß man die herren offtmals ansuchen mues, vnd soll also sein, daß die herren dem frommen vnd vnschuldigen trost, vnndt hulff erzeigen, so vil muglich ist.

Nun wissen Euer F. G. daß der fromb Ehrlich Mann Hieronymus Baumgarttner von Noriberg im nechsten Speirischen Reichstag von Alberten von Rosenberg gefangen ist, vnndt noch nit ledig, vnd nemen sich sein wenig leuth an, Nun ist er vnser besonderer freundt, vnnd von wegen seiner grossen tugend sehr geliebt, vnndt Gott weiß, daß vnser ettlich selb in seine gefengnus zu dretten, zu seiner Rettung, willig weren, Dieweil wir aber keine wege wissen, wie Jme zu helffen, haben wir endtlich bedacht, an Ewer f. G. vnthertheniglich zu schreiben, vnd ob gleich Euer f. G. sich nicht gerne in der Noriberger hendel einlassen, Auch dieselbige Zeitt, da Rosenberger seinen schaden empfangen, dem Bund verwandt gewesen sind, so bitten wir doch in vnderthenigkeit, E. F. G. wollen vnsern Personen, die wir gerne vnsern gueten freundt helffen wollten, dise gnad erzeigen vnd gnediglich bei dem Rosenberger vmb erledigung gedachten Baumgarttners arbeiten, vnndt mittl die Jme vnd seiner Freundschafft, als Priuat Personen muglich furschlagen. Dann sein vermögen ist nicht gros, So ist dem Rosenberger nichts mit seinem Tod geholffen, one daß er sich am Blut eines frommen gottsfürchtigen Mannes schuldig macht.

Vnser Hayland Christus spricht, Jch bin im Kercker gewesen, vnd Jr seit zu mir kommen. Warlich derselbigen Personen eine, welche Christus zu retten beuolhen, ist auch Baumgarttner. Dann zu dem das er gelert vnnd verstendig ist, so lebt Er in rechter Gottesfurcht, vnndt dienet zur furderung rechter Studien, vnnd gottlicher lehr mit besonderem Ernst, vnd fleis, derhalben wir nit zweifflen, dise E. F. G. Arbeit werde Gott gefellig sein.

Zu disem schreiben sind wir von niemand von Noriberg, sonder allein durch vnser eigen mittleiden bewogen, vnnd bitten vndertheniglich E. f. G. wolle vmb gottes willen sich dises Ehrlichen Mannes annemen, wolle auch hierinn vnsere Personen bedencken, Denn wiewol wir selb teglich gefengnus vnndt mördens von denn feinden Christlicher lehr gewerttig sein, vnd mueffen vnser eigen fehrligkeit gott beuelhen, so wollten wir doch gerne, so vil möglich, mit zimlichen fridlichen Mitteln, das diser Mann erledigt wurde, Euer f. G. werden hierinn vil gelertten leuten zugefallen thun, deren ettlich doch danckbar sein werden. So erbieten wir vns allezeit zu vndertheniger danckbarkeit, vnndt bitten E. f. G. vmb eine genedige Anttwortt. Datum Wittenberg. 13. Decemb. Anno 1544.

Martinus Lutherus D.
Iohannes Bugenhagen Pomeranus D.
Caspar Cruciger.
Ioachimus Camerarius.
Philippus Melanchthon.

ANNO 1545.

275. No. 3108 b. (Vol. V. p. 567.) (ineunte anno.)

Lutherus, Bugenhagius et Melanchthon ad Senatum et Sacerdotes urbis Cibinei Transsylvaniae.

Hoc responsum Theologorum Witebergensium ad illam Matthiae Ramassy epistolam, quae in Corp. Ref. Vol. V. p. 552—554. legitur, adhuc desideratur, conf. de Wettil collectio epistolarum Lutheri a Seidemanno continuata Tom. VI. p. 368. No. 2584.

276. No. 3108 c. (Vol. V. p. 567.) (ineunte anno?)

Bugenhagius ad Lutherum et Melanchthonem.

Haec epistola a Burkhardto l. l. p. 463. memoratur quidem, sed non ipsa affertur; exhibetur autem ex autographo in hocce libro: Gelehrter Männer Briefe an die Könige in Dännemark, vom Jahr 1522 bis 1663. zum Druck befördert von Andreas Schumacher. I. Theil (Kopenhagen u. Leipzig 1758. 8a.) p. 46—53. — De iis, quae huius epistolae ansam dederunt, vide Carol. Aug. Deofid. Vogt: Johannes Bugenhagen Pomeranus. Leben und ausgewählte Schriften. (Elberfeld 1867. 8°.) p. 405—409.

An den Ehrwirdigen Herrn *Doctorem Martinum* vnd an *Magistrum Philippum*.

Pomeranus.

Ehrwirdiger vnd gunstige Herrn. Ich bitt Ihr wollet laut dieser Artikel vnserm gnedigsten Herrn dem Churfürsten zu Sachsen vnd Burggrauen zu Meidburg antworten, vnd selb dazu thun, was Ihr weitter für gut bedencken werdt besser denn ich, das ich von diesem Anhalden vnd Plagen erlediget werde.

Erstlich das man mein als eins alden vnd abgearbeitten Mans verschonen wolle. Ich kan in einem Jar, welches ich doch villeicht da nit außleben mocht, nit alles das ins Bischofs Gebieten vnd Land bey sechzehen Jarn gefallen vnd also an Regiment gelegen vnd zerrissen ist, widerumb vffrichten. Vnd villeicht möcht in einem Jar nit die Küchen vnd Haußhaltung widerumb angericht vnd die Gebewe in nottigen Gemachen widerumb gebessert werden. Ich will vhr Küchenmeister nit seyn vnd so ich solche Ding nit kont anrichten, wolten sie darnach mir vfflegen, mein Verseumnis were Ursach vieler Schaden.

Dieweil Acto. 6. geschrieben, das sich nit gebur, das wir das Predig Ampt fallen laßen vnd beladen vnß mit der andern Sorg dem Tisch zu dienen, warumb solt ich denn mich mit Sorgen einer solchen grossen Regierung einer Herrschafft beladen, die mich bald gantz vom Studio vnd Predig Amt abziben

vnd mich todten würde, wider Gottes Wort, welches spricht, die Konig in der Welt herschen, yhr aber sollt nicht herrschen. M.

Vber dises so hat es auch Mangel des Kostens halb so zur geistlichen vnd weltlichen Regierung nöttig, denn die hohesten Praelaturen, die zuvor vff yhren eigen Kosten haben mit gedienet in Gerichten, Visitation, Schikungen vnd vielen andern Sachen, die sind jetzund in solcher Personen Henden, die khein Vnkost vmb der Kirchen willen tragen wollen, vnd musst derjenig so Bischoff heißt allein alle Vnkost vnd arbeit tragen vnd bestellen ins Bischoffs Land vnd ausser demselbigen, durch so grosse Fürstenthumb beider Hertzogen zu Pomern, mit Visitation, Schickungen, Gerichten ꝛc.

Vnd dieweil das bischofflich Einkhomen seliches [selbiges?] nit ertragen khondt, so khont ich auch zu den Kirchen nit notturfftigklich zihen ꝛc.

Weitter so were mir nit möglich die weggerissene Kirchen Güter, davon man pfarren vnd Schulen bestellen vnd erhalden muß, von denen welche sie inhaben vnd nit gern widergeben wollen, wiederumb zun Kirchen zu pringen, besondern dieweil sich etlich rhümen, die Landsfürsten haben yhnen dieselbige Güter geschenckt, wie sie auch durch die Fürsten nicht gedrungen werden die Güter wieder zugeben. Diese Zerreissung der Güter würde verhindern, das ich den Kirchen vnd Schulen nicht heiffen kont, vnd würden also die fromen Pfarrer, die jetzund mein begeren vnd grosse Hoffnung haben, vergeblich gehoft haben, vnd wüst ich das Studium vnd Predigampt, welche die fürnemesten Werck einß Bischoffs sein sollen, vnd in welchen ich jetzund Gott diene, lassen anstehen, welches mir ein Hertzleid vnd Vrsach zum Todt were, warumb wolten sie mich vnschuldigen zum Tod bringen. Vnd so die Besserung in Landen nit volgen würde, wolte man mir die Schuld geben, vnd kheme entlich die Nachrede vff das Evangelium, dises were die schöne Evangelische Regirung.

Zum letzten, so will ich dieses Ergerniß auch nit vff mich laden, das die Feind des Euangelii sagen würden, wir hetten die Bischoff vom Stuel vnd vnß daruff gesetzt, vnd hetten yhre Güter vnd nit Gottes Ehre gesucht in Straffung der Bischofflichen Regirung.

Derhalben wil ich dem Euangelio zu Ehren, der Bischoff weltliche Ehren Güter vnd bracht nit haben, wie ich zuuor zweymal solche Bistumb ausgeschlagen vnd nit habe annemen wollen.

Ich dankh aber in Vnterthenigkeit den Durchleuchten hochgebornen Fürsten vnd Herren, den Hertzogen zu Pomern ꝛc. meinen gnedigen Herren, vnd dem Ernwürdigen Capitl zu Camin, das sie mir dise Ehre gethan vnd das Bistumb on mein Vorwissen oder zuthun gnediglich vnd freundtlich durch Schrift vnd stadtliche Bottschaft angetragen vnd mich dazu erwellet haben.

Es wissen aber die Gesandten, wie grosse vnd billiche Vrsach ich erzeiet, darumb ich das Bistumb nit anzunemen gedechte, vnnd sind derhalben zwischen

vnß etliche Tag Redt vnd Gegenred geschehen, biß so lang der Durchleuchtigst vnd hochgeborn Fürst vnd Herr der Churfürst zu Sachsen vnd Burggrav zu Meidburg, mein gnedigster Herr, anher khomen, vff welches Vnterhandlung, da man vff mich mit diesen Worten drang, wo ichs nit anneme, were Krieg vnd Bluttvergiessen zwischen Vettern zu besorgen, vnd würde solches mein Schuldt seyn, habe ich dieselbige Zeit das Bistumb vff ein zeitlang, doch mit einer Condition vnnd Maß anzunemen gewilliget.

Derselbigen meinen gemeßigten Bewilligung ist die Pomerische Bottschaft erfreut gewesen, vnd also widerumb heimbgezogen, Ich aber bin ernach ser betrübt vnd trawrig worden, das ich mich mit derselbigen Bewilligung in so viel Fahrlikeit vnd böse Last gestecket, dazu ich doch aus Forcht bewogen bin mit disen Wortten, das Krieg zu besorgen so ichs nit anneme, vnd hatte doch ein Maß vnd Condition daran gehenget. Ernach aber hat mir Gott die Augen vffgethan, das ich bedacht, das ich mich mit diser Forcht nit engstigen sollt, Gott wolle meine gnedige Fürsten vnd Herren, die Hertzogen zu Pomern also gnediglich regiren vnd bewaren, das sie nit In einander fallen, vnd so sich Vnruge zutrüge, das Gott verhütt, warumb solte ich dafür in Gottes Gericht antworten, denn ob ich gleich das Bistumb nit anneme, sind sie dennoch schuldig einen andern tüchtigen zu suchen, vnd haben noch viel tüchtiger Personen. Ach Gott, ich habe eine thörichte Bewilligung gethan, hilf mir auß dieser Sache vmb deines Namens willen, durch deinen Sohn vnsern Heiland Ihesum Christum, errette mich von diesem Vnfall, darein Ich doch vnwissen, vmb meiner Sünd willen gefallen, hilf mir daraus durch deine Barmhertzigkeit, wie du gesagt hast: O Israel, das Verderben khompt von dir selb, aber die Erlösung khompt von mir, wirff mich nit weg von deinem Angesicht ꝛc. Also habe ich diese Zeit fur vnd fur gebetten, als in einer hohen Anfechtung, des ist Gott mein Zeug, der nu mein Gebett erhöret hat: dem sey Lobe vnd Danckh, den ich hab vor dieser Zeit gehöret vnd nu mer klerer vernommen auß Hertzogs Philipps Schrifften an meinen gnedigsten Herrn den Churfursten ꝛc. gesandt, das die Fursten mancherley Vrsach furwenden, darumb Ihnen gemelte Condition vnd Maß von mir furgeschlagen beschwerlich vnd nit annemlich ꝛc.

Daraus volget, das ich widerumb von meiner gemeßigten Bewilligung vnd Zusag ledig vnd frey bin, das ist mir seer lieb vnd ist mein Hertz wieder zu Ruge vnd Freud khomen, dancke derwegen Gott, der mir erauß geholffen hatt, durch seinen Son Ihesum Christum vnsern Heiland Amen.

Nu wirt abermal gesucht, ob ich gleich das Bistumb nit lang behalden wolt, so sollt ichs dennoch mit andern Condition vnd Maß vff ein Zeitt annemen. Daruff antwort ich klar vnd entlich, das ich gantz bey mir beschlossen, das Bistumb zu Camin nicht anzunemen, vngeachtet aller Verheissungen, Condition, Maß oder Bedrowungen, als solte ich schuldig daran seyn, so Vn-

rug oder Krieg wurde 2c. welche Bedroungen numehr, Gott habe Lob, mein Gemut nit hoch bewegen oder erschrecken, denn solche der Hertzogen Uneinikeit, so ich nach einem Jar oder zweyen widerumb abzöge, wurde widerum new vnd zu besorgen hefftiger denn jetzund, vnd wurde alsdenn vielmehr die Schuld vf mich getrieben, wurden sagen: Zihestu weg, so gibestu Ursach zu neuer Uneinigkeitt, du wirst dafur antworten mussen fur Gott, diesen Krieg haben wir von Doctor Iohann Bugenhagen Pomeranum.

Darumb bitt ich entlich, das man mein, alß eines alten swachen abgearbeiteten Mans vnd der jetzund ein rechter Bischoff vnsers Herrn Christi ist, vnd nu Linderung seiner Arbeitt, vnd ernach ewige Ruge vnd Frewd haben soll, verschonen wolle.

Der Durchleucht hochgeborne Furst Hertzog Philipps schreibet, ich werde zum Bischofflichen Ampt erfordert. Darauf sage ich, das die Pomerischen Furstenthumb durch Gottes Gnad viel gelarter vnd gottförchtiger Menner in vielen Stedten haben, welche das Bischofflich Ampt recht furen vnd thun. So bin ich selb nu lange Zeit vnd noch in dem Bischofflichen Ampt, bin auch von den Durchleuchtigen hochgebornen Fursten vnd Herrn, den Hertzogen zu Pomern, meinen gnedigen Herren, in die Pomerische Furstenthumb vor etlichen Jarn zum waren Bischöfflichen Ampt vnd Werck, rechte Lehr vnd Kirchen Ordnung anzurichten erfordert worden, vnd hab solchs so viel mir Gott verlihen durch Christum außgericht, wiewol ich weniger darin denn an andern Orten geschaft.

Uber dises habe ich mich selb vnd williglich erboten, wenn meine gnedige Fürsten vnd Herren die Hertzogen zu Pomern, vnd das Ernwürdig Capitl einen Bischoff gewellet haben, vnd mich zu geistlichen, als zur Visitation vnd Besserung der Kirchen erfordern vnd gebrauchen wollen, das ich, vnangesehen mein Alter vnd Schwacheit, dahin reysen vnd zur Kirchen Ordnung radten vnd helffen wolle, vnd mag mir nit vffgeleget werden, das ich vnrecht thue, das ich ware Bischoffliche Arbeit nicht annemen wolle.

277. No. 3110 b. (Vol. V. p. 573.) 5. Jan.

Christianus III. Rex Daniae ad Lutherum et Melanchthonem.

Hanc epistolam Burkhardtus l. l. p. 463. memorat quidem, sed eam ipsam non exhibens lectores delegat ad hos libros: Dänische Bibliothek IX, 180. et Wagneri Samling af Kong Christian etc. 239. Nr. 18., quos libros nondum inveni.

278. No. 3112 b. (Vol. V. p. 576.) 12. Jan.

Ioachimo Vadiano.

Haec epistola, quae in Epistolis Msc. Ios. XI. p. 13. Bibl. S. Gall. Civicae asservatur, manu amanuensis Melanchthonis scripta est, cui hic ipse

subscripsit ac inscriptionem addidit. Eius apographon in Simleriana Collectione (S. Msc. 56.) invenitur, quod mihi describendum Cl. V. Voegelinus benigne curavit. — Impressa est haec epistola (teste Simlero in adnotatione adscripta) in Epist. XVIII Doctiss. Virorum apud Straubium Sangalli. N. VI. — Vide Melanchthonis epist. ad Vadianum d. 6. Julii 1544. datam in Corp. Ref. Vol. V. p. 432 sq.

Clarissimo Viro, eruditione et virtute praestanti D. Ioachimo Vadiano, Consuli oppidi Sancti Galli, amico suo carissimo.

S. D. Quale super festis in gramine, inquit ille, tam mihi Epistola tua, amanter et graviter scripta, grata est. Nam in his tantis Ecclesiae miseriis interdum mihi levationem dolorum adfert cogitatio de bonorum et doctorum Virorum voluntate et studiis quo in numero Te praecipue recenseo. Spero enim horum militiam et labores Deo curae esse, nec frangi inutili contentione hoc agmen, quod doctrinam Ecclesiae restituit. Cum igitur legens Epistolam Tuam, et de Tuis et aliorum piorum studiis multa cogitarem, magnam cepi voluptatem, Tibique gratiam habeo, quod tam amanter respondisti. Legerunt autem literas Tuas et alii. Pater Schurfius Iurisconsultus, Vir excellens, non tantum in illa forensi doctrina, sed etiam Philosophia et omnium Virtutum officiis: Et Iacobus Milichius, auditor Tuus, et Mathematicus Erasmus, qui Tuae virtutis praedicatione magnopere delectantur. Ac Schurfius pater gratias Tibi agit, non solum quod filium amanter complexus es, sed etiam quod in his Tuis literis sese honorifica oratione a Te ornatum esse iudicat. Ut autem antea misi pagellas, quae forte tunc editae erant, ita nunc mitto Elegiam, cuius lectionem spero Tibi non insuavem fore, Teque oro, ut nobiscum Deum preceris, ut Ecclesiae reliquias servet, et studio literarum defendat ac regat. Scis rursus indictam esse Synodum Tridentinam, in qua utinam instituatur verum Ecclesiae iudicium, nec quidquam malim videre, quam verae Ecclesiae Senatum. Sed quid agant potentes non obscurum est. Nos igitur Ecclesiam Deo commendemus ac interea doctrinam recte et fideliter propagemus. Quod si faciemus, Deus proteget Ecclesias nostras et hos honestarum Scholarum parietes. Bene et feliciter vale. Die Ianuarii 12. (1545.)

Philippus Melanthon.

---

279. No. 3125 b. (Vol. V. p. 664.) 21. Jan.

Io. Calvinus ad Melanchthonem.

Haec epistola invenitur inter Calvini epistolas atque responsa, quae in Tomo IX. Editionis Amstelodamens. (1667. Fol.) Operum Calvini post

Institutiones christianae religionis exhibentur, p. 31. atque in hacce Editione: Ioan. Calvini Epistolae et Responsa. Eiusdem Ioan. Calvini vita a Theod. Beza descripta. Ed. 3. (Hanoviae 1597. 8°.) p. 145—147. Epist. 60. — In linguam anglicam translata legitur in hocce libro: Letters of Iohn Calvin compiled from the original manuscripts and edited with historical notes by Dr. Iules Bonnet. Vol. 1. Translated from the original latin and french. (Philadelphia s. a. 8°.) p. 433—440.

Calvinus Melanchthoni.

Cur hic nobilis et pius adolescens profectionem hanc, meo rogatu, ad vos susceperit, paucis exponam. Libellum edideram lingua vulgari, quo eorum simulationem reprehendebam, qui quum Evangelii luce donati sint, non tamen abstinent ab ullis Papistarum sacris, quae sciunt sacrilegii et anathematis plena esse. Nolles forte me aliquid de tum praecisa severitate remittere. Verum quam iustam causam habuerim, re bene perpensa et cognita, iudicabis. Quum audirem multos de meo rigore conqueri, ac praesertim ex eorum genere, qui tanto sibi plus sapere videntur, quanto diligentius vitae suae cavent: excusationem composui, quae illis aures aliquanto durius vellicavit quam prior libellus. Multi, quibus religio pro philosophia est, secure hoc totum contemnunt. Quicunque serio Deum timent, eo saltem usque sunt promoti, ut sibi displicere incipiant. Sed quoniam perplexa illis res videtur, adhuc haerent dubii, donec tua et D. Lutheri auctoritate confirmentur. Et quidem vereor, ne ideo vos consulant, quod sperent vos sibi fore mitiores. Quocunque tamen id faciant animo, quia certo persuasus sum vos fidele ipsis pro vestra sinceritate, et pro vestra etiam singulari prudentia salutare consilium daturos, libenter me facturum recepi quod petebant, ut hominem data opera ad vos mitterem. Quoniam autem magnopere referre arbitrabar, non modo sententiam meam vobis perspectam esse, sed rationes etiam quibus adductus ita sentirem, non esse incognitas, libellos in linguam Latinam statim vertendos curavi. Tametsi autem improbe hoc facere videri possim, tamen per nostram amicitiam [1]) te rogo, ut legendi taedium subire ne recuses. Tanti iudicium tuum facio, sicuti par est, ut mihi sit molestissimum quidquam me suscipere, quod tibi minus pro-

1) per nostram amicitiam] inde ab his verbis usque ad ea, quae inferius leguntur: „concertationes nos abripiant, propemodum exanimor." afferuntur in germanicam linguam translata a Paulo Henry in libro: Das Leben Johann Calvins des großen Reformators. Bd. II. (Hamburg 1838. 8°.) p. 345. nota 1.

betur. Te quidem pro eximia tua humanitate multa aliis indulgere scio, quae tibi non permitteres. Sed videndum quid nobis liceat: ne relaxemus ubi Dominus adstringit. Neque vero ut mihi assentiaris rogo, quod nimiae impudentiae foret, vel in meam gratiam ullo modo a libera simplicique sententiae tuae expositione deflectas: sed tantum ut legendi molestiam devorare ne graveris. Equidem cupio sic penitus inter nos convenire, ut ne in verbulo quidem uno dissensionis ulla species appareat. Sed tuum est mihi potius praeire, quam spectare quid mihi placeat. Vides quam tecum agam familiariter: neque tamen vereor, ne modum excedam: scio enim quantum mihi apud te pro singulari tua in me benevolentia liceat. In D. Martino plus aliquanto difficultatis erit: quantum enim ex rumore et quorundam literis intelligere potui, vixdum bene placatus hominis animus levi de causa exulcerari posset. Proinde quas ad eum literas scripsi, nuntius tibi ostendet: ut illis inspectis, totum negotium tuo consilio regas. Ne quid ergo perperam aut inconsulte tentetur, quod infeliciter postea cedat, tuum erit providere: quod te, pro summa tua dexteritate, probe facturum scio. Caeterum quales istic contentiones vos exercuerint, et qualis fuerit exitus, nondum certo rescire potui: nisi quod atrocem libellum exiisse audio, novo incendio excitando instar facis futurum, nisi ab alia parte Dominus animos retineat, alioqui plus iusto feroces et inflatos, sicut nosti. Quid autem, ubi sic provocantur? Dum reputo quam nunc alieno tempore intestinae concertationes nos abripiant, propemodum exanimor. Quin hactenus prae se tulerunt Tigurini nonnullam erga me benevolentiam, statim re audita me interposui, ne in arenam ipsi quoque prodirent. Quid mea intercessione profecerim, nescio. Sed cum ab eo tempore nihil inde literarum acceperim, nihil mihi boni animus praesagit [1]). Nuper mihi ostendit Nurembergensis mercator, huc iter faciens, apologiam quandam Osiandri: cuius me vehementer eius nomine puduit. Quorsum enim attinebat,

1) Quin hactenus prae se tulerunt Tigurini — — animus praesagit.] huius loci in illa Epistolarum Calvini collectione, ex qua haec epistola h. l. recuditur (etiam in eius anglica versione) omissi apographum ex Simleriana Collectione (S. Msc. 56.) per Cl. V. Voegelinum accepi. Simlerus haec praenotavit: „Fragmentum Calvini ad Melanchth. XII Cal. Febr. 1545. [per amanuensem Hottingeri,] quod cum epistola in Calvini literis N. LX. p. m. 145. contuli: ubi in impresso p. 146. post verba illa: — „propemodum exanimor" haec desunt: Quin . . . ." His verbis allatis haec addit: „v. Calvini Epist. ad eundem d. XXVIII Junii. Confer Schedam Buceri ad Calvinum d. XXVI Febr. 1545."

Zuinglianos tertio quoque versu lacessere, ac Zuinglium ipsum vexare tam inhumaniter? ac ne sancto quidem servo Oecolampadio parcere? quem utinam dimidia ex parte referret. Mihi certe longe maiori esset in pretio. Neque vero postulo, ut famam suam impune traduci tacitus sinat: sed vellem ab eorum virorum contumelia abstineret, quorum memoria piis omnibus in honore esse debet. Itaque sicut mihi displicet illius petulantia, cuius elegis se infamatum fuisse queritur, ita in ipso et moderationem, et prudentiam, vel sanitatem potius desidero. Deus bone, quales et quam iucundos lusus praebemus Papistis! quasi illis locaverimus nostram operam. Sed ego importune facio, qui malis istis recensendis, quibus mederi non potes, moerorem tibi frustra augeo. Gemamus tamen, quoniam Ecclesiae incommodis affici nos decet: sed hac spe interea nos sustentemus, quod utcunque premamur ac vexemur inter magnos fluctus, non tamen opprimemur. Magna Concilii expectatione erecti sunt omnium animi in Gallia: nec dubium quin Rex ipse, saltem initio, spem aliquam et voluntatem Concilii cogendi habuerit. Nam a Caesare reversus Cardinalis Tornonius illi persuaserat, Caesarem id in animo habere. Interea consulebat Caesaris nomine, ut duos aut tres ex vobis Rex ad se accerseret: idque seorsum: quo a singulis aliquid per blanditias eliceret, vel quovis modo extorqueret, quod ab omnibus non posset simul impetrari. Pollicebatur Caesar idem se facturum. Hic porro finis erat, ut illis quasi praeiudiciis obstricti, eo minus possetis, quum ad seriam disceptationem ventum esset. Nam quia frangi nos in recta et simplici causae actione desperant, nullum vident melius compendium, quam si Principes habeant obnoxios, et quasi vinctam ac alligatam teneant eorum libertatem. Hoc consilium quum Regi placeret, negavit Castellanus, committendos vobis ad disputationem Gallos Theologos, nisi bene ante instructi essent ac comparati. Vos homines esse in hoc pugnae genere exercitatos: nec tam facile posse labefactari. Cavendum esse, ne Rex prodita suorum inscitia, totum regnum magno ludibrio exponeret. Ambitio Regis fecit ut praevaleret haec sententia. Duodecim sunt delecti, qui Meloduni de capitibus controversis disputent: et tandem ad Regem referant quid censuerint. Silentium iureiurando promiserunt. Sed illis tacentibus certo scio, nihil de opprimenda veritate acturos, se qualemcunque reformationem quaerere utcunque simulent: certo certius est hoc unum agitare, qualiter sepulta sanae doctrinae luce suam tyrannidem stabiliant. Ego Cardinalis Turnonii consilium a Deo

fuisse discussum interpretor: ne quem ex nostris incautum et nihil tale suspicantem irretirent. Meministi iisdem artibus se tentatum fuisse a Langeo. Verum si in Dominum respexerimus, frustra nos adorientur omnibus machinis. Vale, clarissime vir et amice mihi semper observande. Dominus tibi semper adsit, diuque Ecclesiae suae incolumem te servet. 12. Calendas Februarii. M. D. XLV.

Ioannes Calvinus tuus.

---

* 280. No. 3165 b. (Vol. V. p. 717.) 29. Mart.

Senatui Brunsvicensi.

Autographon huius epistolae, cuius apographon Nobil. Viro *G. a Berlepsch* debeo, in Tabulario Senatus Brunsvic. asservatur.

DEn Erbarn weisen vnd fürnemen Herrn Bürgermeister vnd Radt der loblichen Stadt Brunswig meinen günstigen herrn.

Gottes Gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vnsern helland zuuor, Erbare Weise fürneme günstige herrn, Ewre Weißheit wissen, das vnser heiland Christus alß heut vff den Palmtag nach seinem herrlichen Triumph, gesprochen, auß dem mund der Kinder vnd seuglinge wirstu dein lob aussprechen, damit Christus vermanet, die Jugent zu gottes erkentnus vff zuzihen, darumb thunn E. W. loblich vnd christlich, das sie vleis haben der Jugent Schul recht zu bestellen, damit rechte Erkentnus vnd anruffung gottes erhalden werde, welches one dise Schularbeit vnd Studien nicht geschehen khann, Nu hatt E. W. one Zweifel der wolgelart Magister Franciscus Sylulus mein guter Freund vor dher Zeit bericht, das ehr einem ehrlichen geübten Magistro Johanne Bezolt von Sueltnitz geredt, das ehr E. W. in der Jugent Schul dienen wolt, derhalben gedachter Magister Johannes ietzund sich zu E. W. verfüget E. W. gemüt zu vernemen, vnd also vff E. W. beschluß vnd verordnung den Dienst anzunemen, damit aber E. W. sein gelegenheit des besser wissen, hab ich ihm dise schrifft mit geben, vnd bericht mit warheit, das diser Magister Johannes Petzolt sich ehrlich gehalden, vnd alle tugent erzeigt In diser vnser Vniversitet, vnd In Torge, da ehr trewlich vnd nützlich gedient hatt, So ist ehr im Latin vnd Grekischer sprach also gevbet, das ehr die Jugent recht vnd loblich vnterweisen khann, vnd ist In christlicher lehr verstendig vnd gottforchtig, darumb bitt ich E. W. alß löbliche regenten, E. W. wolle Jhn disen Magistrum Johannem sampt der gantzen Schul günstiglich lassen beuohlen sein, vnd nicht zweifeln, gott wirt dise Regiment land vnd Stadt schützen vnd gutes erzeigen, welche christliche lehr trewlich pflantzen vnd erhalden, Wie ehr gesprochen hatt, wer mich ehret, dem will ich auch Ehre geben, ꝛc. derselbig guetige gott wolle Ewr Stadt

vnd Kirchen gnediglich alle zeit regiren vnd bewaren, Datum Wittenberg am Palmtag 1545

E. W.

williger

Diener

philippus Melanthon.

---

281. No. 3176 b. (Vol. V. p. 734.) 17. April.

Ioanni Calvino.

Hanc epistolam Melanchthonis ex Simleriana Collectione (S. Msc. 56.) mihi describendam Cl. V. *Voegelinus* benigne curavit. — De die, quo haec epistola scripta est, Simlerus haecce adnotavit: „Diem, quo Noah Arcam est ingressus quidam d. XVII Octobris esse volunt, Ambrosius vero d. XVII. Aprilis intelligit, cuius sententiae Melanthon quoque accedere hic videtur." Hoc Simleri iudicium confirmatur extrema parte „iudicii" Melanchthonis eodem die scripti, quod in Corp. Ref. Vol. V. p. 734—739. exhibetur, ubi p. 739. haec leguntur: „Die 17. Aprilis, quo Noha ante annos 3846 arcam ingressus est." — Haec epistola primum edita est a Paulo Henry in libro: Das Leben Johann Calvins des großen Reformators. Bd. II. (Hamburg 1838. 8°.) Beilagen p. 107 sq. Conf. in eodem Tomo p. 346 sq., ubi Henry hanc epistolam in linguam vernaculam transtulit.

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti D. Ioanni Calvino, Pastori Ecclesiae Genevensis pio et fid. amico suo carissimo P. Melanch. S.

Imo vero Calvine Cl. mihi consilium de me ipso ostendas. Crescit enim hic certamen, quod antea defugi. Cumque hactenus parcendum tranquillitati Ecclesiarum in his regionibus feris et horridis senserim, moderatissimeque locutus sim, nunc duriora a me postulantur. Oro autem te ut me Deo piis votis commendes. D. Martino non exhibui tuam epistolam [1]); multa enim suspiciose accipit, et non vult circumferri suas responsiones de talibus quaestionibus, quas proposuisti. Ego utcunque respondi, nec meum iudicium antefero tuae et aliorum doctorum et [2]) piorum virorum sententiae. Scio me ἄνευ φιλονεικίας versatum esse in negotiis Ecclesiasticis, et mediocriter dedisse operam, ut multas res involutas evolverem et explicarem. Nunc exilia et alias

---

1) Hanc Calvini ad Lutherum epistolam vide apud Henry l. l. T. II. Beilagen. p. 106 sq. nr. 12.

2) doctorum et] haec, quae in apographo Tigurino leguntur, apud Henry l. l. desunt.

aerumnas expecto [1]). Bene vale. Die, quo ante annos 3846 Noa arcam ingressus est, quo exemplo Deus testatus est, se Ecclesiam suam, etiam cum ingentibus fluctibus ac procellis [2]) quassatur, non deserere.

---

282. No. 3194 b. (Vol. V. p. 760.) (m. Junio.)

Mart. Frechtus ad Ioach. Vadianum.

Hoc fragmentum epistolae a Frechto ad Vadianum mense Iunio 1545. scriptae continet locum epistolae a Melanchthone ad amicum quendam (Bucerum) d. 17. Aprilis datae. Simlerus hoc descripsit, cuius apographon (S. Msc. 57.) mihi denuo describendum Cl. V. *Voegelinus* benigne curavit.

(*Fragmentum.*)

Arbitror autem, T. Cl. non latere quid opt. doctiss. pacisque studiosissimus D. Melanthon nunc nuper ea de re ad nostrum Bucerum scripserit, quod hisce diebus huc transiens Paulus Fagius in meum sinum reposuit, et heri Gervasius Scholasticus, Memmingensis Ecclesiae antistes, in haec verba ad me perscripsit: „D. Ambrosius Blaurerus hisce diebus ad me scripsit in „haec verba: Philippus non diu est, quod amico cuidam XVII „Aprilis significavit, Tigurinos nec prudenter instituisse Responsionem suam, nec scripsisse moderate. Ardet autem hic noster, „*καὶ ἀκούω ὅτι προβούλευμα* [3]) *γράψῃ, ἐν ᾧ ἀποφανεῖ ὅτι διαβόλου* „*σύρμα* [4]) *ἐστὶν ἡ τῶν ἀντιδίκων γνώμη* [5]), *καὶ κελεύσῃ ὑμᾶς ὑπο*„*γράφειν καὶ συνεπιψηφίζειν.* Etsi semper moderate locutus sum, „nec turbare hanc regionem Ecclesiae volui, tamen si illa dura „sententia proponetur, deliberandum mihi erit, quid faciam. Et „mox: opto ut labores mei prosint Ecclesiae Dei, et exilium „expecto, feramque moderate“ etc. Haec Philippus amico cuidam, quem ex Fagii indicatione coniecto Bucerum esse.

---

283. No. 3194 c. (Vol. V. p. 760.) (eod. temp.)

Idem ad eundem.

Hoc quoque epistolae a Frechto ad Vadianum m. Iunio 1545. datae fragmentum, Melanchthonis verba ex eius epistola ad Frechtum exhibens,

---

1) expecto.] Henry typ. errore: excepto.
2) ac procellis] apud Henry l. l. desunt.
3) *προβούλευμα*] in Simleri apographo legitur: *προσβούλευμα*
4) *σύρμα*] Siml.: *συρημά*
5) *γνώμη*] Siml.: *γνώμα*

io Simleri Collectione (S. Msc. 57.) asservatur, cuius apographon *Voegelino* debeo.

(*Fragmentum.*)

Ita autem Philippus ad me: „Tigurini nec prudenter instituerunt scriptum, nec moderate responderunt, et infarciunt locum absurdum, a quo omnium prorsus mentes abhorrent. Qui „Ecclesiam Dei extruunt in eo coetu, qui nullum habuit ministerium Evangelii, nullam notitiam promissionis divinae, Numam, „Aristidem et similes volunt esse membra Ecclesiae Dei. Hanc „confusionem prorsus improbo, et improbari a Te et aliis piis „omnibus existimo, Vellem eos haec parerga omisisse, immo „optarim eos prorsus non respondisse." (Haec Philippus ad me etc.)

---

284. No. 3206b. (Vol. V. p. 778.) 28. Jun.

Io. Calvinus ad Melanchthonem.

Haec epistola legitur in Operum Calvini Ed. Amstelodam. Tomo IX. supra ad no. 277. recensito p. 33., ex quo h. l. recuditur emendatis autem emendandis. Exstat enim MS. per amanuensem J. H. Hottingeri in Ep. T. XI. in Bibl. Carol. p. 629. Hanc epistolam MS. Simlerus cum impressa „in Calvini epistolis" (Hanoviae 1597. 8°. conf. supra p. 215. no. 277.) p. 152 sq. Epist. 63. contulit, et varietates utriusque in sua collectione (S. Msc. 57.) asservavit, quarum apographon Cl. V. *Voegelinus* benigne ad me misit. — In linguam anglicam translata haec epistola legitur in Letters of Iohn Calvin compiled — by Dr. Iules Bonnet. Vol. I. p. 466—468. In linguam vernaculam versa affertur a Paulo Henry in libro supra p. 215. nota. 1. recensito T. II. p. 353 sq. nota 1. — Conf. Calvini ad Melanchthonem epistolam 21. ianuarii 1545. (supra p. 214 sqq. no. 279.).

Calvinus Melanchthoni.

Utinam ut me angit, adeoque excruciat moeroris tui συμπάθεια, sic aliqua eius parte sublevare te possem. Si ita est ut dicunt Tigurini, habuerunt iustam scribendi causam. Verum aut aliter scribere oportuit, aut penitus tacere. Praeterquam enim quod totus libellus ieiunus est et puerilis cum in multis pertinaciter magis, quam erudite, et interea parum verecunde Zwinglium suum excusant ac tuentur nonnullaque in Luthero immerito exagitant, tum vero in praecipui capitis tractatione, i. e. in ipso causae statu, infeliciter, meo iudicio se gerunt. Et tamen non credis, quam sibi in sinu placeant, perinde de suis partibus optime defuncti. Atque his quidem initiis Tigurum laborat[1]). Vester

---

1) Verum aut aliter scribere — — Tigurum laborat.] haec, quae in epistola MS. leguntur, in impressa desunt.

autem Pericles quanta intemperie ad fulminandum rapitur? praesertim quum eius causa nihilo sit melior. Et quid in hunc modum tumultuando proficit, nisi ut totus mundus eum furere iudicet? Me certe, qui eum ex animo veneror, vehementer ipsius pudet. Sed hoc pessimum, quod nemo ad reprimendam talem insolentiam non modo se opponere, sed ne mussitare quidem audet?[1]) Multum illi debemus omnes, fateor. Nec ego invitus patiar, ut summa auctoritate polleat, modo sibi ipsi moderari sciat. Quanquam in Ecclesia semper videndum est, quousque hominibus deferamus. Actum enim est, ubi unus quispiam plus potest reliquis omnibus: praesertim ubi hoc ipsum non dubitat experiri, quantum possit. In tanta quidem dissipatione, quantam nunc cernimus, difficile est res turbatas componere. Verum si in nobis omnibus esset is animus qui esse debet, aliquod forsan remedium posset inveniri. Et certe foedum exemplum transmittimus ad posteros, dum omnem libertatem sponte malumus proiicere, quam ut hominis unius animum offensiuncula aliqua pungamus. At est vehemens ingenium, et impetus habet violentos. Quasi vero haec vehementia non magis exultet, dum omnes illi indulgent, atque omnia permittunt. Si inter prima renascentis Ecclesiae initia iam emergit hoc tyrannidis exemplum: quid brevi, rebus in deterius collapsis, fiet? Defleamus ergo Ecclesiae calamitatem, neque modo taciti apud nos hunc moerorem devoremus: sed audeamus aliquando liberum gemitum edere. Quid si etiam Domini permissu in has angustias sis redactus, ut[2]) plenior tandem de hac re confessio extorqueatur? Verissimum equidem fateor esse quod doces: et quod placido genere docendi hactenus studuisti animos a contentione revocare, prudentiam moderationemque tuam laudo. Sed dum locum hunc tanquam scopulum aliquem refugis, ne in quorundam offensionem incurras, plurimos, qui aliquid certius in quo acquiescant, abs te requirunt, suspensos perplexosque relinquis. Est autem, ut me aliquando tibi dicere memini, non satis nobis honestum, eam doctrinam, quam plerique sancti proprio sanguine testatam relinquere non dubitant, ne atramento quidem consignare. Ad hanc ergo plenam et solidam mentis tuae explicationem forte viam tibi patefacere nunc vult Deus, ne perpetuo haereant dubii, qui ab auctoritate tua pendent, quos scis esse quam plurimos. Neque hoc tam incitandi

1) Et quid in hunc modum — — quidem audet?] sic epist. MS.; ab impressa absunt.

2) ut] sic epist. MS.; impressa habet: ne

quam consolandi tui causa dico. Nisi enim ex hac turbulenta concussione aliquid huius[1]) exoriturum sperarem, multo acerbiore luctu conficerer. Quanquam exitum quieti expectemus qualem dare Dominus volet: interea cursum nostrum infractis animis persequamur. De responso tuo magnam tibi habeo gratiam, simul etiam de humanitate non vulgari, quam sibi abs te exhibitam fuisse Claudius mihi testatur. Qualis erga me futurus esses inde coniecturam facio quod meos tam benigne comiterque accipias. Deo autem maximas gratias agere non desino, qui dedit, ut in eius quaestionis summa, de quo rogati eramus sententiae nostrae congruerent. Tametsi enim paululum est discriminis in particulis quibusdam, de re tamen ipsa optime inter nos convenit. 28 Iunii M. D. XLV.

---

285. No. 3209[b]. (Vol. V. p. 780.) 30. Jun.

Albertus Dux Prussiae ad Melanchthonem et Camerarium.

Hanc epistolam, quam nondum vidi, memorat Max. Toeppen in libro suo: *Die Gründung der Universität zu Königsberg und das Leben ihres ersten Rectors Georg Sabinus.* (*Königsb.* 1844. 8°.) p. 114. et 115. nota 1.

---

286. No. 3209[c]. (Vol. V. p. 780.) 30. Jun.

Georg Sabinus ad Melanchthonem.

Haec epistola legitur in hocce libro: Poëmata Georgii Sabini Brandeburgensis V. Cl. et numero librorum et aliis additis aucta, et emendatius denuo edita. Lipsiae (1563.) 8°. p. 522—524

Clarissimo Viro Domino Philippo Melanchthoni socero ac Praeceptori suo colendo.

S. D.

Magnum atque incredibilem dolorem accepi ex obitu D.r Stanislai Repagelani, quem Deus optimus maximus nuper rebus humanis exemit. Amisi enim praecipuum in Academia consiliorum meorum adiutorem, ac dignitatis fautorem. Extinctus est autem ad III. Id. Maii, cum quidem paucos dies aegrotasset: nec solum mihi, sed etiam Illustriss. Principi magnum sui desiderium reliquit. Nam et prae ceteris lectoribus eum diligebat Princeps, et audito eius interitu, quanquam erat extra urbem, tamen pro ea, qua excellit humanitate, venit ad cohonestandum funus, locumque

---

1) huius] sic epist. MS.; impressa exhibet: hinc

sepulturae dedit iuxta suum monimentum: imitatus exemplum Scipionis Africani, qui Ennium simili honore affecit. Porro, omnes magnopere solliciti sumus, de idoneo Theologo in locum defuncti surrogando. Itaque Illustriss. Princeps iussit me scribere ad te diligenter, teque rogare, ut primo quoque tempore hominem idoneum nobis mittas, re cum Ioachimo Camerario deliberata. Nam Theologica lectio, quae in scholis praecipua et maxime necessaria est, non potest diu vacare. Cupit autem Princeps talem habere, primum, qui sit ingenio placido, non moroso. Nam a morosis et contentiosis ingeniis ipse abhorret ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν. Deinde qui et doctrina et facultate dicendi eam tueri autoritatem queat, quam Stanislaus habuit. Is enim erat adeo promtus et exercitatus in dicendo, ut quando praelegebat continua oratione quasi declamaret: magnusque civium concursus fieret ad eum audiendum. Postremo, qui et linguae Polonicae (si forte talis inveniri queat) non sit ignarus. Nam Princeps est curaturus biblia in linguam Polonicam transferenda. Cogitavi equidem de Staphylo, cuius eruditionem ac mores saepe commendari a Stanislao audivi: sed nescio quae facultas illius sit in dicendo: quia mihi non est bene notus. Tuo igitur iudicio rem committo: tantum admoneo, ne quem huc mittas indisertum et morosum. Stipendium (si est doctus) habebit satis amplum, nempe CC aureorum Prutenicorum, quae quidem pecunia conficit aureos Marchiticos circiter CCL. Praeter haec, Illustrissimus Princeps a te consilium petit in re sane difficili, quae nobis omnibus magnas et curas et molestias affert. Hanc ex meis alteris litteris, quas iussu Principis scripsi, cognosces. Quare et optimum Principem consilio iuves, et nos molestia leves, oro. Nulla te in re existimes aeque gratum Principi facere posse, quam si quod[1]) meis abs te verbis petit, explices: id quod te facturum non diffido. Vale, et filiam meam ama. Datae Prid. Calend. Iulii, Anno M. D. XLV. ex Regiomonte.

Inter studiosos, quos Dux Prussiae Vuiteberga nunc revocat, est quidam ex oppido (ni fallor) Elbingensi Mathematicus, huic Princeps permittit, ut diutius illic maneat, donec nostrae Academiae usui esse possit. Hoc ei indicabis. Iterum vale.

M. Marcellum et Laurentium Croconem eius discipulum, item Paulum Eberum, meis verbis amanter saluta.

Tuus G. Sabinus.

---

1) quod] sic putat Keimius l. l. p. 115. nota 2. hic legendum esse pro: *non*, quod epistola impressa exhibet.

287. No. 3214 b. (Vol. V. p. 785.) 2. Jul.

Lutherus, Bugenhagius, Crucigerus, Maior et Melanchthon ad Philippum Ducem Pomeraniae.

Haec epistola legatur apud Burkhardtum l. l. p. 472 sq.

---

288. No. 3222 b. (Vol. V. p. 793.) (med. Julio?)

Barnimus, Dux Pomeraniae, ad Lutherum, Bugenhagium, Crucigerum, Maiorem et Melanchthonem.

Vide Burkhardtum l. l. p. 473—475.

---

289. No. 3238 b. (Vol. V. p. 812.) 1. Aug.

Iudicium.

Hoc iudicium, cum illa epistola, quae in Corp. Ref. Vol. V. p. 812 sq. No. 3238. legitur, a Melanchthone et Camerario ad Albertum Ducem Prussiae missum, Toeppen l. l. p. 307—309. No. 3. primum edidit.

Philippi Melanchthonis et Ioachimi Camerarii iudicium de promotionibus in schola Regiomontana 1545.

Non dubium est ecclesiam dei habentem scholas et auditoria seu collegia docentium et discentium, posse et debere testimonia dare auditoribus, sicut consuetudo testatur, de literis quae vocantur formatae, et aliquae synodi decreverunt, ne sine formatis reciperentur ulli sacerdotes. Et deus vult frequentioribus ecclesiis adiunctas esse scholas literarum et doctrinae, quae ecclesiae necessaria est, ut olim scholae fuerunt Alexandriae, Antiochiae, Caesareae etc. et ex his mittebantur doctores in omnes provincias cum testimoniis.

Quare nunc quoque potest ecclesia habens adiunctam piam scholam dare testimonia, hoc est, renuntiare Doctores theologiae.

Haec sententia de theologis non dubia est. Neque hic disputandum est de privilegiis aut iure aureorum annulorum. Nam hi quum mittantur ad Evangelium docendum, sciant se aerumnas et crucem adire, non opes et voluptates querere debere. Et promotiones tales theologicae fuerunt patrum, prophetarum, et apostolorum temporibus. Et postea florentibus Ecclesiis Alexandrina, Caesariensi et longe ante quam aut imperatores aut Romani pontifices aliquid sanxerunt de Academiis.

De reliquis tribus facultatibus ita respondeo. Scio quae nunc sint usitatae opiniones, nec cupio mutare praesentem politiam,

nec volo rixari cum iis, qui hanc formam politiae defendunt. Usitatum est iam annis fortassis trecentis confirmari scholas auctoritate Pontificia et Imperator[ia] et dari privilegia. Et faveo moribus praesentibus honestis. Sed ne Parisiensem quidem Academiam arbitror confirmata[m] esse initio aut Romanorum pontificum aut Imperatorum decretis.

Sentio autem unamquanque honestam rempub. et principem posse constituere collegium docentium et disce[ntium], imo debere constituere eos, quorum facultates magnae sunt iudico, et hoc collegium de iure potest dare testimonium auditoribus. Gradus autem nihil aliud sunt, nisi haec testimonia. et quod disputatur de lege generali, haec iam lata est, ut adprobati a suis collegiis, exerceant artes, ut lex in codice testatur de professoribus etc.

Sed si Iurisconsulti et Medici nollent contenti esse hac auctoritate communi collegii, nollem cum eis rixari.

In Philosophia tamen discerni gradus possent; si tamen prius essent ibi omnium artium professores, quia ridiculum esset, creare magistros artium liberalium ubi nec quidem praecipuae artes traderentur. Certe schola Attica dedit testimonia etiam multo ante quam ab Imperatoribus confirmata fuit.

Et iam caussa consideretur cur confirmatio Pontificia aut Imperatoria denegetur. Nolunt Pontifex et Imperator propagari veram et puram Evangelii doctrinam ac necessariam Ecclesiae. Ideo his principibus et scholis sunt inimici.

Et contra tamen hi principes, vere invocantes Deum, debent facere officium suum, et constituere honesta Collegia docentium et discentium literas. Id praecipit Deus. Possunt autem collegia dare testimonia.

Cum Iulianus edicto prohiberet admitti Chri[sti]anorum liberos in scholas publicas, Christiani proprias scholas et proprios coetus discentium instituerunt. Nec est dicendum non licuisse tunc Christianis dare testimonia auditoribus. Imo crescentibus tunc scholis et studiis Christianorum, plures homines amplexi sunt Evangelium invitati honestis studiis et disciplina Christianorum. Libentius enim mittebant honesti liberos ad scholas Chri[sti]a[norum] ubi mores erant honestiores.

Philippus Melanthon.
Ioachim. Camerarius Pab.

290. No. 3251[b]. 17. Aug.

Iacobo Crellio.

Hanc quoque epistolam Toeppen l. l. p. 309. No. 4. primum edidit addita hacce de Crellio annotatione: Iacobus Crellius Misnensis *ist auf der Königsberger Universität als der letzte in dem Amtsjahre* 1546—1547 *immatriculirt.* Album civ. acad. Regiom. p. 184. *Zwei Briefe von ihm lesen wir bei* Hummel Epist. semicentur. II, p. 43.

Philippus Melanchthon Egregia eruditione et virtute ornato D. Iacobo Crellio, amico suo.

S. D. Ex dulcissimis versiculis tuis intellexi te in Italiam profecturum esse, quod iter ut sit faustum et foelix ex animo opto. Tibi etiam hunc animum gratulor, quod ad illam literarum doctrinae et humanitatis arcem proficisci decrevisti, ut fontes eruditionis, qui profecto sunt in Italia, cognoscas. Sicut olim summis ingeniis praediti Eudoxius, Plato, Euripides in Aegyptum profecti sunt, ut sapientiam Aegypticam cognoscerent. Deum oro ut te nobis incolumem restituat. Amari enim te a multis bonis viris intelligo, quia cum eruditione eximia singularem morum moderationem, in te coniunctam esse animadvertimus. Bene vale 15 Cal. Septemb. 1545.

---

291. No. 3260[b]. (Vol. V. p. 843.) 6. Sept.

Lutherus, Bugenhagius, Maior et Melanchthon ad Concionatorem et Senatum Zwickaviae.

Hanc epistolam vide apud Burkhardtum l. l. p. 477 sq.

---

292. No. 3278[b]. (Vol. V. p. 857.) 25. Sept.

Lutherus, Bugenhagius et Melanchthon ad Senatum Brunsvicensem.

Haec epistola, quae in Tabulario Senatus Brunsvic. asservatur, non ab uno trium illorum, sed alio scripta est, cui quisque eorum manu propria subscripsit. Bugenhagius sigillum suum ei impressit. Apographon huius epistolae ineditae Nobil. Vir *G. a Berlepsch* benigne mihi curavit.

Den Erbarn, weisen vnd fornemen Herrn Bürgermeistern vnd Radt der loblichen Stadt Brunswig vnsern günstigen herrn.

Gottes gnadt durch seinen eingebornen Sohne Ihesum Christum vnnsern Heiland zuuor, Erbare, Weyse fürneme, gonstige Herren, Vns hatt der Ehrwürdig Herr Doctor Nicolaus Medler vor etlichen tagen zugeschriben, das Er

von der Durchleuchtigsten Hochgebornen Churfürstin zu Brandenburg rc. vnnsre gnedigsten Fürstin, genedige erlaubnis erlanget, Vnnd wiewoi Er angelanget das Er zu Frankfort In der Uniuersitet ein Legennt werden sollt, So were Er doch mer geneigt Eur Kirchen zudienen, Derhalben bedecht Er allhie zu Wittenberg zuharren vnnd sein gemüt, abermals E. W. zuzuschreiben, Daruff Wir Jhm geantwortet, das Wir von eins Erbarn Radts gesandten vernomen hetten Ein Erbar Rath wolte noch ettlich zeith warten, ob es Gott also schicken wolte, das Er gen Brunschwick ziehen wollte, Vnnd so sich solchs also zutruge, wolten E. W. Jhnen gern annemen. Darumb achten wir, das der Verzug nicht nottig were, Sondern es würde einem Erbarn Rath gefällig ein, so Er selbs alsbalde ankeme. Vff dises vnser Bedenken, das wir Jhme von eins Erbarn Raths gesandten reden angezeigt, hat gedachter Doctor Medler beschlossen, fürderlich zu E. W. zu ziehen, vnd ist willig Eure Kirchen durch Gottes gnad zu dienen, Dise vnnsere anzeig wollen E. W. von vnns nit anders verstehen, denn das Sie gutter meinung vnnd aus guter Zuuersicht zu E. W. geschihet, denn dieweil vnus gedachter Doctor Medler wol bekant ist, vnnd wir wissen, das sein Lehr vnd leben vnstreflich ist, vnnd das Er nuhn so lang Christlich, vnd ohne Ergernus die Kirchen zur Nawmburg regirt hatt, wissen auch das E. W. vmb Jhn so offt angesucht, haben Wir, wie gemelt ist, Jhme geradten, Vnnd hoffen Ehr werde durch Gottes genad, zu Gottes lob vnnd zu voller seligkeit, vnnd zu einigkeit der Lehr vnnd friden In eure Kirchen, seligkeit dienen, Welichs wir auch von Gott mit herzlichen Begirde bithen, Wollen also gemelten Herrn Doctor als einen gelerten Christlichen, treuen Diener des heilligen Euangelii E. W. freuntlich beuolhen haben, Vnnd wiewol itzund allerley Vnrug vnnd fahrligkeit vor augen, So wissen sich doch E. W. vnnd Eure Christliche Mitbürger selb mit Gottes wort zu trösten vnnd zu stercken, Nemlich wie vnnser heiland Christus spricht, die Porten der hellen sollen seine Kirche nit vberweldigen, So wollen wir auch mit Ernst Gott anruffen das Ehr vmb seines Sohns Jhesu Christi willen, vnnd seinem Namen zu lob, Eure Kirchen, vnnd Eur Statt Fride vnnd gutte Regirung allzeit gnedigklich geben wolle, Vnnd wölle den Feinden des heilligen Euangelii dise Lesterung nicht gestatten, das Sie triumphiren vnnd rhümen wolten, wider vnnsern heiland den Sohn Gottes, Vnnd wohr wir Eurn Kirchen vnnd Eur Statt dienen können, sind wir dazu willig, Datum am xxv Tage Septembris, Anno Domini

Im xxxxv.

E. W.

Willige
Martinus Luther D.
Johannes Bugenhagen
Pomer D.
Philippus Melanthon.

293. No. 3314 b. (Vol. V. p. 889.) 21. Nov.

Philippus Landgravius Hassiae ad Lutherum, Bugenhagium et Melanchthonem.

Vide apud Burkhardtum l. l. p. 481 sq.

---

294. No. 3330 b. (Vol. V. p. 903.) 12. Dec.

Lutherus, Bugenhagius et Melanchthon ad Ioannem Fridericum Principem Electorem.

Vide ibidem p. 483 sq.

---

295. No. 3335 b. (Vol. V. p. 908.) 14. Dec.

Ioannes Fridericus Princeps Elector ad Lutherum et Melanchthonem.

Vide ibidem p. 485.

---

296. No. 3335 c. (Vol. V. p. 908.) 16. Dec.

Iudicium

Lutheri, Bugenhagii, Crucigeri, Maioris et Melanchthonis de Matthaeo Weissmanno Zwickaviensi.

Vide ibidem p. 485—487.

[Ne quis suspicetur, epistolam a Melanchthone ad Leonhardum Fuchsium d. 25. Dec. datam h. l. esse omissam, quippe quod a Io. Georg. Schelhornio in Amoenitatum literariarum Tomo XII. (Francof. et Lips. 1730. 8°.) p. 636—639. anno 1545. adscripta est, lectorem admoneo, ut eam in Corp. Ref. V. p. 555 sq. quaerat inter epistolas anni 1544., ubi a Bretschneidero affertur, conf. ibid. p. 556. not. *).]

ANNO 1546.

297. No. 3356 b. (Vol. VI. p. 15.) (post med. Jan.)

Iudicium

Lutheri, Bugenhagii, Crucigeri, Maioris et Melanchthonis ad Argentoratensium iudicium de Colloquio Ratisbonensi spectans.

Vide apud Burkhardtum l. l. p. 487—489.

298. No. 3366 b. (Vol. VI. p. 23.) 1. Febr.

Lutherus ad Melanchthonem.

Haec epistola legatur in de Wettii collectione Tom. V. p. 782 sq.

---

299. No. 3372 b. (Vol. VI. p. 31.) 6. Febr.

Idem ad eundem.

Vide ibidem Tom. V. p. 784 sq.

---

300. No. 3383 b. (Vol. VI. p. 47.) 14. Febr.

Idem ad eundem.

Vide ibidem Tom. V. p. 790 sq.

---

301. No. 3399 b. (Vol. VI. p. 66.) (m. Febr. vel Mart.)

Mart. Frechtio.

Melanchthonem mense Febr. vel Mart. ad Frechtium scripsisse ex eo intelligitur, quod Frechtius in epistola ad Vadianum Dominica Oculi i. e. 28. Mart. 1546. data locum epistolae a Melanchthone acceptae affert. Huius fragmenti, quod in Simleriana collectione (S. Mscr. 59.) invenitur, apographon Viro Clar. Voegelino debeo. Simlerus hunc locum ex Frechtii epistola, quae S. Galli asservatur, exscripsit.

(*Fragmentum.*)

Oro, ut Tigurinis meam adscribas salutem, et in Domino obsequium, modo in negotio Eucharistiae se praebeant tales, quales Bernenses et Basilienses.

---

302. No. 3431 b. (Vol. VI. p. 97.) 1. April.

Henr. Bullingerus ad Melanchthonem.

Haec epistola ex autographo edita est in hocce libro: Museum Helveticum Ad iuvandas Literas in publicos Usus apertum. Particula III. (Tiguri 1746. 8°.) p. 494—498. Exhibetur etiam in Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica. Classis II. Fasc. II. (Bremae 1718. 8°.) p. 341—346. et in Fuessli Epist. ab Eccl. Helvet. Reformatt. vel ad eos script. Centuria I. (Tiguri 1742. 8°.).

Philippo Melanchtoni suo Bullingerus.

Gratiam et vitae innocentiam a Domino. Abstinui sesquianno iam a salutandi scribendique officio, Philippe doctissime, idemque colendissime Domine, et Frater charissime, non quod Te

amare desierim, aut odisse coeperim: Sed quod infelix illa contentio inter D. *Lutherum* b. m. et nos intercesserit, timui valde, ne si pergerem, uti coeperam, familiarius te salutare et Epistolas ac Libros mittere, D. Lutherum in te concitarem, magnamque tibi apud multos morosiores suspicionem excitarem, quasi nobiscum colluderes: Neque enim ignorabam, vel ex ultimis illis ad me tuis edoctus, quae passus fueras, non ita pridem a Fratribus quibusdam inquietioribus. Iam vero quum D. Lutherus migraverit ad Dominum, nec sit ullum periculum amplius exacerbationis inter te et illum, quod suggestionibus provocent, quibus Concordia inter Fratres tanti non fit, quanti merito fieri deberet, repeto scribendi officium, ac pergam in eo diligenter, nisi tu nobis significes, quod tibi[1]) ne nunc quidem integra et grata sit mea familiaritas. Nolo tibi, colendissime mi Philippe, oneri esse, nolo tibi incommodare: Si non bona cum gratia tua scribere licet, age tacebo libens; interim vero nihil minus te colam[2]) et amabo. D. Lutherum Virum doctum, et de Ecclesia optime meritum, gaudeo migrasse ad Dominum, non propter caussam, quam cum illo habuimus litigandam: Dominus novit; Sed quod malis liberatus maximis, futurisque ereptus calamitatibus, cursum suum feliciter absolvit, et nunc cum Domino nostro, cui servivit, laetatur in gloria: Interim non mediocriter doleo, illo nos Viro destitutos, cuius ope et consilio in communi Religionis caussa poteramus iuvari:[3]) Tametsi enim pro carnis humanae ingenio sua habuerit vitia, insigne tamen Constantiae documentum[4]) consecutus fortis et tenax fuit in retinenda Synceritate doctrinae contra Papistas, quibus nihil concedi voluit per compositiones et colloquia. Vidit haud dubie, pro singulari sua prudentia, homines istos artibus et insyncere, immo maligne, omnia agere. Vidit parum aut nihil iis reliquum esse spei: Dicit enim Salvator noster in Evangelio: ***Quomodo potestis vos credere, qui gloriam a vobis invicem accipitis, et gloriam, quae a solo Deo proficiscitur, non quaeritis?*** Expendit ille quod Paulus electionis vas de istis loquens hominibus dixit: ***Hi sunt homines mente corrupti, resistentes veritati et reprobi circa fidem, et hos aversare.*** Spera-

1) nisi tu nobis sign., quod tibi] Biblioth. Bremens.: nisi tu uolis, ac tibi

2) nihil minus te colam] Bibl. Brem.: nihilominus colam te

3) Hoc de Luthero iudicium ex hac epistola excerptum exhibet I. H. Hottingerus Hist. Eccl. Tom. VI. p. 768.

4) documentum] Bibl. Brem.: donum

mus autem te quoque, per Gratiam tibi concessam a Domino, pari constantia et robore Spiritus Doctrinae puritatem et simplicitatem adversus omnes corruptores asserturum. Quod si ad rem [1]) feliciter perficiendam quid consilii et auxilii praestare possumus, omnem nostram operam et nos totos tibi et piis offerimus ac pollicemur. Non abhorret a nobis, opinor, ut impuris tua Pietas Philippe. Respondimus quidem Confessioni brevi D. Lutheri contra nos editae, neque enim dissimulare potuimus, quod ille nobis, inprimis autem Praeceptoribus p. m. [2]) et Ecclesiis nostris impegit. Simul autem Confessionem Fidei et Doctrinae nostrae vulgavimus, quam quum congruere cum omnium Sanctorum Confessionibus sciamus, speramus illam tuae Pietati non displicere. De Coena Domini, nisi contra fidem et conscientiam nostram loqui voluissemus, aliter loqui non potuimus, praesertim urgentibus nos Fidei Apostolicae Articulis et negotio Iustificationis: Nam Articuli Fidei quid de Corpore Christi etiam [3]) clarificato sentiamus edocent. Iustificationis vero Doctrina pura et syncera docet, non Sacramentis, non ullis rebus externis, sed sola Dei Misericordia per Christum, ***nos acceptos fieri Patri, sive recipi nos*** [4]) ***in Gratiam Dei, et exhiberi nobis Dona coelestia vitae,*** recipi autem per nos Fide syncera: [5]) Ita ut ab ipso solo Deo gratuito conferantur et exhibeantur Dona vitae, recipiantur a nobis Fide duntaxat; Annuncientur autem verbo, et ***obsignentur*** Sacramentis. Nosti Apostolum Paulum sic docere Rom. [6]) IV., ubi ostendit Abrahamum primo quidem [7]) iustificatum Fide, dein [8]) vero instificatum iam, percepisse Sacramenta, non illa quidem vana et inutilia, licet iustificatus esset: ***Accepit enim Circumcisionem*** Sacramentum ***Signaculum*** seu obsignationem, ***Iustitiae Fidei, quae fuerat in praeputio.*** Nosti autem parem esse Sacramentorum rationem, maxime cum Apostolus idem dicat: ***Probet autem se ipse*** [9]) ***homo, et sic de pane edat et de poculo bibat.*** Necesse

1) ad rem] Bibl. Brem.: ad eam rem
2) Praeceptoribus p. m.] Bibl. Brem.: praeceptoribus nostris piae memoriae,
3) Christi etiam] Bibl. Brem.: etiam Christi
4) nos] In Bibl. Brem. deest.
5) Fide syncera] Bibl. Brem.: syncera fide
6) Rom.] Bibl. Brem.: ad Rom.
7) primo quidem] Bibl. Brem.: quidem primo
8) dein] Bibl. Brem.: deinde
9) Probet autem se ipse] Bibl. Brem.: Probet seipsum

est ergo Coena [1]) Domini legitime communicantes prius esse iustificatos et participes Christi factos: Participare autem Coena, ut accipiant Obsignationem Iustitiae Fidei, *Sigillum*, inquam, et *Testimonium* visibile ab ipso Domino institutum, et *testificans* Fideles tradito Corpore et fuso Sanguine Christi iustificatos et lotos a peccatis, membra Christi et haeredes omnium bonorum Christi iam [2]) esse factos. Ceterum non institui iam de Coena Domini aut de sacramentis disserere; tantum haec ex occasione dixi. Si autem in Confessione illa nostra quaedam nondum clare et explicate satis dicta aut expensa videbuntur [3]), plenius nos admoniti exponemus: Si vero errare videmur, libenter erudiri sustinebimus. Agnoscimus Coenam Domini Symbolum esse Consensionis et Concordiae, vinculum denique Pacis et Unitatis, ideoque dolet [4]) nobis valde id rapi a Satana et hominibus quibusdam plus satis pugnacibus ad bellorum et discordiae [5]) materiam. Cumprimis autem ex animo intimisque visceribus nostris cum omnibus Christum in veritate invocantibus manus et copias nostras coniungere [6]) ac pro Ecclesia Christi contra Antichristianos bella Domini gerere suppetiasque Sanctis ferre cupimus: [7]) Id quod tibi praecipuo Duci exercitus Domini fraterna mente [8]) indicamus, obsecrantes per Christum Regem nostrum et per Charitatem fraternam, ut huic [9]) unice omnia tua consilia et vires omnes intendas, quo nos, qui Christum recepimus, Antichristo contradicimus, sepositis Simultatibus compositisque bellis civilibus et intestinis unanimes in Christo efficiamur et simus, unique Principi Christo militemus. Mitto tuae [10]) Humanitati Libellos aliquot Graecos quidem, sed a nostris Latinitati [11]) donatos, et hic praeterita hyeme excusos, nempe Theodoreti *Libros de Providentia:* Tatiani orationem, et Theophylacti [12]) Antioch. Episcopi *Libr. III*

---

1) Coena] Bibl. Brem.: coenam
2) iam] in Bibl. Brem. deest.
3) videbuntur,] Bibl. Brem.: videbantur,
4) dolet] Bibl. Brem.: dolent
5) discordiae] Bibl. Brem.: discordiarum
6) coniungere] Bibl. Brem.: iungere
7) Cumprimis autem .... ferre cupimus:] sic Mus. Helvet.; Bibl. Brem.: Cupimus autem .... ferre.
8) fraterna mente] Bibl. Brem.: fraterno modo
9) huic] Bibl. Brem.: huc
10) tuae] Bibl. Brem.: tuos
11) Latinitati] Bibl. Brem.: latinitate
12) Theophylacti] Bibl. Brem.: Theophili

contra Gentes, et alios quosdam Libellos illis coniunctos, quos muneris loco oro a me accipias. Vale colendissime mi Philippe ac fraterna mente haec mea accipe, iterumque Vale. Salutant te Fratres et Symmystae omnes, ***Pellicanus*, *Gualtherus*, *Bibliander*, *Buchterus*:**[1]) Professores item D. ***Conrad. Gessnerus*, *Ammianus*, *Collinus*, *Werdmyllerus***, et reliqui: Salutabis tu nobis D. ***Ionam*, *Crucigerum***[2]), D. ***Pomeranum*** et reliquos Dominos ac Fratres nostros colendissimos. Tiguri. I. Aprilis. 1546.

Bullingerus tuus.

---

303. No. 3434b. (Vol. VI. p. 100.) 5. April.

Iustus Velsius ad Melanchthonem.

Ex autographo in Mscr. Vol. IX. p. 130. Scrin. Eccl. Argent. Huius epistolae apographon Viro Clar. Voegelino debeo.

Clarissimo Viro D. Philippo Melanchthoni, Theologo et Philosopho doctissimo, Domino suo

Witembergae.

S. D. Ego vero Vir integerrime doctissimeque omnino futurum sperabam, ut Heidelbergam venires, atque ibi aliquamdiu etiam haereres. Verum nunc spem omnem D. Martini[3]) morte deposui. Cupiebam autem id maxime, quod hac ratione facilius fieri posse arbitrarer, ut tecum de quibusdam conferrem, quae ut non satis sunt aperte, saltem apud veteres, explicata, a recentioribus autem penitus omissa: Ita maximi esse meo iudicio momenti ad veram sapientiam comparandam videntur. Nam si quid ego hic video, nihil esse in omni studiorum genere necessarium magis existimo, quam veram methodi et demonstrationis cognitionem, cuius quaeso quantulam hodie partem habemus, non solum studiosorum vulgus, sed etiam qui elegantiores esse ceterisque praestare volumus. Quis enim hodie inveniatur, qui quae de his Aristotelis tradita sunt praecepta ad amussim, se intelligere profiteri audeat? Nam, ut Proverbio dici solet ***ὅταν τὸ ὕδωρ πνίγῃ, τί ἔτι ῥοφήσομεν***[4]); si enim haec Graeci non intellexerunt Enarratores, quid, quaeso, de reliquis fiat? Neque vero haec eo dixerim, quod intelligi haec posse penitus negem,

1) Buchterus:] Bibl. Brem.: Bocklerus,

2) Crucigerum,] Bibl. Brem.: Creuzingerum,

3) Lutheri.

4) *ὅταν — τί ἔτι ῥοφήσομεν*; (i. e. cum aqua fauces premit, quid porro deglutiemus?)] haec spectant ad illud proverbium, quod legitur in Aristotelis Ethic. Nicomach. VII. (in eius Opp. ed. Bekker p. 1146a. lin. 35.) sic: *ὅταν τὸ ὕδωρ πνίγῃ, τί δεῖ ἐπιπίνειν* (var. lect. *ἔτι πίνειν*);

sed quod non a quovis, sed eo demum, qui primo quidem non infelicis ingenii recteque ab ineunte aetate institutus ac instructus cum Linguarum cognitione, tum primis illis disciplinis omnia veritatis inventioni posthabeat, deinde et Laborum patientissimus sit, ut et autorum varia de his conferre scripta, et ad usum omnia haec explorare non gravetur. Nam et diversorum locorum tum in eodem, tum in diversis autoribus collatione saepius eruitur, in quo frustra alioqui multorum se cura torqueat interpretum. Et norma certissima inventae hic veritatis est usus ipse, ad quem perpetuo huius modi examinanda praecepta censemus. Et quanquam haec ipsa iam annis aliquot nonnullo successu tentaverimus, tamen est, quod in his etiam nunc desiderem, eamque maxime ob causam tuum avide expectabam adventum. Nam qui mihi in his et similibus velut Oedipus quidam esse solebat Symon Grynaeus noster quondam Doctor, eum nobis fata eripuerunt irata credo propter ingratitudinem nostram, quod tam rara et eximia Dei dona in eo non magis suspiceremus ac veneraremur. Erat enim is, si recte perpendere volumus, in hoc a Deo Germaniae datus, in quod Atheniensibus olim Socrates, ut de se ipse in Apologia apud Platonem praedicat, vereorque, ne in quibusdam nimium verus vates extiterit, sed haec quidem, ut Deo visum fuerit, evenient. Illud interim maxime doleo vix effici posse, ut aliqui saltem ad haec solida transferantur studia, quae a veteribus quidem exorta, a Grynaeo nostro revocari sunt coepta, ob quod quidem te plurimum oro, ut et altera Epistola feci, ut huc conatum tuum conferas. Neque enim alius quisquam id hodie commodius effecerit. Vale studiorum et disciplinarum ingenuarum antistes et Velsium inter amicos tuos aliquem locum habere sinito.

Argentorati Nonis Aprilis 1546.

Tui observantissimus

Iustus Velsius.

---

304. No. 3436 b. (Vol. VI. p. 101.) 7. April.

Carolus de Magnis ad Melanchthonem.

Ex autographo in Mscr. Vol. VI. p. 3. Scrinii Eccl. Argent. Apographon huius epistolae per Virum Clar. Voegelinum accepi.

Magnifico et Excellenti Theologo Philippo Melantoni, Domino suo plurimum observando.

Magnifice et excellens Domine mi plurimum observande. Ex tuis scriptis tria ad me delata fuerunt volumina: Loci communes: Annotationes in diebus Dominicis, et visio Danielis, quae libenter

per me lecta et perlecta sunt. Tum allectus gravitate sermonis et maturitate Latinitatis, tum etiam quia in eis divina tractantur, in quibus summe delector. Et eo magis, quia peropto veritatem Evangelii attingere, cuius, stantibus tot contrarietatibus et contradictionibus, veritas facile denigratur. Et ut video (licet fatear me insipientem) inter Christianos duo subsistunt ac vigent extrema, quibus partes adversantes adhaerent. Et illud causatur a sapientia humana, quae apud Deum stultitia est; Puritas enim Evangelii hoc non compatitur. Quam plures abusus in tuis scriptis taxantur, et maxime in Danielis Visione, qui si vere abusus sint, essent annihilandi et tollendi. Verum non ita in genere, sed distincte et particulariter deberent adduci et taxari. In aliquibus locis in dicta Danielis visione video acerbe calumniatam Missam tanquam ethnicam, quod summe afficit mentem meam, cum sit, quid divinum Institutum et sua [1] natura et qualitate bonum et per quam Deus laudatur. Leguntur enim Pauli Epistolae et Apostolorum, aut Prophetiae Prophetarum et Testamenti antiqui lectionis, legitur Evangelium, succedit demandata per Christum in ultima Coena commemoratio de Carne et Sanguine Christi nostri Redemptoris. Et in Missa, si bene, recte et pie volumus considerare, nihil ethnici reperitur. Et a sanctis Patribus primitivae Ecclesiae instituta fuit. Ideo dicendum est et eius celebrationem esse laudandam et Deo gratam et conformem Evangelio, cum in Missa deprecatur venia delictorum et confugiatur ad Christum, tanquam Mediatorem, Salvatorem et Redemptorem nostrum, pro impetranda et obtinenda peccatorum nostrorum remissione. Et si ex adverso arguatur Missam tollendam, quia multi causantur et proveniunt abusus et multa subsequuntur mala, dico, etiam ex Evangelio multi causantur abusus, sicut incantationes, sortilegia, maleficia et alia saeva et enormia perpetrantur, prout notorium est omnibus. Non tamen propter hoc abolendum et tollendum est Evangelium, sed summe extollendum. Ita de Missa dicendum est: Amoveantur abusus, et Missa prout fuit ab antiquis Patribus instituta celebretur et in Ecclesia dicatur. Dico enim (ni fallor) in Politia Christiana esse necessarios aliquos Ritus, sive Actus exteriores, vel secundum communem usum loquendi, Ceremonias, non ut in iis homo se confidat, sed ut facilius ad Dei sui cognitionem deveniat et animus hominis, qui continue vagat et non quiescit imo instabilis per illos Actus exteriores inducatur ad Dei sui considerationem et contemplationem et beneficia a

1) sua] in apographo legitur: sui

Deo collata recognoscat, et gratias agat, de Dei misericordia se confidat, et merita passionis Christi contemplat. Et sine Cerimoniis impossibile est vivere ac procedere in Vita christiana. Tollere modo in totum antiquas Cerimonias et novas instituere non laudo, nec animus acquiescit, rationes addas a te ipso. Et primitiva Ecclesia et S. Patres, qui (ut credendum est) a Spiritu sancto conducebantur, videntes sine actibus exterioribus[1]) non Evangelium conservari (universaliter loquendo) non instituissent Missam, ut vanam Cerimoniam. Ideo non est tollenda, et in totum abolenda Missa, sed expurganda. Et si qui abusus introducti sunt arte humana et diabolica suggestione, illi sunt abradendi, et ut tollantur exclamandum et super talis Zizaniae extirpatione elaborandum est. Si enim in totum denigraretur Missa et alii Ritus et Cerimoniae de novo introducerentur brevi tempore, imo statim facta publicatione seminaretur Zizania, quia istud est officium inimici in terra puro tritico seminata etiam Zizaniam proiicere et seminare. Et hoc praemonet Christus in Evangelio et Paterfamilias prohibuit Zizaniae extirpationem, ne et frumentum cum ipsa Zizania extirparetur. Ita pariter respectu Rituum introductorum in primitiva Ecclesia et qui sua[2]) natura boni sunt et conveniunt Politiae Christianae, propter abusus introductos ab inimicis Crucis Christi (quorum Deus venter est, et avaritia mundana et cupiditas rerum et bonorum terrenorum,) contra Christi institutum et intentum, qui dixit Pilato, fatendo se Regem, quod Regnum suum non erat de hoc mundo, eos obcoecavit, non sunt in totum abradendi et tollendi, sed bene expurgandi et reducendi ad veram Politiam Christianam et ad puritatem Evangelii.

Ideo chare et amate in Christo frater et Domine mi observandissime rogo te, ac in visceribus Iesu Christi nostri Redemptoris, et qui peccata nostra suo sanguine lavit et morte sua cum Patre aeterno nos reconciliavit, et de inimicis amicos et filios reddidit, obsecro et deprecor, ut a tali provincia annihilandi Missam desistas (summe enim Deo displicet) nec unquam futurum erit, ut Missae celebratio sit in totum sublata et amota. Et sicut mare obturari non potest, et terra reddi plana, ut non sit montuosa: ita in Politia Christiana impossibile est amovere Missam, et in totum tollere. Abusus nunc si qui introducti sunt et reperiuntur (quod negari non potest) extirpandi, abolendi, tollendi et denigrandi sunt. Et super hoc et in hoc insudandum,

1) sine actibus exterioribus] in apographo legitur: sine actus exteriores
2) sua] apographon habet: sui

et favorem suum circa hoc Deus praestabit. Nam sicut bona opera grata sunt et Deo accepta: ita et mala opera Deo displicent et ipsum offendunt. Et ista erit Corona tua, praeservasse Missam et tollere abusus, et reducere ad veritatem Evangelii, et apud deum et homines.

Idem dico de Coena Domini, quam asseris commemorationem. Sed utcunque sit, est quaestio super verbis reddens homines confusos et deum offendunt, vestemque Christi inconsutilem scindunt et nihil utilitatis afferunt. Est tamen Coena Domini et mandatum Christi, qui cum esset Deus et homo sine mendacio reperitur, cum pater mendacii sit diabolus, immo est ipsum mendacium, et Christus est ipsa Veritas et Pater Veritatis. Ipse nunc Christus dixit in Evangelio, quod ille, qui non manducat carnem suam et bibit eius sanguinem, non habebit vitam aeternam. Postea in ultima Coena dixit discipulis suis, accepto pane, gratias agens, hoc est Corpus meum. Si hoc dixit Veritas ipsa mandans istud in futurum fieri in eius commemorationem, ad quid excitandum est super hoc, ex quo Veritas affirmat. Quod autem possit id efficere, ut ibi sit eius Corpus, Divinitas et humanitas, et quicquid velit, erroneum est dubitare, quaerere modo quomodo, qualiter ac modum, et an in totum, an in parte, et si a mure comedatur quid dicendum, est quaerere nodum in scirpo. Et sapientia humana suo ingenio attingere non potest, quia Pater reservavit in sua potestate. Pie enim credendum est, et pro indubitato tenendum, quod ab ipsa Veritate prolatum et affirmatum reperitur, quia mendacium non profert; nam ipse dixit et facta sunt, et ulterius curiose non quaerere, quia insipida fatuitas est. Ex istis enim curiositatibus, quae possunt dici diabolicae, cum sint impertinentes, causantur infinitae contrarietates in fide Evangelica, quia tot reperiuntur sententiae et opiniones, quot sunt capita, unusquisque enim abundat in sensu suo ad verae fidei Evangelicae destructionem et dilacerationem. Dicerem bene et laudarem abusus tollendos et enervandos et idem in reliquis Ceremoniis, quae tendunt ad Politiam Christianam. Et Paulus non amovit Coenam Domini iam ab ipso institutam et quam celebrandam mandaverat. Sed bene conatus est tollere abusus pervertentes modum verum sumendi ipsam Coenam.

Et licet peccator sim et indignus Christianus exoro toto corde summum Deum et Dominum nostrum, ut animam tuam et aliorum Christianorum, sublatis verbalibus quaestionibus, et sapientia humana amota illuminet ad veram reformationem Politiae Chri-

stianae, et sedationem tantarum contradictionum, ut resecatis superfluis tota Christi Ecclesia reducatur ad cognitionem et propalationem veritatis Evangelicae, et ea, quae sunt extrema inter contradicentes reducantur ad concordiam Evangelii, et verus Evangelii effectus reducatur in lucem, et bonitas ac perfectio Evangelii efficiatur notoria, et omnibus Christianis manifesta, et in futurum non detineatur in abscondito, sed super candelabrum, ut omnibus Christianis prosit et luceat.

Hoc unum per Christum communem Redemptorem nostrum te exoratum velim, ut non mireris de praesenti scriptura, sive inepti epistola, aut insipida dictatura, quae processit non a docta persona, quae caret Philosophia, Theologia et argutiis sophisticis, sed tantum pura grammatica imbuta, et qui in forensi exercitio et clamosa [1]) advocatione, sive in dictando causas in foro contentioso se exercet. Ideo incompte has meas scripsi, confisus in Dei bonitate. Aut si quid scandali aut offensionis, incurristi ex istis meis, digneris parcere ignorantiae meae, et solum meum considerare animum. Te enim summe veneror et diligo, et animam tuam sicut meam propriam in coelis vivere peropto. Scio enim et plane fateor me non esse dignum solvere fimbrias calceamenti tui, est tamen et Catelli comedunt de micis, quae cadunt de mensa Domini. Et aliquando Deus revelat secreta sua parvulis, quae sapientibus abscondita esse voluit. Et si liceret, desiderarem te videre, tecum alloqui, et multa ex tuis operibus legere peropto, exorans tuam Humanitatem, ut me participem facere digneris et maxime scripta super Epistolas Pauli, ut fertur apud aliquos extare. Deus Optimus Maximus tuam illuminet animam ad cognoscendam et propalandam Veritatem Evangelicam, et Politiam Christianam purgandam et reformandam. Et te felicem reddat, quoad ipsum Deum et homines. Vale et Deum pro me exora, ut reciproce procedamus. Et me tibi commendo.

Mantuae VII Aprilis 1546.

D. tuae Mag.^cae et Ex.^i
Servitor
Carolus de magnis.

305. No. 3479^b. (Vol. VI. p. 170.) (fere mense Aprili.)

Recusatio Synodi Tridentinae.

Postquam d. 7. Ianuario 1546. Concilium Tridentinum erat inchoatum, Melanchthoni a Principe Electore paulo post mandatum est, ut scribat

1) clamosa] sic scripsi; in apographo legitur: clamorasa

recusationem huius concilii. Nam d. 23. Ian. scripsit Iusto Ionae (Corp. Ref. Vol. VI. p. 19 sq.): „De republica scito Romanum Pontificem decrevisse, Synodum Tridentinam non abrumpendam esse, sed suscipiendas cognitiones, et hanc Synodum legitimum Ecclesiae iudicium esse, cui parere omnes reges oporteat. Nunc igitur iussi sumus adornare scriptum Recusationis Tridentinae Synodi.“ Hoc primum germanice adumbratum est, ut Electori iudicandum proponeretur, et deinde latine a Melanchthone exaratum est. Ex Georgii Pontani epistola ad Electorem fere med. Mart. data (Corp. Ref. Vol. VI. p. 85 sq.) intelligitur, recusationem latinam eo tempore nondum finitam esse; d. 3. Iunii demum auctor Georgio Principi Anhaltino indicat scriptum finitum his verbis: „Fui aliquamdiu occupatus scribenda recusatione synodi Tridentinae“ (vide Corp. Ref. Vol. VI. p. 170.).

Hoc scriptum latinum Melanchthonis prodiit:

1) primum seiunctim sic inscriptum:
Causae, quare et amplexae sint, et retinendam ducant doctrinam, quam profitentur, Ecclesiae, quae confessionem Augustae exhibitam Imperatori sequuntur, et quare iniquis iudicibus, collectis in Synodo Tridentina, ut vocant, non sit adsentiendum. Witebergae A. M. D. XLVI.

2) deinde in hac Sylloge:
Acta Concilii Tridentini M. D. XLVI celebrati: Vna cum Annotationibus pijs, et lectu dignissimis.[1]) *Item, Ratio, cur qui Confessionem Augustanam profitentur, non esse assentiendum iniquis Concilij Tridentini sententijs iudicarunt. per Philippum Melanchthonem. M. D. XLVI. (s. l.* [*Basileae apud Oporinum?*] 19 *plagg.* 8⁰.*).*

3) in Melanchthonis Operum editionis Wittenbergensis Parte IV. (Wittebergae M. D. LXIIII. Fol.) p. 772—788.

4) in Viti Ludov. a Seckendorf Commentario historico et apologetico de Lutheranismo. Ed. 2. (Lipsiae 1694. Fol.) Lib. III. p. 602—610.

Germanica eius versio prodiit:

1) seiunctim sic inscripta:
Vrsach, warumb die Stende, so der Augspurgischen Confession anhangen, vnnd endtlich dabey zu verharren gedencken. Auch warumb das vermeindte Trientische Concilium weder zu besuchen, noch darein zu willigen sey, Gestellet aus Churfürstlichem Befelch, durch H. Philippum Melanthon. Augsburg, gedr. bey Valent. Ottmar 1546. item Nürnberg gedr. durch Joh. vom Berg vnd Vlrich Neuber 1546.

1) De anonymo auctore huius prioris libri viri docti differunt. Alii putant, *Car. Molinaeum* aut *Io. Calvinum* aut *Petr. Paul. Vergerium* eius esse auctorem, vid. Odor. Raynaldus Annal. Eccles. T. XXI. P. II. (Colon. Agripp. 1727. Fol.) p. 532. ad ann. 1564. n. 13., et Christ. Aug. Salig Vollständige Historie des Tridentinischen Conciliums (Halle 1741. 4⁰.) p. 432. not. c.; alii, quibus assentior, *Francisc. Dryandrum Hispanum*, vide Ge. Theod. Strobel Neue Beyträge zur Litteratur besonders des sechszehnten Jahrhunderts V. Bds. 2. Stück (Nürnb. u. Altdorf 1794. 8⁰.) p. 231—244., qui hunc librum Basileae in officina Oporini impressum esse iudicat.

2) Ex Edit. Norimbergensi repetita est in Frid. Hortlederi opere: Von den Vrsachen deß Teutschen Kriegs Käiser Carl deß V. A. 1546 vnd 47. (Gota 1645. Fol.) Tom. I. Lib. I. c. 44. p. 622—635.

De his aliisque scriptis similis argumenti vide Io. Ge. Schelhorn Amoenitatt. historiae eccl. et liter. Tom. II. (Francof. et Lips. 1738. 8⁰.) p. 381—388. — Latinum illud Melanchthonis scriptum h. l. recuditur ex illa Sylloge sub nr. 2. recensita, quam cum editione Wittenbergensi anni 1564. in eius Operum Parte IV. (nr. 3.) atque Seckendorfii Commentario (nr. 4.) contuli. Ch. Gotth. Neudecker editionem Wittenbergensem anni 1546. (nr. 1.) cum Seckendorfii textu (nr. 4.) contulit, et graviorem utriusque varietatem in libro suo: Merkwürdige Aktenstücke aus dem Zeitalter der Reformation. II. Abth. (Nürnberg 1838. 8⁰.) p. 748—750. not. 22. proposuit.

Causae, quare et amplexae sint, et retinendam ducant doctrinam, quam profitentur Ecclesiae, quae confessionem Augustae exhibitam Imperatori sequuntur: et quare iniquis iudicibus, collectis in Synodo Tridentina, ut vocant, non sit adsentiendum: per Philippum Melanchthonem.

Etsi ex magnitudine periculorum nostrorum, sumptuum et laborum, satis intelligi potest, nos nec curiositate, nec prava aliqua cupiditate, nec coeca pertinacia, genus doctrinae, Dei beneficio instauratum in Ecclesiis nostris, in quo iam consenescimus [1]), retinere et propagare: tamen de consilio et voluntate nostra hic rursus quaedam dicenda sunt, non modo ut honestis hominibus huius aetatis nos purgemus, sed etiam ut universam posteritatem Christianam praemoneamus, ne ex criminationibus et condemnationibus adversariorum de nobis iudicet, sed et caussae fontes, et nostras voluntates vere consideret.

Reddent enim Deo omnes homines ubique terrarum rationem sui iudicii de nobis, quia non agimus privatam aliquam caussam, sed Evangelii doctrinam de vera invocatione, de vera agnitione Domini nostri Iesu Christi, et de omnibus partibus vitae Christianae necessariis profitemur, quam [2]) Deus exaudiri vult a toto genere humano, ut colligatur aeterna Ecclesia ex omnibus gentibus.

Quare iterum et vere affirmamus exaudiente universa Ecclesia in coelo et in terris [3]), et testem voluntatis nostrae facimus Deum, nos praecipue moveri severissimis et immutabilibus Dei praeceptis, ut hanc ipsam doctrinam Evangelii puram, quam Ecclesiae nostrae sonant, amplectamur, nec abiiciendam esse censeamus, quae iubent recte invocare Deum iuxta Evangelium, et vetant idola coli, et

1) consenescimus,] Opp. Mel.: non consenescimus,

2) quam] Seckendorf: quod

3) terris,] Seckend.: terra,

religioni Christianae Ethnicos furores misceri. Sic enim inquit primum mandatum: Non habebis deos alienos. et[1]) secundum: Non assumes nomen Dei[2]) tui vane. Et pater aeternus inquit de filio: Hunc audite. Et Paulus ait: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Item, Fugite idola.

Haec fulmina coelestia et[3]) coëgerunt nos assentiri prolatae verae doctrinae, et adhuc cogunt nos, ne eam abiiciamus. Non opes, non voluptates, non imperia, denique nullae res humanae movent animos nostros, ut cum summis periculis et laboribus tot iam annos ab aliis dissentiamus, quorum benevolentiam et coniunctionem omni officio in aliis rebus tueri cupimus. Sed doctrinam coelestem anteferre nos necesse est, ut praecipitur: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Nec ignoramus, ab hominibus profanis hanc piam voluntatem nostram terribili oratione vituperari.

Primum, multi sunt athei, qui, cum omnes religiones pariter commentitias et fabulosas esse arbitrentur, inflectendam esse[4]) Ecclesiae doctrinam ad tempora, et ad potentum sensus atque opiniones dicunt, ac fremunt inanibus verbis, ut ipsi dicunt, multarum gentium tranquillitatem et imperia turbari, voluntque omnibus religionibus concordiam anteferri[5]).

Quanquam autem valde dolemus tantis contumeliis Deum et filium eius Dominum nostrum Iesum Christum et Ecclesiam Dei affici, ut religio dicatur fabulosa esse, et postponenda otio et tranquillitati imperiorum: tamen nunc breviter respondemus, nos abhorrere ab illis opinionibus Epicureis, easque execrari. Delectentur[6]) illa sapientia oratores adversariorum, qui eam ex rancidis Epicureorum libellis excerptam passim nunc edunt[7]), et hoc velut Sirenum cantu multorum aures deliniunt, et mentes eorum a Deo avertunt.

Nos affirmamus doctrinam de Deo commendatam Ecclesiae illustribus testimoniis, in quibus se Deus patefecit[8]) humano generi, veram et salutarem esse. et[9]) Paulus inquit, Potentiam Dei

1) primum mand.: Non hab. d. al. et] haec apud Seckend. desunt.
2) Dei] Seckend.: Domini
3) et] a Seckend. textu abest.
4) esse] Seckend.: etiam
5) anteferri.] Seckend.: anteferre.
6) Delectentur] Seckend.: Delectantur
7) edunt,] Opp. Mel.: educunt,
8) patefecit] Seckend.: patefacit
9) et] Seckend.: et ut

esse ad salutem omni credenti. Ac Deo gratias agimus, quod immensa misericordia ex arcana sede sua prodiens se patefecit generi humano, et filium misit, ut pro nobis victima fieret. Et sentimus praecipue hoc officium ab omnibus hominibus flagitari, ut haec beneficia Dei agnoscant et celebrent. ut Ioan. 14. dicitur: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus: Qui non diligit me, sermones meos non servat. Sit igitur prima cura tuendae puritatis[1]) Evangelii, nec sumant sibi ulli homines aut angeli tantam audaciam, ut aeterna decreta Dei[2]) corrumpant, aut mutent[3]), sicut initio fecit diabolus, Hevam a decreto divino abducens, et postea omnibus seculis fecerunt idolorum et impiorum dogmatum architecti.

Nec sumus adeo rudes vitae communis, cum quidem et nos difficilibus tempestatibus, Deo iuvante, regamus nostras politias[4]), ut non intelligamus, quantum bonum sit ordo politicus, et concordia in singulis regnis, et quanta virtus sit cavere, ne temere, ne errore, ne causis non valde necessariis eius ordinis harmonia turbetur.

Ament omnes et venerentur imperia, sed propter Deum, qui se in imperiis recte coli iussit, non amemus imperia extruso Deo autore, nec putemus hanc hominum societatem tantum ideo coiisse, ut collatis operis quaerant voluptates, et earum instrumenta, quales fuerunt civitates Sodoma, Sybaris, Thebae, et similes. Sed sint imperia templa Dei, et ad hoc officium praecipue conditos esse homines agnoscamus, ut Dei notitia in eis luceat, et congregatos esse divinitus, et societatem mirandis vinculis generationis, educationis, officiorum, contractuum, gubernationis, defensionis copulatam esse, ut veram Dei notitiam docendo et confitendo, alii aliis tradamus[5]). Sit igitur hoc praecipuum officium in vita, longe anteferendum otio et tranquillitati imperiorum, veram de Deo doctrinam discere et tueri.

Secundo, alii nos vituperant callidiores, qui cum dissimulent[6]) se esse atheos, studium religionis prae se ferunt, et arro-

---

1) puritatis] Seckend.: veritatis
2) decreta Dei] Seckend.: Dei decreta
3) aut mutent,] apud Seckend. desunt.
4) n. politias,] Seckend.: n. ecclesias et politias,
5) tradamus.] Seckend.: tradant.
6) dissimulent] Seckend.: dissimulant

gant sibi titulum[1]) Ecclesiae Dei. In hac aiunt semper manere veram doctrinam, necessariam ad salutem. Quare cum nulla nunc sint idola, nulli errores pugnantes cum articulis fidei in illo coetu, qui iam aliquot seculis[2]) regit Ecclesiam, vociferantur, aut falso quaedam in doctrina usitata et usitatis ritibus reprehendi, aut seditiose res parvas exagitari, quas condonari communi tranquillitati melius esset.

Cum autem saepe alias refutata sit haec iactantia adversariorum, qui magnos et veteres Ecclesiae morbos occultant: nunc tantum orabimus omnes honestos homines, non fascinatos stulta superstitione, ut circumspiciant toto orbe terrarum collegia sacerdotum plena inscitiae et spurcitiae[3]), et videant in templis populum ad diversas statuas prostratum, ab aliis alia dona petere: et non modo singularum gentium, sed pene singulorum oppidorum alia numina esse, quorum invocatione mentes a vera Dei invocatione abduci tam manifestum est, quam manifestum est in bruma nobis diem breviorem esse quam in aestivo solstitio.

Deinde considerent et[4]) profanationem coena Domini, quae partim in theatricum spectaculum conversa est, partim in quaestum collata, et multis modis contaminatur.

Haec cum considerant prudentes, nihilne mali putant esse tetras libidinum confusiones? statuarum invocationes? et varias coenae Dominicae profanationes? Quae cum ante haec tempora pii eruditione et prudentia antecellentes semper deplorarint, nunc homines astuti defendere praestigiis verborum conantur. At res loquitur ipsa, haec exempla Ethnicorum similia in Ecclesiam, diaboli artificiis invecta esse, et paulatim confirmata.

At non errat, inquiunt, Ecclesia. Quae est ista impudentia? Cum in conspectu sint tam tetra mala, nolle tamen fateri errata? [5])

Non dubium est[6]), et fuisse semper, et esse homines pios in Ecclesia, qui plerosque errores et deplorarunt, et reprehenderunt, alii magis, alii minus perspicue. Ita manet in Ecclesia veritas. Interim tamen, ut praedictum est, dominati sunt in Ecclesia Pontifices profani, qui imperia et tyrannides pluris fecerunt quam doctrinam, et indocti sacerdotes et avari monachi

1) arrogant sibi titulum] Seckend.: iactitant nomen
2) aliquot seculis] Seckend.: annos sexcentos continuos
3) inscitiae et spurcitiae,] Seckend.: inscitia et spurcitie,
4) et] Seckend.: etiam
5) errata?] Seckend.: errare.
6) est] apud Seckend. deest.

multos errores sparserunt. Et coeca multitudo facile capitur plausibili doctrina, quae stultis adfectibus blanditur.

Horum iudicia et exempla non tribuantur Ecclesiae Dei. Nam et praedixit vox divina, non solum multos extra Ecclesiam Dei Evangelium oppugnaturos esse, quales sunt Ethnici [1]), Mahometistae, sed etiam in hoc ipso coetu, qui titulum habet Ecclesiae Dei, magnam fore multitudinem fascinatam [2]) pravis opinionibus, et a vera invocatione aberrantem.

Ac Petrus nos ad exemplum Israelitarum deducit: Fuerunt et pseudoprophetae in populo, sic inter vos erunt. Quanta multitudo fere omnibus temporibus in Israel idola coluit. Et sacerdotes ipsi, qui (ut nunc loquuntur homines) ordinariam gubernationem tenebant, vera sacrificia depravabant, et pro iustitia fidei externam hypocrisin ceremoniarum docebant, quam cum Prophetae taxarent, saevitia, ut nunc quoque fit, exarsit.

Et post Macabaeos, cum sectae duae summam potentiam tenerent, Pharisaei et Sadducaei, fateri necesse est, non solum paucos in vulgo, sed magnam turbam sacerdotum, interpretum legis, iudicum, tetris erroribus inquinatam fuisse.

Haec cum acciderint in illa parva politia, quae nervos disciplinae plures habuit, quam Ecclesia dispersa nunc in barbaricis imperiis, cogitemus et hanc postremam mundi senectam multis morbis et deliriis obnoxiam esse, et Prophetae querelam ad haec secula quoque pertinere, qui ait: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus. Imo quid tam simile est, quam Sadducaeorum agmini, Epicurei Pontifices et Cardinales, et Pharisaeis, sacrificuli et monachi, qui suos ritus in quaestu habent? nisi quod aliquanto plus pudoris in illa politia Iudaica [3]) fuisse consentaneum est, quam nunc est in collegiis Pontificiis, et monasteriis. Erant enim mariti, et domesticam disciplinam [4]) utcunque tuebantur, et minus erant otiosi.

At parvos naevos, inquiunt nonnulli, et aliquas anicularum ineptias reprehenditis, quas, nisi essetis nimis morosi et *μεμψίμοιροι*, dissimularetis propter communem concordiam. Plus enim nocet orbi Christiano tam atrox dissidium, quam illae leves ineptiae, quae taxantur. Nec fuit unquam ulla aetas, nec erit in hac hominum infirmitate, sine multis morbis et hallucinationibus.

---

1) Ethnici,] Seckend.: ethnici, Iudaei,
2) fascinatam] Seckend.: fascinatorum
3) politia Iudaica] Seckend.: Iudaica politia
4) domesticam disciplinam] Seckend.: disciplinam domesticam

Hac oratione homines, qui perhiberi volunt politici, extenuant errata, quod eo[1]) fit, quia leviter curant gloriam Dei, et suae utilitati aut tranquillitati malunt consulere. Quare verborum praestigiis aut tegunt, aut excusant multa horrenda mala. Non enim de parvis tantum rebus aut paucis dissensio est, nec tantum anicularum superstitiones taxamus.

Extant scripta doctorum vetera et recentia, quae defendunt haec portenta. Negant in scriptura Prophetica et Apostolica hanc fidem, qua accipienda est remissio peccatorum, contineri, cum Petrus hunc esse universae Ecclesiae consensum affirmet, inquiens: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.

Nec obscurum est, quam tetram sententiam propugnent adversarii, cum iubent uniuscuiusque mentem in perpetua dubitatione manere, an habeat remissionem peccatorum. Postea fingunt dari remissionem propter cuiusque merita, imo etiam propter vota monastica, propter venales missas, quas scribunt etiam ex opere operato mereri remissionem facienti et aliis. Deinde coenam Domini et ad mortuos perverse transferunt.

Doctrina de vera poenitentia, caligine opinionum, de enumeratione, et de satisfactione, prorsus obscurata fuit.

Quales fere toto orbe terrarum in templis idolomaniae conspiciuntur, ubi ad certas statuas fiunt concursus, et hominibus tribuitur honos proprie debitus Deo aeterno patri, et filio eius Domino nostro Iesu Christo, et Spiritui sancto, scilicet Invocatio.

Quae eloquentia seu hominum, seu angelorum, satis deplorare potest animarum exitia, quae pereunt propter legem, quae coniugia prohibet? Ac multa concurrunt mala in immundo coelibatu. Primum, vere Deus irascitur vagis libidinibus. Deinde mentes pollutae non possunt invocare Deum: ruunt igitur ex aliis sceleribus in alia, tanquam vasa irae.

Ad haec mala accedunt inscitia et neglectio ministerii Evangelici tanta, ut passim aut nullae conciones, aut futiles audiantur, et disciplinae prorsus nulla[2]) sit cura.

Non igitur pauci tantum in vulgo peccant, nec leves tantum ineptiae a nostris taxantur. Magni errores, contumeliosi adversus filium Dei, et perniciosi mentibus, et atrocia scelera defenduntur magna autoritate ab adversariis, qui se iactitant ordinariam pote-

1) eo] apud Seckend. deest.
2) disciplinae prorsus nulla] Seckend.: disciplinarum nulla prorsus

statem in Ecclesia tenere. Et additur saevitia ad stabiliendos errores, et confirmanda multa vitia, qualem antea nunquam exercuerunt gubernatores, qui non fuerunt Ethnici.

Cum igitur in conspectu sint tanta mala Ecclesiae, errores, idola, libidines, neglectio ministerii evangelici, saevitia, non solum agnoscenda sunt, sed omnes homines ubique terrarum expavescere eorum conspectu, et cogitatione irae Dei debebant. Non enim de nihilo dictum est, sonante Dei voce certissimis testimoniis in monte Sinai, inter fragores horrendos, et fulmina aeternas poenas denuntiantia idolorum cultoribus: Non habebis Deos alienos coram me. Ego sum Dominus Deus tuus, visitans iniquitatem patrum in filios, etc.

Hanc vocem cum ederet Deus, tremuerunt longa montium iuga, saxa, scopuli: et veram esse, poenae mundi quotidianae ostendunt. Si qui igitur hanc concionem rident, et praesentibus voluptatibus fruendum censent, et inanem curiositatem ducunt, anxie inquirere veram de Deo et de vera invocatione doctrinam, illis ipsis scopulis et saxis rupis Sinai duriores sunt.

Sed non dubium est tristissimas poenas contemptae[1]) vocis divinae, vagari[2]) omnibus temporibus per totum genus humanum, et sequuturas esse post hanc vitam, cum filius Dei se iterum mundo ostendet, ut suam Ecclesiam ornet aeterna gloria, et hostes horribili et non desituro incendio puniat.

De hoc ipso iudicio interea commonefieri nos[3]) statuamus, cum incendia orbis terrarum, ruinas regnorum, confusiones religionum, domesticas calamitates infinitas, magno dolore[4]) spectamus.

Sed aliqui non omnino ferrei fatentur aliquos Ecclesiae morbos, et ut ipsi molli vocabulo nominant, abusus esse. Nobis tamen iuste irasci ordinariam potestatem, id est, summos orbis terrarum principes inquiunt, quia sine ipsorum iudicio et autoritate quasdam opiniones, aliquot seculorum consensu confirmatas, et quosdam ritus aboleverimus.

Negant privatis et paucis concedendum esse, ut sibi iudicium sumant de re communi, de statu Ecclesiae. Et videtur sequutura infinita dissipatio, si cuilibet in vulgo sententias et ritus suo arbitrio mutare licebit. Quid enim manifestius est, quam in

---

1) contemptae] apud Seckend. deest.
2) vagari] Seckend.: et vagari
3) commonefieri nos] Seckend.: nos commonefieri
4) m. dolore] Seckend.: m. cum dolore

populo maximam esse [1]) multitudinem inimicam religioni et legibus, cupidam infinitae licentiae, invidentem alienae potentiae, seditiosam, inconstantem, rapacem, denique audacia et furore praecipitem? Hanc armare hac persuasione, ut putet sibi licere dogmata et leges mutare aut delere sine superiorum iudicio, summa amentia, et atrocissimum scelus videtur.

Nec vetera tantum exempla commemorant, sed etiam recentia. Ut cum Ulyssis socii ventos ex utre, in quem inclusos Aeolus Ulyssi dederat, emiserunt, passim in diversas aëris regiones erumpentes contrariis flatibus mare agitarunt, ut ingentes procellae navim undique quassarent: Ita nunc postquam semel propositum est exemplum ab ordinaria potestate discedendi, multis locis homines fanatici, palam furiosi tragicos tumultus in Ecclesiis excitarunt. Hos igitur iudicant nervos atque artus esse [2]) sapientiae in viris politicis, acerrime propugnare ordinariam autoritatem, receptos mores, et communem consensum.

Hanc terribilem orationem, tanquam caput Gorgonis, omnibus aetatibus ecclesiae obvertunt [3]) potentes, quae ad inflammandam regum iracundiam valde accommodata est.

Nec vero nihil movemur nos hac atroci oratione. Nam et nos pacem, concordiam principum, et [4]) imperiorum tranquillitatem optamus. Nec ab ordinaria potestate sine perspicuo mandato divino dissentiendum esse censemus. Nec laxamus frenos multitudini, sed hoc sentimus et probamus, quod Apostoli consentientes dicunt: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Semper ita omnes sani iudicarunt, divinam autoritatem humanae anteferendam esse.

Sed praecedat, inquiunt, cognitio. Utinam quidem esset ea gubernatorum Ecclesiae pietas, ut gloriam Dei, et salutem animarum anteferrent suis cupiditatibus, et doctrinam emendarent ipsi, et disciplinam pie regerent. Sed Deus Ecclesiam suam ita gubernat, ut tradiderit nobis Evangelium, quod est aeternum et immutabile decretum divinae voluntatis, certo comprehensum in scriptis Propheticis et Apostolicis.

Ab hac regula vetat discedere, etiamsi superiores, aut plurimi eam negligant et abiiciant. Et quia ipse immensa misericordia colligit, et subinde instaurat Ecclesiam, excitat doctores,

1) maximam esse] Seckend.: esse maximam
2) nervos atque artus esse] Seckend.: nervos esse atque artus
3) obvertunt] Seckend.: obverterunt
4) et] apud Seckend. deest.

et lucem doctrinae restituit, qua agnita, neminem vult expectare humanas cognitiones aut hominum iudicia.

Clamat aeternus pater de filio: Hic est filius meus dilectus, Hunc audite. Si vere statuimus esse Deum conditorem et iudicem, ac patefactum esse, et vero amore nostri misisse filium, ut aeternam Ecclesiam [1]) colligat: huic eius mandato etiam parendum esse statuamus [2]), ut filium salutis nostrae causa missum, et illustribus testimoniis, resuscitatione mortuorum, et aliis miraculis commendatum toti generi humano, audiamus, eique summa reverentia obediamus.

Hoc aeternum et immutabile mandatum: Hunc audite, anteferendum est non solum universae humanae autoritati, sed etiam aliis rebus [3]) omnibus, quas homines suo ordine recte [4]) expetunt, vitae nostrae, facultatibus, imperiorum tranquillitati, paci.

Non feri, non ἄστοργοι homines erant Apostoli: sed patriam, ut cives in optimis familiis nati, maxime [5]) amabant, venerabantur templum, in quo se Deus toties patefecerat, totumque ordinem politiae Iudaicae, qua sciebant in toto genere humano nullam esse pulchriorem politiam, magis quam vitam suam diligebant. Denique norunt utrumque a Deo praecipi, ut res obscurae ad collegium sacerdotum, quod ministerio ad templum fungebatur, referrentur, et iudicatum fieret, ut Deuteron. 17. [6]) scriptum est. Hi tamen nec referunt de Evangelio ad id consilium [7]), nec obtemperant prohibentibus spargi novum doctrinae genus, quia iam antea audierant vocem aeterni patris de filio: Hunc audite. Imo norant, in omnium prophetarum concionibus praecipi de audiendo Messia, etiamsi Pontifices, Reges, et Principes ei adversaturi essent: ut in Psalmis dicitur: Osculamini filium. Item, Tu es sacerdos in aeternum.

Nec tantum illa vox coelestis aeterni patris, aut illa dicta in Prophetis, ad Apostolos, aut Apostolorum tempora pertinebant, sed ad omnes homines omnibus aetatibus pertinent. Audita voce filii Dei in Evangelio, necesse est omnes obedire. Et qui non audierit, inquit Deus, ego ultor ero.

---

1) aeternam Ecclesiam] Seckend.: Ecclesiam aeternam
2) etiam par. esse statuamus,] Seckend.: parendum etiam esse statuimus,
3) aliis rebus] Seckend.: rebus allis
4) recte] apud Seckend. deest.
5) maxime] apud Seckend. deest.
6) Deuteron. 17.] Seckend.: Deut. II.
7) consilium,] Seckend.: Concilium,

Sed reclamant adversarii: Multa sunt obscura, quorum declaratio prius ab ordinaria potestate petatur. Scimus haec [1]) plausibiliter dici ab adversariis, qui si hoc serio dicunt Evangelium esse ambiguam et incertam doctrinam, quid aliud esse cogitant, quam Sphingos aenigmata? ut nuper quidam ex adversariis nostrarum Ecclesiarum scripsit, nullum esse verbum in scriptis Propheticis et Apostolicis, quod non varie intelligi possit.

Profecto horrenda contumelia Deum afficiunt, qui sic de ipsius sermone iudicant. Etiam sicubi in parte aliqua non statim se rudibus offert sententia, tamen summa doctrinae perspicua est. Nulla in Decalogo est ambiguitas. Vult enim extare [2]) et exaudiri Deus suam sententiam ab universo genere humano, sine ulla ambiguitate, adversus peccatum. Deinde toti generi humano notam vult esse hanc consolationem, prolatam ex arcano sinu: Remitti nobis peccata, et fieri nos haeredes vitae aeternae propter filium [3]), non propter nostras virtutes. Et hoc ingens beneficium fide accipiendum esse, statuendumque singulis in poenitentia vere se recipi propter filium Dei [4]), ac oportere in nobis, postquam recepti [5]) sumus, lucere hanc fidem, et existere iustitiam bonae conscientiae.

Haec doctrinae capita nec obscure, nec ambigue tradita sunt. Et si quid est in ullo articulo obscuritatis, addidit Deus scriptis perpetuam vocem ministerii Evangelici, qua imperiti erudiuntur de vera interpretatione. Id ministerium docendi Evangelii et fuisse, et esse in nostris Ecclesiis negari non potest. Et sunt et fuerunt studia doctrinae Evangelii apud nos, ut filius Dei praecipit [6]): Si quis diligit me, sermonem meum servabit.

Quare non temere sententias inexploratas aut sparserunt nostri doctores, aut nos recepimus. Sed et doctores et nos, propter gloriam Dei et salutem nostram, consideravimus fontes doctrinae, contulimus Ecclesiae testimonia [7]), quaesivimus antiquitatis sincerae tempora [8]), ne novas aut ambiguas sententias amplecteremur.

Atque ita servat Deus semper in Ecclesia veritatem, non in illo coetu, qui prophetica et apostolica scripta negligit, et prae-

1) haec] Seckend.: hoc
2) extare] Seckend.: exponere
3) pr. filium,] Seckend.: pr. Filium Mediatorem,
4) Dei] apud Seckend. deest.
5) recepti] Seckend.: renati
6) praecipit:] Seckend.: praecepit,
7) testimonia,] Seckend.: tempora,
8) tempora,] Seckend.: testimonia,

sentes religiones propter tranquillitatem boni consulendas esse ducit, qualescunque sunt, ut dicunt multi perverse philosophantes: nec in [1]) iis qui curiositate aut ambitione quaerunt novas opiniones, aut ut potentum adfectibus serviant, applaudunt erroribus; sed in aliis, qui legunt, discunt, et amplectuntur Prophetica et Apostolica scripta, veritatem amant, testimonia veteris Ecclesiae probata inquirunt, et humanis opinionibus Dei voluntatem anteferunt: quales non solum apud nos et sunt, et fuerunt [2]), sed sunt passim in toto orbe terrarum multi docti et pii, quorum aliqui profitentur, quod sentiunt, aliqui metu impediuntur, quo minus palam ostendant suam sententiam, hi tamen assiduo gemitu Ecclesiae emendationem optant.

Ut igitur ne nos quidem concedendum petulantibus ingeniis iudicamus [3]), ut rectas et vera autoritate traditas sententias mutent, ut fecerunt Anabaptistae: ita econtra ubi perspicua est voluntas Dei, obediendum Deo esse [4]) affirmamus, nec expectandam esse cognitionem humanam. Certe illorum cognitio non expectanda est, qui palam sunt hostes veritatis.

Deinde, etiamsi qua esset obscuritas, cur rebus non iudicatis damnantur nostrae sententiae, et multi honesti homines propter solam purioris doctrinae confessionem interficiuntur? Ea in re certe hoc nostri iudicii est, nec trucidare insontes, nec adiuvare aut approbare alienam saevitiam [5]).

Exarserat iniusto odio Saul adversus Davidem. Interea filius Ionathas, etsi erat in eo [6]) pietas erga patrem, et reverentia erga regem praecipua: tamen minister esse iniustae crudelitatis noluit. Multi vero alii praesentem potentiam pluris quam caussam faciebant.

Quam multis locis sacerdotes docti et sancti [7]) tantum propterea necati sunt, quod manifesta errata invocationis mortuorum taxarunt, quae in ipso iudicum consessu aliqui in animis suis [8]) tacite improbabant, ut postea eos fateri audivimus.

Cum igitur verissimum sit, ad proprium uniuscuiusque iudi-

1) in] apud Seckend. deest.

2) fuerunt,] Seckend.: fuerunt aliqui,

3) concedendum pet. ing. iudicamus,] Seckend.: petulantibus ingeniis concedendum iudicavimus,

4) Deo esse] Seckend.: esse Deo

5) saevitiam.] Seckend.: sententiam.

6) erat in eo] Seckend.: in eo erat

7) docti et sancti] Seckend.: sancti et docti

8) suis] apud Seckend. deest.

cium pertinere, ne in re vel sibi probata, vel dubia, saevitiam exerceat, aut adiuvet, nemo nobis iuste succensere potest, quod saevitiae, quae quidem a monachorum furore et Pontificum superbia orta est, socii esse noluimus: sed ut Ionathas, homines innocentes, pios, doctos, Deum invocantes pro nobis, utiliter servientes Ecclesiae teximus, praesertim cum nos etiam, ut[1]) re iudicata, causam probaremus.

Nam cum Pontifices nullam legitimam cognitionem instituerent, et manifestam veritatem damnarent, et magna asperitate idolomanias stabilirent, assentire[2]) iniustis iudiciis non potuimus.

Quare diu disputata re et deliberata cum eruditis et piis, hoc[3]) doctrinae genus, quod unum diligenter considerantis fontibus, id est, scriptis Propheticis et Apostolicis, et collata omni antiquitate, videmus esse perpetuum consensum catholicae Ecclesiae Dei, hoc est, omnium eruditorum et piorum, qui fuerunt omnibus seculis in Ecclesia Dei: quod quidem in Symbolis, Apostolico, Niceno et Athanasiano breviter comprehensum est, et probatissimorum scriptorum post Apostolos testimonia habet, propter gloriam Dei et salutem nostram amplexi sumus. Scimus non esse gignendas novas opiniones de Deo, ut audacissime fecerunt cultores idolorum, et Philosophi, et multi fanatici homines: sed reverenter tuenda est unica doctrina, in qua Deus ipse illustribus testimoniis se patefecit.

Ideo nullam novam opinionem proponi in Ecclesiis nostris passi sumus. Sed veterem, veram, et unicam Ecclesiae Dei doctrinam incorruptam profitemur. Ac ut sciri possit, quaenam illa sit, extat confessio nostra Augustae exhibita, quae summam breviter continet: quam quidem congruere ad symbola, Apostolicum, Nicenum, et Athanasianum, et ad perpetuam sententiam probatissimorum scriptorum, qui in Ecclesia post Apostolos fuerunt, non dubium est, si modo dextre et non calumniose de scriptoribus illis iudicetur.

Et quicunque erunt eventus, Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi gratias agimus pro hac Evangelii luce[4]), quae monstrat veram invocationem Dei, et firmam consolationem animorum, et normam vitae, quae res omnibus inter summa bona ducendae sunt.

1) ut] apud Seckend. deest.
2) assentire] Seckend.: assentiri
3) hoc] Opp. Mel.: et hoc
4) Evangelii luce,] Seckend.: luce evangelii,

Neque enim Epicureorum iudiciis movemur, qui alios bonorum fines, alias metas rerum expetendarum proponunt: sed conditum esse genus humanum scimus, ut in eo notitia Dei luceat, et ut de Deo vera testimonia dicat, eiusque consuetudine in vita aeterna fruatur. Nec maius praesidium esse in hac vita homini, in omni genere periculorum, quam scire veram invocationem Dei, ut scriptum est: Turris fortissima nomen Domini. Quare vera agnitione Dei nihil optabilius est.

Et quanquam eventus in hac vita varii sunt, ut omnium temporum exempla ostendunt veritatem non sine magnis periculis retineri: tamen Deus eam non prorsus deleri sinit. Et nos quidem speramus Deum huius officii nostri[1]) memorem fore, quod saevitiam in sacerdotes pios et innocentes noluimus exercere, sicut dictum est: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

Nec sumus adeo feri, aut rudes vitae communis, ut terribili clamore de ordinaria potestate prorsus nihil moveamur, cum vociferantur multi, non fuisse mutandam doctrinam aut ritus, sine ordinariae potestatis iudicio et comprobatione, quia et ordo Ecclesiae turbetur, et exemplum sit periculosum.

Haec tragice exaggerata multos adversus nos incitant, nec nihil movent animos nostros. Nam et nos ordinem et gubernationis vincula intelligimus et magnifacimus. Sed huic nostro dolori opponimus multa perspicua mandata Dei, quibus severissimae conciones[2]) additae sunt. Filius Dei inquit, Neque in hac vita, neque postea remitti blasphemiam, quae contra Spiritum sanctum dicitur. Hac moniti voce homines ubicunque sunt, posteaquam audierunt veras sententias, et re cognita eas intelligunt, severissima lege cogi se agnoscunt, ne veritati divinitus monstratae adversentur.

Quid igitur faceremus in articulis multis, quorum perspicuitas omnes sanos adsentiri convincit? ut de indulgentiis, de sacerdotum coniugio, de manifesta profanatione coenae Dominicae, quam sacrificuli indocti, ignorantes quid agant, et quid sit sacrificium, toto orbe terrarum ventris causa in theatricum spectaculum transferunt? Num adversaremur Spiritui sancto manifesta scelera taxanti? et rei horrendae blasphemiae fingeremus nobis hanc excusationem, quam scribunt Oratores adversariorum, quia plus mali

1) huius officii nostri] Seckend.: nostri huius officii
2) conciones] Seckend.: comminationes

sit in schismate, hos errores[1]) dissimulandos esse. Imo vero anteferatur mandatum divinum, quod prohibet[2]) blasphemiam dicere in Spiritum sanctum omnibus episcopis et regibus.

Metae sunt servitutis, quas Deus ipse generi humano circumdedit, quae ostendunt quae mala dissimulanda et ferenda sint, quae non sint ferenda. Atque ita Deus saepe collegit, et emendavit Ecclesiam contra iudicia ordinariae potestatis. Ieremias, Amos, et alii Prophetae palam dissentiebant a summis sacerdotibus ac regibus, et maiore parte sacerdotum ac populi: sic postea Zacharias, Baptista, Christus, Apostoli dissenserunt ab ordinaria potestate.

Hi si viros politicos consuluissent similes oratorum, qui nobis adversantur, audivissent idem consilium, quod apud Platonem scriptum est: ut parentes deliros ferre decet, ita tolerandos esse potestatis ordinariae errores, nec excitanda dissidia in patria, quia in ἀναρχίᾳ, et seditionibus nihil mali non insit.

Haec oratio etiamsi alicubi locum habet, tamen in Ecclesia non usurpetur[3]) ad stabilienda idola, et confirmandas blasphemias. Viderant Apostoli Christum revocatum ex morte in vitam. Norant sibi mandatum esse, ut Evangelium docerent, quo quidem et illius pulcherrimae politiae vincula et nervi laxabantur: qua ex re, in patria dissipationem fieri[4]) videbant. Hic si assensissent ordinariae potestati neganti revixisse Christum, et damnanti doctrinam, horrendae blasphemiae rei fuissent, Deum contumelia affecissent, et sibi et aliis aeternum exitium accersivissent.

Ut igitur Apostolos ipsos necesse fuit docere Evangelium[5]), etiamsi potestas ordinaria dissentiebat: ita omnes homines eorum doctrinae, cum viderent eam divinitus confirmari, assentiri necesse fuit, quanquam in toto orbe terrarum omnes summi gubernatores refragabantur: ita semper Evangelii voci omnes obedire debent. et qui cum eam audierint agnoscunt Dei voluntatem, et tamen obsequi nolunt, imo etiam delere eam[6]) conantur, seu vi, seu fraude, ut nunc multi praestigias ad labefactandam veritatem comminiscuntur, metuant sententiam, quam de blasphemis Filius

1) errores] Seckend.: naevos
2) prohibet] Seckend.: vetat
3) usurpetur] Seckend.: usurpatur
4) fieri] Seckend.: sequi
5) necesse fuit doc. Evangelium,] Seckend.: docere evangelium necesse fuit.
6) eam] apud Seckend. deest.

Dei pronuntiavit, nec cogitent harum rerum maximarum, et ad gloriam Dei pertinentium explicationem inanes ludos esse, de quibus ut in Arcesilae schola concessum sit quamcunque velint partem tueri.

Haec praefati sumus, ut coram universa Ecclesia huius aetatis et posteritatis, publice exponamus, quae nos causae moverint et ad amplectendum et ad retinendum doctrinae genus, quod in Ecclesiis nostris sonat. Non curiositate, non cupiditate ulla, non errore a caeteris dissentimus: sed de Deo testimonium dicimus. Sentimus veram esse de Deo doctrinam in libris propheticis et apostolicis traditam, et filium Dei iudicaturum esse omnes homines, et daturum aeternam salutem iis qui Evangelio obediunt, et abiecturum in aeternas poenas illos qui contemnunt, aut oderunt Evangelium. Sentimus praecipue Deo hoc officium a toto genere humano, et a singulis hominibus deberi, ut hanc ipsam doctrinam per Prophetas, Christum, et Apostolos traditam servari et illustrari curent, et propagationem adiuvent, sicut scriptum est: Qui non colligit mecum, dissipat.

Sentimus vicissim vere diligi a Deo, exaudiri, et servari[1]) hanc Ecclesiam, quae Evangelium incorrupte sonat. Sentimus etiam, hanc ipsam doctrinam, quae in Ecclesiis nostris proponitur, vere esse sententiam scriptorum Propheticorum et Apostolicorum, de qua symbolorum et probatorum scriptorum testimonia extant.

Manet enim in Ecclesia in aliquibus vera sententia de Dei voluntate, alias illustrior, alias obscurior, etiamsi ordinaria potestas saepe prorsus profana[2]) est, et tetros errores defendit, sicut in Zacharia, Simeone, Maria, Elizabeth fulsit lumen Evangelii[3]), etiamsi Annas et Caiphas erant athei. Nec alligatae sunt promissiones de veritate mansura in Ecclesia ad eos, qui titulum habent ordinariae potestatis, nec legunt, nec didicerunt, nec amant scripta prophetica et Apostolica: et[4]) cum sumpserint inde suae potentiae titulum, deinde novas leges condunt accommodatas[5]) ad suam utilitatem, et pugnantes cum coelesti doctrina, et excogitant strophas, quibus eam ad suas opiniones inflectant.

Sed manet veritas in aliis, qui cum discunt coelestem do-

1) exaudiri, et servari] Seckend.: servari et exaudiri
2) profana] Seckend.: profana et Epicurea
3) Evangelii,] Seckend.: coeleste,
4) et] Seckend.: Immo
5) accommodatas] apud Seckend. deest.

ctrinam, pio pectore se Deo subiiciunt, expavescunt agnitione peccatorum, et rursus eriguntur fiducia misericordiae propter filium Dei mediatorem promissae, et ardentibus votis orant se gubernari a Deo, obtemperant ei, et regi volunt non tantum humanis iudiciis, sed voce Dei. Ideo Esaias videns sequnturas in Ecclesia sui populi, et postea tristes tenebras, precatur Deum ne lucem doctrinae prorsus extingui sinat. Cumque ait: Obsigna legem in discipulis meis, significat mansuram esse doctrinam, velut obsignatam divino Spiritu in mentibus non omnium, sed discipulorum, id est, eorum qui propheticam doctrinam discunt, amant, et amplectuntur, et non corrumpunt eam, sicut et nunc Iudaei, et olim Pharisaei corruptelas excogitarunt, quorum exempla adversarii nostri in multis gravissimis controversiis imitantur.

Cum Paulus toties clamitet: Fide iustificamur, Impossibile est lege iustificari, etc. isti contrarias sententias proponunt, imo inquiunt: homo legi Dei satisfacere potest, et his actionibus meretur remissionem peccatorum. Sed cum nunquam sciat, quando satisfecerit, semper dubitet, an placeat Deo. Ita ostendunt se non auditores esse Pauli, sed mordicus tenere persuasionem humanam, quam anteferunt Paulo diserte diversum docenti. Et cum scriptum Pauli non ausint prorsus delere, audacter fingunt cavillationes ad eludendam Evangelii vocem [1]), quam prolatam ex sinu aeterni patris Deus per Prophetas, Christum, et Apostolos generi humano tradidit, ut de remissione peccatorum certo nobis voluntas Dei nota esset.

Omittimus exempla alia. Nam si plura commemorare vellemus, quum longa futura esset oratio? Num Prophetarum et Apostolorum discipuli sunt, qui sacerdotem, honestum maritum, interfici iubent? Haec iniusta crudelitas ex Phalaridis disciplina est, non ex Prophetica et Apostolica.

Postquam autem ostendimus, et quid sentiamus, et quae sit voluntas nostra in caussa tanta: nunc reliquum est, ut reverenter omnes Reges, Principes, et omnium nationum viros bonos oremus, ut propter gloriam filii Dei, et salutem Ecclesiae, autoritatem suam ad hoc officium Deo a toto genere humano debitum conferant, videlicet ne adsentiantur [2]) iis, qui delere sinceram Evangelii doctrinam, seu Synodi praetextu, seu aliis modis conantur.

Nobis quidem nulla res humana gratior contingere posset, quam videre synodum dignam Ecclesia Dei, in qua, libera et pia

1) vocem] Seckend.: veritatem,

2) adsentiantur] Seckend.: adsentiamur

collatione sententiarum de rebus maximis, explicata veritas inter omnes gentes communi consensu propagaretur. Talem synodum, Ecclesiae necessariam et salutarem, et nos[1]) a Deo ardentibus votis petimus, et aliquoties ab invictissimo Imperatore Carolo Augusto, Domino nostro clementissimo, omnes ordines in hoc Imperio petiverunt, in qua synodo vere, ut Psalmus dicit, convenirent populi et Reges ut servirent Deo: hoc est, in qua veris modis restituerent veram Dei invocationem, et saluti animarum consulerent, non stabilirent idola et pravas opiniones, oppressa veritate partim vi, partim sophismatum praestigiis

Sed huius Tridentinae synodi, quam indixit Paulus tertius, iudicium sequuturos nos esse, nequaquam polliceri possumus. Nosque perspicuae et verae caussae excusnnt: Persona iudicis, qui est inimicissimus nostrae causae[2]); et forma iudicii, in quo nulla libertas est dicendae sententiae, et in suffragium ibunt plures indocti et inimici nostrae doctrinae, et si qui alii[3]) meliores aderunt, deterriti saevitia malorum, non audebunt dicere quod sentiunt[4]): postremo et locus periculum nostris minatur.

Ac primum iustas esse causas, cur Romanum Pontificem non possimus facere iudicem nostrarum controversiarum manifestum est. Nota est enim vox naturae et scripti iuris, quae vetat ei[5]) iudicium permittere, qui reus est ipse et inimicus, et hostilem animum perpetuis praeiudiciis declaravit.

Hoc tantum[6]) dissidium orbis terrarum initio ortum est a reprehensione errorum pontificiorum, quos monachi circumferentes venales indulgentias cum auxissent, postea Pontifex Leo X. edita bulla confirmavit, et cumulavit errores, quorum refutatio maius certamen accendit. Ac sole meridiano clarius est, defendi in bulla Leonis errores pugnantes cum vera Ecclesiae doctrina. Constat autem, Pontificem errantem non faciendum esse iudicem. Cumque reus sit, insuper hostilem animum perpetuis praeiudiciis declarat[7]). Quotannis repetit condemnationem nostrae doctrinae, et magnam crudelitatem exercet in omnes qui amplectuntur nostras sententias, et inflammat reges et principes toto orbe terrarum ad exercendam similem saevitiam.

1) nos] Seckend.: nos quotidie
2) nostrae causae,] Seckend.: causae nostrae,
3) alii] apud Seckend. deest.
4) quod sentiunt:] Seckend.: quid sentiant.
5) ei] Opp. Mel. et Seckend.: illi
6) tantum] Seckend.: totum
7) declarat.] Seckend.: declaret.

Quid aliud nunc quoque iudicaturum esse speremus, quam ut hanc crudelitatem confirmet, quam necessariam esse iudicat ad retinendam potentiam et eius nervos. Suntque potentiae ipsius nervi idola et falsae opiniones, quas taxamus. Scimus hanc tam tristem repraehensionem multis magnis viris politicis ingratam esse, et nos non sine magno dolore hos Ecclesiae [1]) morbos commemoramus. Sed nimis [2]) vera est [3]) haec commemoratio, et nunc quidem necessaria, quia aliquos esse de Deo testes [4]) oportet.

Deinde qualis erit iudicii forma? Initia iam vidimus: habitae sunt orationes, in quibus Amphictyones [5]), qui sunt Tridenti, iactitant Romanum Pontificem et ei addictos nullis doctrinae erroribus contaminatos esse, et queruntur ab aliis sparsas esse haereses, nec dubium est eos id crimen in nos conferre. Tales quid iudicaturi sint, iam ostendunt. Et accedunt alii multi [6]) Episcopi, quibus solis suffragatio conceditur, ignari doctrinae de Deo, et opiniones de Ecclesia peregrinas et ethnicas circumferentes, dediti voluptatibus, et ardentes odio nostri, quia aliquid diminui de dignitate sua nostris clamoribus arbitrantur. Hi habent adiunctos monachos indoctos, partim fascinatos stulta superstitione, partim agnitam veritatem ceu furiis agitati delere conantes.

Haec tota turba iudicum, etsi per sese abhorret a veritate, tamen sicubi [7]) in rebus manifestis luce veritatis convicta mutare aliquid [8]) in pontificiis sententiis vellet, non auderet. Tota enim unius arbitrium intuetur. Id non esse iudicium Ecclesiae, nec sententiarum collationem, res ipsa loquitur. Etsi enim et pauci aliqui Nicodemi similes aderunt, hi tamen vix gemitu sententiam suam significare audebunt. Et ut maxime aliquid recte monerent, maior pars vinceret.

Haec cum sint manifesta, iniuste faceremus, si illius multitudinis, quam veritati inimicam esse scimus, audaciam confirmaremus: quod fieret, si istam Synodum iudicem faceremus. Nec dubium est, nihilo nos iustiores aut liberiores iudices habituros esse, quam habuit Theramenes Critiam et caeteros collegas.

---

1) Ecclesiae] apud Seckend. deest.
2) nimis] sic Opp. Mel. et Seckend.; in Sylloge illa legitur: nimius
3) est] Seckend. typ. errore: et
4) de Deo testes] Seckend.: testes de Deo
5) Amphictyones,] Seckend.: illi Amphictyones,
6) alii multi] Seckend.: multi alii
7) sicubi] apud Seckend. deest.
8) mutare aliquid] Seckend.: etiamsi quid mutare

Praeterea ad iudicii formam pertinet, certo constitui, an ex iure divino, ex symbolis et certis testimoniis doctrinae Apostolorum pronuntiandum sit, an vero ex recenti consuetudine sexcentorum annorum, et Decretis, quae aut ex superstitione[1]) nata sunt, aut condita sunt, ut munirent potentiam, et ex diluta theologia Thomae, Scoti, et similium.

Imo[2]) vero in[3]) tertia sessione synodi Tridentinae decretum est, non dissentiendum[4]) esse ab iis traditionibus et interpretationibus, quae sunt ipsis usitatae. Haec si erit norma iudicii, quid pronuntiaturi sint de nostris sententiis[5]), iam liquet. Damnabunt hanc propositionem: Fide iustificamur, quia non sequitur[6]) Thomae interpretationem, quae est corruptela pugnans cum ipso Paulo, et cum vetustis et sanioribus enarrationibus. Damnabunt hoc dictum: Una oblatione consummavit omnes qui sanctificantur, quod affirmat, unicum fuisse sacrificium propitiatorium, mortem filii Dei. (Nunc[7]) constat[8]) coenae Domini administrationem non esse sacrificium, quale ipsi docent, applicandum pro aliis, ut mereatur remissionem peccatorum. Habent enim contrariam persuasionem, quae multis seculis late vagata est.

Si ex his recentibus opinionibus pugnantibus cum Apostolica doctrina pronuntiabitur, nihil opus est synodo. Nota enim sunt haec recentia, et ob hanc ipsam caussam a nostris reprehensa, quia cum ab Apostolica doctrina dissentiant, quae est immotum et immutabile decretum Dei, necesse fuit ad apostolicam doctrinam mentes hominum revocari.

At dicent, cum pleraeque sint scripti et sententiae controversiae, ῥητοῦ καὶ διανοίας, cur magis vestrae interpretationi, quam nostrae, quae consensu aliquot seculorum comprobata est, crederemus? Etsi haec obiectio plausibilis est, tamen omnes pii, doctrina mediocriter exculti, vident quid respondendum sit.

Primum[9]), non sunt omnia obscura in sermone divino et in symbolis. Nulla igitur interpretatio cum fontibus pugnans, recipienda est. Non enim gignenda est nova de Deo doctrina, ut

1) ex superstitione] sic Opp. Mel. et Seckend.; Sylloge habet: superstitione
2) Imo] Seckend.: Iam
3) in] in Opp. Mel. deest.
4) dissentiendum] Seckend.: discedendum
5) de nostris sententiis] apud Seckend. desunt.
6) sequitur] Seckend.: sequimur
7) Nunc] Seckend.: et nunc
8) constat] in Opp. Mel. et apud Seckend. deest.
9) Primum,] Seckend.: Primo

fecerunt ethnici, Orpheus, Hesiodus. Ostendimus autem multas adversariorum interpretationes pugnare cum fontibus, et genus doctrinae novum esse, non traditum a Deo. Ethnicum est enim, quod fingunt prodesse sacrificium ex opere operato sine bono motu utentis.

Deinde constat et hoc, recentia secula, quorum consensum sequuntur adversarii, discessisse a veterum scriptorum [1]) saniorum interpretatione. Videndum est igitur, utra interpretatio, nostra an contraria, pugnet [2]) cum fontibus, hoc est, cum scriptis propheticis, et apostolicis symbolis, et certis testimoniis Apostolicae sententiae.

Hanc esse normam iudicii oportebat. Nec nos ignoramus, multos praestigiatores, ut stabiliant idola et pravas opiniones, praetexere antiquitatem, et inflectere integras conciones Christi et Apostolorum ad [3]) humanas opiniones contra nativam sententiam, et illustria primae Ecclesiae testimonia. Ac magnum decus sapientiae multi in collegiis pontificiis et in aulis [4]) Regum esse putant, artificiose pingere idola, et concinna [5]) aliqua interpretatione falsas opiniones lenire.

Hi ludi, cum multis modis Ecclesiae perniciosi sint, profecto exemplum non est confirmandum. Nam si his fucosis interpretationibus excusare licet errores, qui nunc tuxuti sunt, aliquanto post etiam ethnicis religionibus, ut diabolus instigat levia ingenia ad deridendum Deum, affingentur bellae excusationes.

Esset autem impietas, talibus sophistis [6]) permittere cognitionem, qui non habent studium veritatis: sed cum videant hoc plausibilius esse [7]), tantum quaerunt praetextus, ut quoquo modo [8]) praesentes ritus tueantur [9]). Oramus autem omnes graves viros amantes Ecclesiam Dei, ne audiant tales agyrtas, corrumpentes doctrinam de invocatione, quam purissimam esse oportet.

Cum mens in invocatione quaerit quem alloquatur, et an et cur audiantur nostrae preces, necesse est sciri hunc esse verum

1) scriptorum] apud Seckend. deest.
2) pugnet] Seckend.: congruat
3) ad] Seckend.: et
4) pontificiis et in aulis] Seckend.: Pontificum et aulis
5) concinna] Seckend.: continua
6) sophistis] sic Opp. Mel. et Seckend.; Sylloge: sophisticis
7) cum videant hoc plausibilius esse,] haec h. l. apud Seckend. desunt.
8) ut quoquo modo] Seckend.: quomodo
9) tueantur.] Seckend.: tueantur, quia id vident regibus gratum et plausibile esse.

Deum, creatorem coeli et terrae, et conditorem Ecclesiae suae, qui se nominat patrem Domini nostri Iesu Christi, et certo exaudire propter filium, quem voluit pro nobis victimam fieri, et constituit *μεσίτην καὶ ἱκέτην καὶ ἀρχιερέα.*

Hic si oculis obiicit ille praestigiator Georgium, Martem, Iunonem, Annam, et dicet[1]) congruere has invocationes, iam re vera Deus horribili[2]) contumelia afficitur.

Artaxerxes votum fecerat, aegrotante incesta coniuge, se Iunonem solam velle colere, si sanaret mulierculam, et velle totam viam ab arce Babylonica ad templum auro tegere, quod ipsi donaturus esset.

Haec si talis aliquis sophista leget, quaeret speciosam interpretationem. Dicet Iunonem significare unicam aeternam mentem, seu *πρόνοιαν* rectricem, et Deo gratam esse munificentiam[3]), qua templa ornantur, ut sacerdotes ali, studia iuvari, pauperum inopia sublevari possit.

Tales fuci semper et fuerunt[4]), et erunt perniciosae corruptelae invocationis verae, de qua concionatur Evangelium. Quare adversari talibus, quamlibet speciosis interpretationibus, necesse est.

In historia passionis filii Dei, insignis imago proponitur, cum oculi filii Dei teguntur fasciis, et undique facies caeditur colaphis, et adduntur virulenti sarcasmi: Vaticinare quis te percusserit. Irrident velatum: quasi aut non videat a quo contumelia afficiebatur[5]), cum velit perhiberi vates: aut etiam si videat, dissimulare tamen, et accipere iniuriam cogatur.

Quid tam simile est huic imagini, quam illae fucosae erratorum interpretationes[6])? Veritatem tanquam captivam isti producunt, ac primum oculos eius velant, hoc est, nudam cerni nolunt. Deinde alii aliunde colaphos infligunt, hoc est, corruptelis novis eam lacerant. Et sibi ipsis[7]) plaudunt, et[8]) tanquam re bene gesta triumphos agunt inter suos, et Epicurea audacia sibi persuadent non cerni has fraudes a Deo: nec verentur iudicia hominum, freti potentum favore.

---

1) dicet] Seckend.: dicit
2) horribili] Seckend.: horribiliter
3) munificentiam,] Seckend.: magnificentiam,
4) et fuerunt,] Seckend.: et fuerunt, et sunt,
5) afficiebatur,] Seckend.: afficiatur,
6) erratorum interpretationes?] Seckend.: errorum excusationes?
7) ipsis] Seckend.: ipsi
8) et] in Opp. Mel. et apud Seckend. deest.

Adversus tales sophistas, in tantis periculis extremae senectae mundi, profecto diligentia et circumspectione opus est, ne et haec quae iam restituta sunt, novis praestigiis obruantur, et ne [1]) hoc exemplo confirmentur petulantia ingenia, quae libenter omnes religiones miscent.

Omnium virtutum longe maxima est, maximeque necessaria, vera Dei invocatio: quae est rectrix omnium periculorum vitae, et radix caeterarum virtutum, et praesidium in hac miseria humana praecipuum. Huius virtutis doctrinam vult Deus omnibus hominibus notissimam esse [2]), et servari incorruptam. Facile autem deerrant humanae mentes a Deo: et in quam tetros furores ruant, postquam semel impulsae diaboli laqueis tenentur, ostendunt idola, et perniciosi errores omnium seculorum atque aetatum.

Ideo non concedendum est, ut homines Epicurei, aut ignari doctrinae coelestis, et non amantes veritatem, et studiosi sophistices, de his controversiis pronuntient.

At dicet aliquis: Nullane patiemini iudicia, nullam cognitionem? Imo non dubitamus, membra verae Ecclesiae Dei passim in toto orbe terrarum, quo perferri doctrina potuit, quotidie iudicium facere [3]) de doctrina, et multi suam sententiam declarant, qui ut testentur se probare hanc doctrinam, confessionem eius vitae suae [4]) anteponunt.

Non igitur desunt iudices et testes nostrae sententiae. Atque utinam de his tantis rebus, quas universo generi humano notissimas esse oportebat, in iudicio vere ecclesiastico possemus nostras sententias cum viris doctis, timentibus Deum, et amantibus veritatem, conferre. Cur autem eius synodi cognitionem expeteremus, in qua non solum nos non audiemur, sed etiam aliis recte sentientibus libertas dicendae sententiae nulla concedetur?

Postremo et loci periculo iuste movemur, ubi cum nostri tuto versari, praesortim emissa aliqua libera voce, non possent, satis excusati sumus, quo minus ad eum locum accedamus.

Extant et vetera et probata exempla sanctorum patrum, qui Synodos defugerunt, quanquam autoritate summa indictas, cum suspicabantur non hoc agi ut veritas patefieret, sed ut stabiliretur aut tyrannis, aut impium aliquod dogma.

Imperator Constantinus edicto luculenter et severe scripto

1) et ne] Seckend.: nec
2) notissimam esse,] Seckend.: esse notissimam
3) facere] Seckend.: ferre
4) vitae suae] Seckend.: suae vitae

praecepit gubernatoribus Ecclesiarum, ut in Tyro convenirent. Etsi aliqui eo viri boni, et Deum recte colentes accesserunt, ut Potamon martyr, tamen plures Episcopi colludebant cum Ario. Cum igitur Athanasius videret se habiturum esse iniquos iudices, noctu discessit: cumque ad Imperatorem, qui non procul erat, venisset, coram Imperatore, quanquam irato, se excusavit.

Deinde Constantius[1]) synodum Antiochiae coëgit frequentissimam[2]). Ad hanc noluit accedere[3]) Maximus Hierosolymorum episcopus, cum quidem loci vicinitas eum invitare posset. Sed norat[4]) quo voluntas Constantii[5]) propendebat, vel potius quid machinarentur illi impostores, qui mirificis technis depravabant Imperatoris animum.

Postea cum Photinus horribilem tumultum in Pannonia excitasset, renovans veterem Ebionis blasphemiam, ac negans in Christo duas esse naturas, Imperator, ut in re magna, synodum convocat Syrmium. Ad hanc magnitudo negotii invitare debebat omnes, praesertim qui non longe aberant. Venit autem eo magna frequentia Arianorum, quae cum suspecta esset piis Episcopis in occidente, plurimi eo accedere noluerunt. Ex praecipuis vero venit eo Hispanus quispiam[6]), Osius Cordubensis episcopus, quem Imperator propter nominis celebritatem peculiariter evocarat. Cumque ibi astute depravatum esset Nicenum symbolum, Osius ambiguitatem verbi, quod insertum erat, stulta opinione tranquillitatis approbavit.

Postea cum eius autoritatem haeretici allegarent, Ecclesiae in multis regionibus perturbatae[7]) sunt. Ideo Hilarius aspere queritur de Osio, eique non solum imprudentiam, sed etiam levitatem tribuit. Quare multo satius fuisset, Osium non venire in synodum.

Cyrillus episcopus Hierosolymorum, qui defendit *ὁμοούσιον*, et cum Gregorio Nazianzeno tandem consensit[8]), aliquoties citatus a Synodis, non accessit ad eas, ac primus dicitur usus scripta appellatione.

---

1) Constantius] sic recte Seckend.; Sylloge et Opp. Mel.: Constantinus
2) frequentissimam.] Opp. Mel. typ. errore: frequentissimum.
3) noluit accedere] Seckend.: venire noluit
4) norat] Opp. Mel.: norant
5) Constantii] sic recte Opp. Mel. et Seckend.; Sylloge: Constantini
6) quispiam,] Seckend.: quidam,
7) perturbatae] Seckend.: magis perturbatae
8) consensit,] Opp. Mel.: consentit,

Imperator indixerat, ut Mediolani convenirent Episcopi ex oriente et occidente. Ibi cum Paulinus episcopus Trevirensis, et pauci quidam alii animadverterent Auxentium favere Arianis, statim initio discesserunt, ac fuerunt caeteris autores discedendi. Non enim volebant praetextu synodorum deleri veritatem.

Cum igitur similes causas habeamus, ne Tridentinam Synodum probemus, quales illi habuerunt in fugiendis aut relinquendis impiis Synodis, satis nos et hae caussae et haec exempla excusant.

Precamur autem Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut sicut se [1]) immensa bonitate generi humano patefecit, ita servet inter homines lucem Evangelii, nec sinat eam deleri humanis furoribus quibuscunque. Precamur etiam, ut voce Evangelii colligat sibi in multis gentibus aeternam Ecclesiam [2]), a qua vere invocetur et celebretur, et ubique terrarum idola evertat. Oramus etiam [3]) propter gloriam Dei [4]) et salutem Ecclesiae invictissimum Imperatorem Carolum Augustum, Dominum nostrum clementissimum, et omnes reges et principes, ne praetextu synodi sinant damnari manifestam veritatem, et confirmari idola, et iniustam saevitiam passim grassantem: ac sibi ipsis comminationes divinas proponant, in quibus dicitur: Blasphemia Spiritus non remittetur hominibus. Item, Veniet super vos sanguis iustus effusus inde usque a nece Abel iusti, etc. Non assentiantur hypocritis, qui agnitam veritatem obruere conantur. Non sint ministri alienae crudelitatis: sed quaerant salutaria consilia ad fovendam Ecclesiam Dei, quae profecto in hac mundi [5]) senecta fit angustior et aerumnosior. Haec reverenter, ut in Ecclesia Dei, sine ullis privatis cupiditatibus petimus. Non enim delectamur dissidio, nec ignoramus nostra pericula et nostras aerumnas: sed assentiri non possumus, ut Evangelii lux, et doctrina necessaria Ecclesiae Dei aboleatur, nec societate crudelitatis polluere mentes nostras, et universam posteritatem nostram volumus.

Haec est plana [6]) consilii ratio: quam cum iustissimam esse constet, ab ea non discedendum est, et exitus Deo commendandi [7])

---

1) se] apud Seckend. deest.
2) aeternam Ecclesiam,] Seckend.: ecclesiam aeternam,
3) etiam] Seckend.: autem
4) Dei] Seckend.: Christi
5) mundi] apud Seckend. deest.
6) plana] Opp. Mel.: plena
7) commendandi] Seckend.: committendi

sunt. Sicut saepe docet vox coelestis, ut in Psalmo 36. Subditus esto Deo, et ora eum. Item, Expecta Deum, et custodi viam eius. Et hunc ipsum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem omnium rerum et Ecclesiae suae oramus, ut nos gubernet et defendat, Amen.

---

306. No. 3514ᵇ. (Vol. VI. p. 200.) 17. Jul.

Vitus Theodorus ad Melanchthonem.

Bernh. Frid. Hummel Epistolarum historico-ecclesiasticarum Seculo XVI. a celeberrimis viris scriptarum Semicenturia (I.) (Halae 1778. 8°.) p. 63 sq. No. XXXII.

Phil. Melanchthoni.

S. in Domino. Tandem consilia Caesaris patefacta sunt, cur colloquium instituerit Ratisbonae. Nam in Replica, quae nostris hisce diebus oblata est, ostendit, se ad componendas religionis controversias curasse concilium fieri, ac se nunc monere, ut nostri eo suos mittant et concilii summam amplectantur. Qui Tridenti sunt, ut audio, nunc in loco iustificationis explicando occupantur. Ibi audiemus Malvendae sapientiam. Augustanorum consilium frustra fuit. Nam, ut proxime quoque scripsi, duces et milites praemoniti diffugere. Ulmensium praefectus pylas, qua ad Germaniam ex Italia transitus est, occupavit; Augustanus autem dicitur subsecutus Caesarianos et assecutus quoque nonnullos. Ex Vienna Ratisbonam missae sunt bombardae ad disiiciendos muros factae 18, pulveris bombardici mille et ducenti centenarii. Additi sunt his ceu custodes Hispani circiter 1400, quorum immanitas plus quam Turcica esse fertur. Narrant hanc historiam nostri mercatores, qui recens venerunt Vienna. „Decem Hispanos occupasse molam, hospitem statim ad trabem ligatum et raptas tum uxorem tum filias ad stupra, postea solutum vinculis hospitem coactum, ut vinum et alia necessaria curaret. Id fecit, dissimulato dolore et ira, liberaliter. Postquam autem vino sopiti milites sunt, ipse, occlusa stuba, convocat paucos vicinos, eos ad fenestras stubae collocat armatos et fornacem igne complet. Excitati fumo et aestu Hispani frustra occlusam ianuam tentant; deinde per fenestras conati elabi, occiduntur ad unum omnes." Utinam horum exemplo reliqui quoque omnes pereant! Legi tuum scriptum Pomerani nomine editum atque hic recudi curamus. Continet enim exhortationem saluberrimam ac his temporibus inprimis

necessariam. Bene vale in Domino, carissime Philippe, et scribe saepius. Opus enim nobis est, ut a te confirmemur. Datae Noribergae XVII. Julii 1546.

Vitus.

---

307. No. 3519 b. (Vol. VI. p. 204.) 25. Jul.

Ambrosio Moibano.

Huius epistolae ex Simleri collectione Tigurina (S. Msc. 61.) apographon per Cl. Virum Voegelinum accepi.

Reverendo viro, eruditione et veritate praestanti D. Ambrosio Moibano, Doctori Theologiae, gubernanti Ecclesiam Dei in inclyta Urbe Vratislavia, fratri suo cariss.

S. D. Reverende vir et amice carissime. Servabit Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, Ecclesiam suam, et in ea pias familias, et earum hospitia, etiamsi fatalibus causis ruunt Imperia. Diu iam a Ioh. Filio nihil accepi literarum, quarum iter bellis impediri existimo. Quare te oro, ut, si quid habes, de eo mihi scribas. Zachariae filii tui convictor in Academia Ienensi fuit hic magister Adamus Cureus, Freistadiensis, doctus et honestus vir, qui isthuc proficiscitur, quia in patria servire Ecclesiae mavult, quam alibi. Et commendatus est Viro honestissimo, Domino Morenberger. Vir modestus et recte eruditus est, et mores sunt honesti, et scio studiosum fore communis concordiae. Quare te oro, ut eum complectaris, et tua autoritate adiuves. De bello germanico non libet scribere. Vestrae urbi et tibi tranquillitatem gratulor, et Deum oro, ut nos protegat.

Mitto tibi orationem D. Capnionis, cuius lectionem spero tibi non insuavem fore. Bene vale. Die Iacobi Apostoli, filii Salomes.

Philippus Melanchton.

---

308. No. 3521 b. (Vol. VI. p. 206.) 29. Jul.

N. N.

Ioseph. Chmel in libro suo: ***Die Handschriften der k. k. Hofbibliothek in Wien.*** 2 Bde. (***Wien*** 1840. 1841. 8°.) Tom. I. p. 240. in descriptione Codicis MS. Nro. 7589*. Codd. 199—203. complectentis memorat, in Cod. 199. Miscellanea quaedam historica continente Fol. 12. exhiberi epistolam 4. Cal. Sextil. 1546. a Melanchthone Witebergae ad Anonymum scriptam, quae sic incipiat: „Romae vigesima prima huius mensis publice indictum est bellum Nomine caesaris et papae, non adversus inobedientes imperii tantum, ut volebat Caesar, sed adversus protestantes . . .“ (1 pag.) Hanc epistolam integram hucusque non vidi.

309. No. 3576 b. (Vol. VI. p. 248.) 12. Oct.

Vito Theodoro.

Inter Codices MSS., qui in Bibliotheca Seminarii theol. Witenbergensis asservantur, exstat No. 4.: Index aliquot epistolarum Melanchthonis, quarum apographa I. S. Vater olim possidebat et ineditas indicabat. In hoc Indice memoratur quinto loco Mel. epistola ad Vitum Theodorum 12. Oct. 1546. scripta, quae incipit a verbis: Apud Euripidem Theseus non vult secum proficisci Adrastum. Hanc epistolam ipsam non inveni.

310. No. 3586 b. (Vol. VI. p. 255.) 30. Oct.

Georgio Sabino.

Haec epistola primum edita est a Baxmanno in Niedneri Ephemeridibus Zeitschrift für die historische Theologie anni 1861. No. VII. Dreissig noch nicht gedruckte Briefe Luthers, Melanthons und einiger Zeitgenossen. (p. 601—642.) p. 622. epist. 9.; postea iterum a Frid. Koldewey in iisdem Ephemeridibus anni 1872. fasc. I. No. 1. Neun bisher nicht gedruckte Briefe Melanthons über und an Martin Kemnitz. (p. 3—23.) p. 10. epist. 1. Hic alter editor autographon Melanchthonis, quod nunc in Bibliotheca ducali Guelferbytana asservatur, prior autem editor Crameri, Pastoris Ecclesiae Quedlinburgensis, apographon, quod in Bibliotheca Seminarii theologici Witenbergensis exstat, ob oculos habuit. De anno, quo scripta est, vide Baxmann l. l. p. 613. et Koldewey l. l. p. 5.

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti D. Georgio Sabino, consiliario Inclyti Ducis Borussorum, genero suo carissimo.

S. D. Egregia est eruditio et virtus Martini[1]) cognati tui, et habiturus erat in his regionibus honestum locum, si tranquilliora essent tempora. Nam et princeps Ascanius[2]) iam ei spem ostenderat. Nec bellum in ripa Danubii studia harum regionum turbasset. Sed Erinnyes aliud malum propius excitarunt, quod Deus avertat. Nunc igitur ad te Martinus proficiscitur, nec consilium tantum sed etiam auxilium a te petit. Certe usui esse poterit in docendo etiam in Academia frequenti. Bene et feliciter vale. die 30. Octobris. (1546.)

Philippus Melanthon.

1) Martini Chemnitii, quocum Sabinus ex linea materna in tertio gradu consanguinitatis in linea inaequali cognatus erat, vide Koldewey l. l. p. 16. not. 1.

2) Georgius III. Princeps Anhaltinus, Episcopus Merseburgensis, conf. Koldewey l. l. p. 17. not. 2.

311. No. 3678 b. (Vol. VI. p. 334.) 25. Dec.

Sigismundus Gelous ad Melanchthonem.

Haec epistola exhibetur in to. Fechtii libro: Historiae ecclesiasticae Seculi a. n. C. XVI. Supplementum; plurimorum et celeberrimorum ex illo aevo Theologorum epistolis, ad Ioannem, Erasmum et Philippum, Marbachios, — constans. Divisum in VIII libros. (Francofurti et Spirae 1684. 4°.) P. VIII. p. 879—883.

Clarissimo, Doctissimo et omnibus virtutibus excellenti Viro, D. Philippo Melanchthoni bonarum artium et caelestis doctrinae assertori, Praeceptori et tanquam patri suo longe carissimo ac perpetue colendo.

S. P. D. Quod me dignum habes, mi Praeceptor, quem literis tuis[1]) ornes, habeo tibi gratiam, quibus ego ita delector, ut illis in hac vita gratius ac iucundius nihil habeam. Hae sunt opes meae, hi thesauri, hae summae deliciae. Aliorum quamvis coniunctissimorum hominum literas, semel perlectas, repono, harum lectione satiari nullo modo possum. Vicies eas in die promo, ac quoties sumsi in manus, sive cum aperio, sive cum convolutas claudo, iterum atque iterum deosculor, et de ardentissimo cordis affectu complector, cuius mihi vivam quasi imaginem hae referre videntur. Te ipsum mihi propono, cogito tuam in congressibus festivitatem, summam gravitatem, singularem prudentiam, incredibilem pene lenitatem ac mansuetudinem. Ista cogitatione plerumque et solitudinis taedium vito, et doloris, quem ex communibus aerumnis capio, acerbitatem lenio. Iam tertiam abs te epistolam[1]) accepi. Ego nullam occasionem neglexi, quin aliquid ad te literarum dederim. Te vehementer rogo atque oro, ut deinceps quoque ad me scribas, devincies me tibi aeterno et immortali beneficio. Et quanquam omnia summa officia tibi debeo, tamen si hoc quoque beneficium prioribus tuis meritis adieceris, magna et insigni accessione tuum erga me amorem confirmaris, nec erit quicquam, quod ad arctissimum perfectissimae obligationis vinculum requiri amplius possit. Humanum est, ut noster Cicero inquit, cui multum debeas, ei plurimum velle debere. Quod me hortaris, ut dolorem, quem conspectus calamitatum et servitutis Pannonicae mihi adfert, moderem, equidem id sedulo facere studeo, sed aerumnae, quae quotidie nuntiantur, rationem et consilium superant. Turci indies ulterius procedunt atque imperii

1) Hae tres epistolae nondum repertae sunt. In Corpore Ref. invenitur nonnisi serius, d. 20. Maii 1559. a Melanchthone ad Sig. Gelonm scripta.

sui limites promovent, et quod simplicium animos valde movet, videtur Christus professionem suam Mahometo cedere, qua cogitatione dementati non pauci fidem abnegant, et se incidi patiuntur. Toties vidimus Pannonicos campos Christiano sanguine stagnare, nunc quoque etsi oratores Regis de pace componenda ad Caesarem Turcarum Constantinopolim missi sunt, hostes tamen nihilo minus loca omnia, quae nondum subacta sunt, ferro ac flamma vastant, et ut illa apud Homerum[1]) Meleagro quaeritur:

Ἄνδρας μὲν κτείνουσι, πόλιν δέ τε πῦρ ἀμαθύνει,
τέκνα δέ τ' ἄλλοι ἄγουσι, βαθυζώνους τε γυναῖκας.

Ademtae sunt nobis hoc mense Novembris, in Somogio arces munitissimae, Dombo, Debregest, Turris Simonis, Tamasi, Ozora. Fuit in Simonis turri collocatum praesidium trecentorum veteranorum militum, hos Turci quotidie ad faciendam deditionem sollicitabant, ac interposita sui imperatoris fide, faciebant eis potestatem abeundi. cum rebus suis, et cum impedimentis omnibus, ac quocunque vellent commigrandi. Tribunus militum ubi vidit munitionem teneri amplius non posse, suos cohortatus dixit multa graviter de perfidia hostium, exempla commemoravit. Dixit, quid Christiana fides postulet, praestare pro gloria Christi honeste mortem appetere, quam arce dedita, aut in perpetua ignominia vivere, aut pecudum instar inermes obtruncari. Quos ubi satis animatos vidit, paucis secum retentis, in hostes emisit, sperabat eos Turcorum castra disiecturos esse aut consternatis subito pavore illorum animis arcem oblivione liberaturos. Dimicarunt illi fortissime tamdiu, donec lassati continue hostium caede a circumfusa multitudine ad unum omnes obtruncati sunt. Qua victoria elati Turci sine mora munitionem invadunt. Tribunus de praesidio desperans patefacta porta erumpit, tanto impetu, ut eum non secus ac[2]) fulmen quoddam, hostes quoquo se converterat, devitarint: ita obvios quosque caedendo per mediam Turcorum aciem perrupit atque incolumis abiit. Nostros Principes interim, Deus bone, quantus veternus habet? sed nimis vigilant ad effundendum innocentem sanguinem, ad expilandos subditos *δημόβοροι βασιλῆες*. Non possum interitum patriae siccis oculis spectare: sed cum mederi exitialibus malis nequeam, funera tantum eius lugubri lamentatione prosequor. In tanto dolore unicum est perfugium, quod historiae et sacri libri praestant. Huc confugio, in

1) Hom. Il. IX, 593 sq.
2) ac] Fechtius typ. err.: ad

hoc portu tandem conquiesco. Video fatales esse imperiorum periodos. Scio promissam esse ecclesiae perpetuitatem, non sic tamen, ut omnino marcescamus, ut affluamus deliciis, ut auream aetatem speremus. Servabatur et propugnabatur ecclesia etiam, cum captiva serviret in Babylone. Scio regna mundana fluxa esse et caduca, solius Christi regnum in aeternum permansurum. Haec cogito, his me solor, sicut tu quoque sapienter mones. Video Christum potenter dominari in medio inimicorum suorum. Nam quod scribis, te putare, non minorem esse servitutem Christianorum in Belgio, quam sub Turcis, scito in iurisdictione Turcorum ubique libere praedicari evangelium, ut summum beneficium Dei esse dicas, quod has terras a barbaris subiugari permiserit. Etsi enim corpora serviunt, certe evangelii magna lux affulsit et est amplissima libertas spiritus, quam nostri reges, si rerum potirentur, armis et castris impedirent. Benedictus Abaude, homo integerrimus et egregie doctus, qui ante annum isthic ordinatus est in Zeged, quae civitas est opulentissima et maxima, ad Tiscam sita, et in schola et in templo magno cum favore Bassae docet, adeo ut nuper in quadam disputatione ipse Bassa Monachis silentium indixerit, quos non secus ac moriones habet ac minatus est, brevi se eos ex urbe eiecturum, quod ego et fama praenuntiante et non ita multo post ex ipsius Benedicti literis certo cognovi. Stephanus Zegedinus, qui aliquandiu Witebergae bonis artibus operam navavit, concionatur in oppido Ziglet, quod octo milliariis infra Budam Turcae tenent. Emericus, qui nuper isthic rediit, recta se Tolnam contulit, quae iacet in ulteriori ripa Danubii et Turcico praesidio onerata est. Denique licet unicuique Doctori, scholastico, concionatori transire in illorum partes et docere, ubicunque velit, sive in ludis sive in templis, nec praemium consuetum docentibus diminuitur. Verum ego nonnihil subvereor, ne hostes eo tantam libertatem concedant, ut populum ad se alliciant, qui quia verbi divini est cupidissimus, eo confluit, ubi illud pure ac sincere doceri audit. Nec illi tam dementes sunt, ut sylvis et desertis imperare velint, ut ea loca, quae armis subegerint et sanguine suo pepererint, deseri a colonis patiantur. Hominum frequentia gaudent, *ἀλλὰ τρισμέγιστος ἐκεῖνος Παῦλος χαίρει, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ, Χριστὸς καταγγέλλεται.* Hanc tamen suspicionem illud infirmat, quod in ipsa Turcia multi Christum annuntiant. Franciscus Picus, Hungarus, Zegedinus, nunc Galatae, nunc Constantinopoli in magna auditorum frequentia docet, alitur a Gallico oratore et ab aliis Chri-

stianis, qui ibi vel serviunt vel negotiantur. Stephanus Mailalas Vaida Transsylvanus, ceu alter Manasses, compedibus vinctus in carcere Constantinopolitano, cum Valentino Tereo concaptivo suo tenetur, audit quotidie bonas evangelicas conciones, nuper scripsit ad uxorem Christianissimam confessionem et eam causa gloriae Christi orat, ut permittat, reformari ecclesias in sua iurisdictione.

Transsylvania hac aestate Dei beneficio tranquilla fuit, et quanquam aliquot annis est afflicta bellis, tamen iam reviviscit et rursus florere incipit. Construuntur passim ubique multa nova aedificia, magna fuit frugum et omnium fructuum fertilitas. Vina nobilissima copiosissime provenerunt. Sed quod Demades dixerat, regnum Alexandri ipso mortuo simile fore cyclopi, cui Ulysses oculum eruisset, nos quoque oculo et capite caremus. Monachus cum Turcis colludit, intersunt omnibus conventibus Turcici Legati, nec quidquam decerni potest, quin id hosti continuo palam fiat, quia etiam in aula Reginae et Monachi, novi subinde oratores sunt, qui quoquo vadunt, eos sequuntur et magnis muneribus honorari se cupiunt, quae etiam invitis sua importunitate extorquent. Regina cum suo comitatu Polonico dies et noctes helluatur, et tempus omne, quod ab epulis superest, saltationibus dat. Nunc ex puerperio laborat, etsi id ipsa sedulo tegit ac dissimulat. Quod mihi magnam consolationem affert. In tota Transsylvania Christus agnoscitur et celebratur et coelestis doctrina promulgatur, excepta non magna Ceculiae portione, atque Alba Iulia, ubi Canonicorum Collegium est, inter quos Regina agit. Commendatus mihi est a parentibus et consanguineis suis Daniel Coperger, adolescens honesto loco natus, Cibinii, cuius pater Wolffgangus Copergensis primus omnium evangelium amplexus est ac defendit. Te magnopere oro, carissime Praeceptor, ut pro tua bonitate, eius rationem habeas. Praefice ei aliquem privatum Praeceptorem, cuius opera Praecepta Grammatices et primarum artium fundamenta addiscat, apud quem et pecuniam omnem, quam in sumptus accepit, coram te deponat. Habet LXXIII aureos florenos Hungaricos, quibus ad triennium se isthic in studiis houestarum artium sustentare poterit. Commendo tibi et Iosephum Mexnerum, qui est uxori clarissimi viri, Georgii Verneri, ex fratre nepos, atque ut ei itidem privatum Praeceptorem adiungas, et ut eius curam habeas, te pro tua erga me benevolentia valde rogo.

Ego, sicut antea decreveram, ad vos hoc tempore reverti, quamvis miro vestri desiderio tenear, non possum. Recepi instituendos in Italia liberos Francisci Revvne, Propalatini Hunga-

rici, his conditionibus, ut ultra biennium in Italia me extrahi non patiar, quod in arbitrio meo relinquitur, ut detur victus et amictus honestus, ut numerentur quotannis sexaginta floreni nostrae monetae. Ubi Dei beneficio ex Italia reversus fuero, constituenda mihi vita stataria est, nam motoriam, ut nimis tragicam, iam pertaesus sum. Qua in re obsecro, ne mihi consilio tuo desis. Si quid habes, quod in rem meam consulere possis, id mature ad me perscribe. Ero Viennae ad mensem Aprilem. Interim, iucundissime Praeceptor, quaeso aliquid ad me literarum des, quascunque dederis, Vitus Theodoricus ad me commodissime perferri curabit. Statui Medicinae operam dare, cuius discendae si tu mihi brevem rationem praescribas, rem mihi longe gratissimam facturus es. Imperator Turcorum sine dubio appetente aestate, cum exercitu egressurus est. Hic annus de Hungaria statuet. Vale. Tuae coniugi, Dominae mihi omni honore colendae, meis verbis plurimam salutem dicito. Eperiess. ipso die natali Christi M D XLVI.

Lycurgi orationem expecto.

Sigismundus Gelous.

---

312. No. 3685 b. (Vol. VI. p. 338.) (anno 1546?)

Martino Bucero.

Haec epistola et tres subsequentes primum editae sunt a Rev. Viro Carolo Schmidt in Chr. Guil. Niedneri Ephemeridibus Zeitschrift für die historische Theologie anni 1846. fasc. III. p. 433—442. No. XVI. „Dreizehn ungedruckte Briefe Melanchthons; aus dem Archiv des protestantischen Seminars zu Straßburg." Epistolae 4. (p. 435 sq.) Editor haec adnotavit: „Dieser Brief, so wie die drei folgenden [Epist. 5—7. (p. 436 sq.)], sind in der alten Abschrift (aus dem 16. Jahrh.) ohne Datum. Aus dem Inhalte scheint mir aber hervorzugehen, daß sie zur Zeit des regensburger Gesprächs, zu Anfang 1546, geschrieben sind." Conf. autem quae epistolae 314. annotabo.

Viro optimo D. Martino Bucero, amico charissimo.

S. D. Sum equidem magno in dolore, ac lachrymae mihi iam aliquoties ubertim fluxerunt. Nec meas actiones reprehendo, quae et moderatae et ingenuae cum alias, tum etiam hic fuerunt. Principum mihi consilia displicent, in quibus omnibus profecto desidero eam magnitudinem animi quam causa postulabat. Quid est enim, ut infinita omittam, quod iam denegant auxilia contra Turcos? Deinde hoc quam est absurdum, quod cum hoc modo **τὰς διαλλαγὰς** vellent instituere, res non est deliberata inter plures

principes, et adhibitis iis quorum erat valitura autoritas? Non vidi antea Marchionis literas, ac scio *Lutherum* non consulto celasse. Sed quadam desperatione tantae rei negligentius et de libro et de his literis cogitavit. Sed tamen iam legatis moderatissime respondit, pollicitus etiam ut audio se scripturum *πρὸς τὸν αὐτοκράτορα*. Deum oro ut et principum mentes et nostras gubernet ad communem salutem. Privatam amicitiam nostram vera benevolentia ac perpetua tuebor, cupio et publicam tueri, et Deum oro ut haec negotia regat. Non possum hic recensere quam multa mihi in mentem veniant cogitanti omnium temporum Ecclesiae historiam, et inclinationes veterum imperiorum, et significationes horum animorum quibus etiam moveor. Bene vale. Salutem opto domino *Iacobo* [1]).

Philippus Melanthon.

---

313. No. 3685 c. (Vol. VI. p. 338.) (anno 1546?)

Eidem.

Vide Prolegomena praecedentis epistolae 312.

Viro optimo D. Martino Bucero, amico suo.

S. D. Etsi sum in luctu, tamen ad vos, ut petis, veniam. Nam cum exercear curis publicis, nunc etiam auxit molestiam mihi interitus *Philippi*, qui me adolescens coluit, et vicissim mihi tunc propter indolem charus fuit. Postea cum cognovissem eius in Republica fidem, admodum eum dilexi. Sed fortassis ille sua quadam foelicitate ereptus est *τῇ τυραννίδι*. Veniam autem ad Austriacos eo libentius, quod gentis misericordia adficior; cui metuo fatale periculum esse a Turcicis armis, et domi gypaeetus satis inclementer imperat, qui ut adcersat publicas poenas, cum Evangelio bellum gerit. O rem indignam *καὶ βδελυκτήν*, dum Turci Pannonias vastant, hic in vicina urbe Norica sedent nostri heroes, ac disputant an mures Deum vorent, rodentes panem consecratum. Haec vix credet posteritas, si leget. Ego enim curabo, ut haec *στρατηγήματα* nostrorum extent. Bene vale. Haec scripsi commotiore animo, quod quaedam audivi de hodierna deliberatione adversariorum.

Philippus Melanthon.

---

1) Iacobo Sturmio.

314. No. 3685[d]. (Vol. VI. p. 338.) (anno 1546 [1541?])

Eidem.

Vide eadem Prolegomena epistolae 312.

Τῷ εὐσεβεῖ ἀνδρὶ Μαρτίνῳ Βουκέρῳ.

S. D. Repetivi ab Hessiacis explicationem quae responsioni fuit adiecta. Hi polliciti sunt se intra duas horas ad vos missuros esse eas pagellas. Ab his igitur petito, si cessaverint. Spero me hodie exemplum responsionis Eccianorum visurum esse. Ille **ἀλάστωρ Eccius**[1]) heri equo vectus est per civitatem, ac passim Episcopos adiit ut eos confirmaret, ut non de laxandis iniustis legibus, sed de nobis opprimendis ac interficiendis rogitent. Deus dissipet consilia illius. Bene vale.

315. No. 3685[e]. (Vol. VI. p. 338.) (anno 1546?)

Eidem.

Vide eadem Prolegomena epistolae 312.

Viro optimo D. Martino Bucero, in hospicio Argentinensium Ratisbonae.

S. D. Etsi circumfero animo cogitationes et curas alienas ab illis prooemiis hilarioribus quae postulat **Hervagius**[2]), tamen hodie institui praefationem, quam tibi mittam; erit enim longiuscula, propterea quod mihi non de uno genere studiorum, nec de scriptis tantum dicendum est, sed etiam de mea voluntate et consilio quo methodica illa in controversiis theologicis edidi. Mittam autem Noribergam, ut *Vitus* transmittat Argentinam. Quaeso ut significes mihi aliquid de catastrophe conventus et de tuo itinere. Quisquis erit exitus, quem Deo commendare debemus, tamen adhuc ita sentio, nos satis moderate respondisse, nec fuisse confirmanda illa quae quadam subtilitate involvere et tegere **L. Gellius**[3]) voluit. Fuit consilium non imprudenter excogitatum; sed videmus humanam sapientiam saepe hallucinari in gubernatione religionum. Rogo ut mihi scribas istic. Bene vale. Salutem opto τῷ Ἰακώβῳ. Ex Lengefeld.

Φιλ. Μελ.

1) Cum Eccius d. 10. Febr. 1543. mortuus sit (vide supra p. 180. no. 249. Viti Theodori ad Lutherum epistolam), haec epistola non cum Schmidtio ad annum 1546., sed aliquem priorem, fortasse 1541. (quo anno aliud Colloquium Ratisbonae habebatur,) referenda est.

2) *Herragius*] Schmidt l. l. p. 437. typ. err.: *Hernagius*

3) *L. Gellius*] Schmidt adnotavit: „In margine: *Forte D. Chelius* (?)".

ANNO 1547.

316. No. 3710 b. (Vol. VI. p. 366.) 20. Jan.

Georgio Sabino.

Hoc fragmentum literarum, quas Melanchthon ad Georgium Sabinum, generum suum, 20 Jan. 1547. Servestae dedit, primum typis divulgatum est in Gnaphei Antilogia extemporali Lit. C. 3., deinde in Toeppen libro supra p. 86. sub no. 113. recensito p. 310. no. 5.

(*Fragmentum.*)

In Gnapheis (?) sententiis de discrimine coelestis doctrinae et Philosophiae, ego quidem nihil vidi, quod reprehensurus fuissem. Scribam ad Staphylum eumque hortabor ad studium tranquillitatis tuendae in Academia, quae debet esse decus Ecclesiae. Certe si existimassem naturam eius tam iracundam, non fuissem hortator, ut in Academiam vestram proficisceretur.

---

317. No. 3726 b. (Vol. VI. p. 378.) 1. Febr.

Henrico Duci Megapolitano.

Hanc epistolam ex autographo, quod in secreto tabulario Megapolitano Suerini asservatur, primum typis describendam curavit G. C. F. Lisch in Annalibus ab ipso editis: Jahrbücher des Vereins für meklenburgische Geschichte und Alterthumskunde. V. Jahrgang. (Schwerin 1840. 8°.) p. 247 sq. Nr. 12.

Dem durchleuchten, hochgebornen fursten vnd herrn, herrn Henrich hertzogen zu Meggelburg, fursten zu wenden, Grauen zu Suerin, Rostok vnd Stargarden &c. der lande herrn, meinem gnedigen fursten vnd herrn.

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vnsern heiland zuuor. Durchleuchter, hochgeborner, gnediger furst vnd herr. Wie wol zu wunschen were, das die jungen chur vnd fursten vor anfang des kriegs E. f. g. alß einen alden, weisen, hochloblichen fursten vnd vettern auch zu radt gezogen hetten, vnd nu eben spat ist, nach dem schaden radt zu suchen, gleich wol ist noch zu versuchen, ob durch gottes gnad frid zu machen were, wie auch der durchleuchtest hochgeborn furst vnd herr, herr Joachim marggraue zu Brandenburg churfurst &c., mein gnedigster herr, der handlung ein anfang gemacht. Es wirt aber von vielen bedacht, das seer nützlich were, das E. f. g. eigner person In Meyssen zu beiden Jhren vettern Eilend ankhemen, da E. f. g. aller sachen gelegenheit selb vernemen mochten. Hertzog Moritz lasst sich vernemen, Ehr khonne sich one keiserlicher vnd koniglicher maiesteten bewilligung In kheine

handlung einlassen; darumb von nöten sein wirt, keiserlich Maiestet vntertheniglich anzusuchen. Ich acht auch, der Landgraue zu Hessen, der zum friden geneigt ist, wisse am bequemsten mittel anzuzeigen, wie dise sachen an K. M. zu gelangen sind. Darumb wollen E. f. g. vmb gottes willen In disem Ihrem alter, Gott zu Ehren vnd dem vaterland vnd den vettern zu gutem, dises gottgefellig werk furnemen. Des bitt ich neben vielen andern In vnterthenikeit. Das man jetzund viel disputirn will, was vor disen Jarn hette sollen verhütet werden, ist viel zu spat. Ists moglich, durch gottes gnaden furohin friden zu machen, daruff ist nu zu gedenken. Dazu wolle der Ewige gott, vatter vnsers heilands Ihesu Christi, gnad vnd hulff verleihen. Datum zu Zeruest 1 Februarii 1547.

E. f. g.

vnterthениger
diener

Philippus Melanthon.

---

318. No. 3986 b. (Vol. VI. p. 646.) 28. Aug.

Martino Bucero.

Haec epistola invenitur inter illas, quas Rev. Vir Car. Schmidt in Niedneri Ephemeridibus supra p. 272. ad no. 312. significatis a. 1846. primum edidit, vide illic p. 437. epist. 8.

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti D. Martino Bucero, docenti Evangelium fideliter in Ecclesia Argentinensi, amico suo.

S. D. Scripsi alias ***Iohanni Sturmio*** meo in litore Baltico inter maris fremitus celebrari doctorum sermonibus ipsius eloquentiam. Nunc ad eum audiendum proficiscitur hic noster auditor, Polonus, natus familia nobili, et literis bene excultus. Apud nos modestissime vixit. Haec ut significarem vobis petivit, ut ad vos aditum haberet; nihil nisi sermonum et doctrinae communicationem petet. Quare eum tibi et ***Iohanni Sturmio*** commendo. Scripsi tibi per ***Milichium*** de nostro Pericle [1]) qui rursus tonare coepit vehementissime *περὶ δείπνου κυριακοῦ*, et scripsit atrocem librum, qui nondum editus est, in quo ego et tu sugillamur. Fuit his diebus hanc ipsam ob causam apud ***Amsdorfium,*** quem unum ad huius consilii societatem adhibet, habetque unum laudatorem huius impetus. Me et ***Crucigerum,*** ut au-

---

1) Schmidt huic nomini adnotavit: Flacius, der damals den Streit gegen Melanchthon begann.

dio, cras vocabit. Deum oro ut det catastrophen nobis et Ecclesiae salutarem. Fortassis divinitus fit, ut rursus moveatur haec res, quam necesse est aliquando explicari. Ego sum tranquillo animo nec invitus ex hoc ergastulo discedam, si infestius me urgebit. Brevi scies reliquam historiam. Bene vale, die Augustini.

Philippus Melanthon.

---

319. No. 4027 b. (Vol. VI. p. 690.) (fere m. Sept.)

Testimonium Wernhero datum.

Ex autographo Melanchthonis, quod cum illa apocha supra p. 131. no. 181. edita Dr. Ginsburg Anglus anno 1868., quo Halis commorabatur, Lipsiae emit et mihi aliquamdiu tradidit, ut scripti utriusque editionem pro ipso in officina Hendelii typographica curarem, germanica interpretatione huius latini testimonii a me addita, cui Dr. Ginsburg anglicam adiunxit. Lituras auctoris more frequenter obvias, quas in illa editione ex voluntate possessoris autographi retinui, nunc omitto. — Autographon, quamquam duo folia formae maximae complectitur, non integrum testimonium exhibet, sed extrema parte caret. Ex aliis enim testimoniis, e. c. illis eiusdem anni, quae in Corp. Ref. VI. p. 446. 494—498., 635 sq. 735—737. leguntur, elucet, in fine plerumque votum vel commendationem, et semper annum diemque adscriptos esse, qui in hoc desunt. Nihilominus erui potest, id auctumno anni 1547. scriptum esse. Nam Album Academiae Witenbergensis ab a. Chr. MDII usque ad a. MDLX., quod ex autographo Car. Ed. Foerstemannus edidit (Lipsiae 1841. 4°.), p. 224. testatur, *Iohannem Wernerum* Rottenburgium ad Tuberim d. 19. Maii 1545. Witenbergae Rectore Udalrico Mordeisen I. U. D. esse inter cives academicos inscriptum. Et ex testimonii verbis: „cum in Academia nostra *amplius biennio* commoratus sit" intelligitur, fere mense Septembri anni 1547. hoc testimonium esse datum.

Decanus collegii philosophici in Academia witebergensi Philippus Melanthon S. D. omnibus lecturis has literas.

Petivit a nobis testimonium de suis moribus, studiis, et gradu adolescens honestus ***Iohannes Wernherus*** natus in oppido Franciae Roteburgo ad Tuberum. Id ei summa voluntate impertivimus, Nam cum in Academia nostra amplius biennio commoratus sit, comperimus eum honestis moribus praeditum esse, et naturam omnium artium capacem esse. Quare non solum grammaticen et dialecticen didicit, sed etiam initia philosophiae percepit. Arithmeticen probe callet, et se praeparavit ad doctrinam accuratiorem de motibus celestibus, cognitione elementorum quae de circulis celestibus, de ortibus et occasibus stellarum, et de anni ac mensium ratione traduntur. quarum rerum doctrinam eo

magis amat, quia mirificus ille ordo motuum celestium accommodatus ad utilitatem animantium, et varias mutationes inferiorum corporum tum significans, tum efficiens, illustre testimonium est hunc mundum non casu extitisse, sed ab aeterna mente architectatrice conditum esse. Et quia domestica disciplina ad agnitionem Dei adsuefactus est, et doctrina ita confirmatus est, ut vere statuat, et esse deum, et hanc unam de deo doctrinam veram esse, quam ipse patefecit in Ecclesia, per Filium, prophetas et Apostolos: Hanc doctrinam toto pectore amplectitur et abhorret ab omnibus fanaticis opinionibus pugnantibus cum consensu catholicae Ecclesiae domini[1]) nostri Iesu Christi, et pietatem praestat in vera invocatione et diligentia regendorum morum iuxta mandata. Itaque propter bonos mores, et propter eruditionem testimonio nostro hunc Iohannem Wernherum ornandum esse duximus, et ei attribuimus .....

ANNO 1548.

320. No. 4148[b]. (Vol. VI. p. 807.) 7. Febr.

Testimonium Euandro datum.

Melanchthon eodem die, quo *Marco Leinholto* Hamelburgensi, *Georgio Thymio* Cygnaeo et *Iosepho* testimonia dedit (vide Corp. Ref. VI. p. 804—808.) etiam quartum *Christophoro Euandro* Wonsideleusi scripsit, quod incipit a verbis: Petivit a nobis testimonium. Hoc legitur in Ioh. Ad. Flessae fasciculo commentationum (Altonae et Flensburg. 8°.) p. 186., quem librum nondum inveni.

321. No. 4157[b]. (Vol. VI. p. 815.) 22. Febr.

Nordhusano Senatui.

Haec epistola ex Fromanni apographo primum typis exscripta est in hoc libro: Kleine Schriften zur Geschichte der Stadt Nordhausen von Ernst Günther Förstemann. I. (Nordhausen 1855. 8°.) p. 28 sq.

Den Erbarn weisen und fürnehmen Hern Burgermeister und Rath zu Nordhausen meinen günstigen Hern.

Gottes gnad durch seinen eingebornen Son jesum Christum unsern Heilland und warhaftigen Helffer zuvor. Erbare, weise, fürnehme günstige Hern, wiewohl in dieser letzten Zeit viel mehr anfechtungen fürfallen, den

1) domini] autographon habet calami errore: dommini

zuvor in gemein geschehen, so ist doch gottes bevelch, daß die so die Last der Regierung tragen, nicht kleinmutig werden, sondern wissen, daß Ehr seine Kirche, die rechte Lehre pflanzet, wer ihn ernstlich anruffet, gnädiglich erhalten will. Dieser gliedmaß sind viel fromme gottesfürchtige leute in Northausen. Dabey aber ist diese furfichtigkeit zu gebrauchen, daß man bey weiten der Fehrlichkeit, wie einem Wetter fuglich entweiche; Nu wölt ich gerne, daß der würdige Magister Antonius Otto, mein guter Freund, diese solche lehr, die er sonst trewlich fürtregt und prediget ohne scheltwort etlicher personen fürgetragen hette, wie ich ihn vielmal vermahnet, Es ist aber leider in dieser Unruhigen Zeit also, daß guter Rath oft nicht geacht wird, ich habe aber gedachtem Magistro Antonio geschrieben und ihn gebeten, eine Zeitlang sich anher zu mihr zu verfügen, den so K. M.[1]) hierin bevelch thun wird, acht ich nicht, daß solch bevelch weiter mitbringen wird, den daß diese person des predigambts entsetzet werde, wie wol K. M. an andern orten in gleichen Fällen angesucht, und hat dennoch die prediger gnädiglich bleiben lassen, Ich achte aber dieses were zum glimpflichsten, daß Magister Antonius eine Zeitlang anhero reiset, Gott bewahre ewre Kirchen und Stadt gnädiglich, Dat. Witteberg 22. Febr. 1548.

E. W.

williger
Philippus Melanthon.

---

322. No. 4171 b. (Vol. VI. p. 825.) die verni aequinoctii.

Testimonium Eyrero (Ayrero) datum.

Hoc testimonium, quo Melanchthon, Decanus Collegii philosophici, *Melchiori Eyrero (Ayrero)*, Norimbergensi Medico, gradum Magistri philosophiae Witebergae die verni aequinoctii 1548. testatur, nondum quidem ipse vidi, sed a. 1861. in Indice scriptorum Francofurti ad Moenum inde a d. 11. Nov. eiusdem anni in auctione venalium p. 22. no. 133. offerebatur et in eo sic describitur: Es ist dies ein *Melanchthonisches Autograph* ersten Ranges, auf Pergament, 18 Zoll breit und 13 Zoll hoch, trefflich erhalten, mit dem ebenfalls trefflich erhaltenen, an rothen Schnüren hangenden großen Siegel in rothem Wachse und mit *Melanchthons* Unterschrift in etwas kleinerer Schrift als das Diplom selbst. Das Siegel führt die Jahreszahl 1502.

---

323. No. 4263 b. (Vol. VI. p. 944.) ante d. 20. Jun.

Erhardo Schnepfio.

Haec epistola integra nondum reperta est. Quapropter h. l. tantummodo eius fragmentum exhiberi potest ex epistola Erh. Schnepfii ad Ambr.

1) K. M. significare videtur: Kurfürst Moritz von Sachsen.

Blaurerum d. 20. Iunii 1548. data, a Simlero (S. Msc. 67.) exscriptum, cuius apographon Clar. V. Voegelino debeo.

(*Fragmentum.*)

De libro isto Caesareano [1]) iam recens ista verba ad me scripsit D. Ph. Melanchthon: „Etiam", inquit, „accedit nova ἀφορμὴ „magnarum Confusionum aut etiam bellorum, publicatio Libri Imperatorii de doctrina. In quo partim Sophismata continentur, „partim manifesta confirmatio pravorum cultuum. Scias", inquit, „Dei beneficio, in Ecclesia nostra adhuc sonare vocem Evangelii: „et nos de Libro illo sententiam nostram, Deo iuvante, modeste „et graviter edituros esse. Idque fiet a bonis et doctis Viris aliis, „etiamsi ego interceptus aut oppressus fuero." Adiecit in Epistola hoc de Magdeburgo. „Parthenope nondum impetravit pacem." Hactenus D. Philippus.

---

324. No. 4319 b. (Vol. VII. p. 97.) 10. Aug.

Franciscus Dryander ad Melanchthonem.

Haec epistola primum edita est a Rev. Viro Dr. Dav. Schulzio in Chr. Fr. Illgenii Ephemeridibus *Zeitschrift für die historische Theologie* anni 1832. Partic. II. No. VIII. *Beiträge zur Reformationsgeschichte des 16ten Jahrhunderts* (p. 221—242.) p. 240 sq. epist. IX.

Clarissimo viro, Domino Philippo Melanthoni, patri cariss.

S. D. Erramus, ut ille [2]) ait, acti fatis maria omnia circum. Certe nos integris iam quatuor mensibus terra et mari peregrinamur, neque adhuc portum aliquem securum aut tranquillum prospicimus. Excepit quidem nos reverendiss. Cantuariensis [3]) perhumane, cuius in aedibus modo habitamus, sed rebus omnibus plane incertis. Quotidie crescit mihi tui desiderium, meque perbeatum putarem, si quod reliquum est vitae in hoc exilio calamitoso tecum vivere possem, communi ut consuetudine veteri more nostro communes miserias leniremus. Archiepiscopus fecit mihi certam spem tui adventus ad nos, ac promittit tibi stipendium centum librarum, ut tua opera religionis doctrina in hoc regno ad posteritatem instaurata transmitti possit. De huius viri voluntate tantum tibi promittere possum, quantum a praesule christiano et frugali expectari posse videatur. Tenetur summo

---

1) Hic liber a Carolo Imperatore in Comitiis Augustanis ordinibus Imperii d. 15. Maii 1548. propositus dicitur *Interim Augustanum*, conf. Corp. Ref. VI. p. 924.

2) Virgil. Aen. I, 32.

3) Thomas Cranmer, Archiepiscopus Cantuariensis.

desiderio bene constituendi ecclesias et reformandi omnem doctrinam, cuius votis, si reliquorum voluntates ac praesidia suffragarentur, non dubitarem bonam aliquam reformationem institui posse, eamque pene perfectam mihi promitterem, si tuo iudicio res permitteretur. Ego vero neque dehortari te audeo, neque rursus ut venias cohortari. Tu pro tua prudentia sagacius prospicies, quae in omnes partes considerari possunt, et pro tua pietate id statues, quod magis in ecclesiae reique publ. utilitatem fore iudicabis. Illud affirmo, si in hanc regionem veneris, perferam omnia incommoda, quae homini evenire possunt, ut tua consuetudine uti possim; sin vero vel in Germania manendum, vel in alium locum migrandum putabis, peto abs te, ut tuam mihi voluntatem significes, quam ubi cognovero, quomodo ad te venire possem, cogitabo. Reliqua intelliges a Maenio, cui non fuit locus in hoc regno. Bene vale, praeceptor cariss., et brevi meas literas expecta, quas mittam Amburgam. Londini 10. Augusti 1548.

Tuus totus F. Dryander.

---

325. No. 4348ᵇ. (Vol. VII. p. 135.) 8. Sept.

Mauritio, Principi Electori.

Hanc epistolam exhibet Frid. Alb. a Langenn in libro suo: Moritz, Herzog und Churfürst zu Sachsen. 2 Thle. (Leipzig 1841. 8°.) Thl. II. Beilagen. p. 312 sq.

An Herzog Moritzen, Churfürsten zu Sachsen.

ꝛc. Nachdem E. Churf. gn. mir von wegen eins gedruckten bedenkens Erstlich vnter meinem Nahmen dornach In Nahmen der Theologen, zu Witeberg ein furhaltung thun lassen, Bit ich — E. Churf. Gn. wollen dorauf meine entschuldigung — vornemen.

Vnd erstlich ist gewißlich wahr, das das gemelt bedenken nicht zu Witeberg oder sonst Inn E. Churf. gn. Landen gedruckt ist, So ist es auch ohne meinem beuehlich vnd ohne mein vorwissen In truck kommen

Vnd wiewol ich bey stellung eins bedenkens neben andern gewesen, So ist doch diser Truck dem Exemplar an etlichen orten vngleich vnd vbel vnd falsch nachgedruckt

Vnd ist die gemelte schrift nur ein demutige Erinnerung, dorinne auch etliche Artickel nachgeben, von welche andere zuuor Hart gestritten haben, Denn mein gemut ist in keinen weg Itzunt oder zuuor gewesen die vorbitterung mit hessigen schrifften vnd scherffen vnd nachdem ich nuhe 30 Jhar bei disen streittigen sachen gewesen, ist offentlich, das ich ganz keine neue opinion

iemals erregt habe, Sondern nachdem von andern die streitige sachen erstlich erregt, vnd wiewol etliche stuck seer notig gewesen, So findt aber viel weitleuftiger tunckler reden mit eingemengt worden, Doraus mehr vngleichheit mit der Zait eruolget were, Da habe ich mit grosser arbeit vnd farligkait gemeine Christliche nottige Lehre zusammengezogen vnd viel streittige sachen In einigkait gebracht vnd vleis gethan, das die reden In eigentliche formen eingezogen findt welchs zu einigkait nottig ist vnd hat durch gottes gnade In kirchen diser Landt zu erklerunge vnd gleichlauttenden reden In der Lehre gedinett

Vnd wiewol viell bey mir anhalten, das Ich Itzunt hefftiger schreiben vnd schelden sollte vnd ich etwo schutz bekommen mochte, So will ich doch solchs nit thun, Sondern wil so lange ich lebe, von notigen sachen sitiglich reden vnd andere vormanen auch sittig von nottigen sachen zu reden vnd nicht vnnottige disputationes zu erwecken, Suche auch dorinnen keinen nutz oder Herren gnade sondern halt das es Gottes wille sey, das wir notig lahr sittiglich pflanzen. Ich wil mich auch durch Gottes gnade nit an freuele leut Hengen die vnruge oder vfruhr oder dergleichen practiciren,

Vnd soviel ich mit guten gewissen zu ainigkeit arbeiten kann, das wil ich thun vnangesehen Jemands gunst oder vngunst, denn vor allen dingen vf erden dise stuck furnemlich zu suchen findt, Gottes erkentnis vnd rechte anruffung vnd dorinne gemaine ainigkeit vnd friede. Dorumb ich auch die prediger souil mir muglich vleissig vormahnen vnd bitten will, das sie zu frieden vnd gehorsam predigen vnd von der Obrigkaitt nicht vngeburlich reden wollen, Sondern viimehr das volck zu warhaftiger reuerentia vnd zum gebet für die Obrigkaitt gewohnen, dortzu kann dieses leichtlich verhutet werden, das niemandt yn E. Churf. Gn. Landen etwas schreibe das Kay. Mat. Edicten zugegen sey. Ich wolt auch, das nit zu neuen streitten durch anderer schreiben In der nachbarschafft vrsach gegeben wurde

Diese meine entschuldigung bitte ich — wollen E. Churf. Gn. gnediglich vornehmen vnd erbiethe mich — zu allem geburlichen gehorsam. Datum Witeberg 8 Septembris 48.

ꝛc.

Philippus Melanthon.

---

326. No. 4394 b. (Vol. VII. p. 185.) 31. Oct.

Mauritius Princeps Elector ad Carolum V. Imperatorem.

Haec epistola ad Melanchthonem spectans in eodem libro Tom. II. p. 313 sq. exhibetur.

Churfürst Moritz an den Kaiser.

ꝛc. Nachdem E. kay. Mat. mir vorschiener Zeit von Speier aus des Interims halben schreiben haben lassen, Ist es an dem das ich dem von E.

kay. Mat. genomenen abschide nach bishero keinen vleis gespart, alles das Jhenige was zu Gottes ehre vnd E. kay. Mat. gehorsam dissfals dinstlich bey den meinen zu befurdern, wie ich auch noch teglich derowegen In embsiger arbait stehe :c.

Als aber E. kay. Mat. doneben weiter vormelden, wie sie angelangt das Philippus Melanthon allerhandt wider das Interim vnd was E. kay. Mat. sonst zu wider sein mag furnehmen solle vnd mir derowegen ernstlich beuehlen lassen Inen in meinen landen lenger nit zuenthalten noch zu dulden, sonder zuuerweisen, Solchs alles habe ich gemelts Philippi halben mit gantz beschwerten gemut vernomen, Vnd mag E. kay. Mat. mit warheit berichten, das nach E. kay. Mat. mit meinen Vettern vfgerichter Capitulation (dorinne dan alle seiner Libden gewesene diner vnd vnderthanen so nicht namhaftig ausgezogen seindt begriffen) er sich meines wissens in allen handlungen E. kay. Mat. betreffende vnd Sonderlich des Interims halben nicht allein vor sich selbst schidlich gehalten, Sonder auch andere gleichergestalt dortzu vormant vnd bewegt, auch schon viel artickel, welche andere zum Hochsten gestritten zu vorgleichung bringen hat helfen, Vnd weil meine vnderthanen sonderlich die so neulich an mich gekommen nu bei 30 Jaren in dieser Religion gewest vnd zum mherern theil dorinne geborn vnd erzogen seindt, Derwegen auch die sache bey Inen gar vil schwerer dan bey andern zu erheben sein will, So wuste ich furwar dissfals wenig bey Inen zu erhalden, wann es ahne den gemelten Philippum were, Wie dan solchs auch aus dem erscheint, das Inen etliche in andern landen durch offentliche Bucher dorumb angreiffen, das er des Interims halben zuuiel einreumen solle, Solde ich nu doruber Inen wie E. kay. Mat. mir itzo befelen meins lands vorweisen, So hette E. kay. Mat. selbst zu ermessen, zu was merklicher vorhinderung des furhabenden Werks, auch doneben zu was trefelichen vnglimpfs vnd vorhassung solchs mir nicht alleine bey meinen eignen vnderthanen, sonder auch bey frembden geraichen wurde, Doraus ich mich letzlich weiterunge zu besorgen haben muste,

Weil deme also vnd durch Inen viel guts hirin geschicht, So bit ich E. kay. Mat. wolle in ansehung desselben die gefaste vngnade gegen Ime fallen vnd Ir nicht entgegen sein lassen, Das ich Inen so lange In meinem Lande gedulde, So lange ich vormercke, das er Gottes ehre Christliche vorgleichung vnd E. Kay. Mat. gehorsam befurdern hilft.

Was aber das zugeschickte Buch, so in meinen Universiteten geticht vnd ausgangen sein soll, belangt, Douon hab der Rö. kö. Mat. ich hieuorn bereit einen bericht gethan :c.

Datum den letzten Octobris 48.

Moritz.

327. No. 4425 b. (Vol. VII. p. 234.) 16. Dec.

Ratisbonensi Senatui.

Hanc epistolam e Professoris Van de Velde Apparatu Melanchthoniano primum edidit Aug. Scheler in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 8. p. 122. epist. 29.

Den erbarn weisen und furnemen Herrn Burgermaister und radt zu Regensburg, meinen günstigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Son Jhesum Christum unsern heiland und warhaftigen Helffer zuvor. Erbare, weise, fürneme, gunstige Herren. Eur Weisheit als lobliche christliche Regenten wissen, das unser Heiland Jesus Christus spricht: Lasset die Kinder zu mir kommen, denn solcher ist das Himmelreich. Darum ist Erhaltung christlicher Schulen hochnöthig und wirt der Sohn Gottes selb E. W. Hülf dazu tun und Eure liebe Jugent schützen und seinen heiligen Geist verleihen, das rechte Anruffung Gottes in euren Kindern gepflanzt werde. Darumb ich yhn mit euch seib hertzlich anruff und bitt; und nachdem E. W. begeret, ein tüchtigen Mann zur Schulregierung und Unterweisung der Jugent anzuzeigen, wolt ich mit Radt des hochgelerten Herrn Ioachimi Camerarii und Magistri Nicolai Galli, der in eur Kirchen prediger gewesen und yetzund bey uns ist, und anderer E. W. einen tüchtigen Mann durch Gottes Gnad vff künfftigen Leipzifer newen Jarsmarf zuschicken und wollen E. W. an meinem kurzen Schreiben nicht Misfallen haben, denn ich diese stund hab abreisen müssen uff einen Tag darinn der Churfürst von Brandenburg ettlich Anzeige der Religion halb will thun lassen. Unser Heiland Jhesus Christus wolle E. W. und seine arme Christenheit gnediglich an allen Orten regieren und bewaren und E. W. zu dienen bin ich willig. Datum Witeberg 16. Decemb. (an. 1548).

Ew. williger Diener

Philippus Melanthon.

---

328. No. 4434 b. (Vol. VII. p. 264.) 27. Dec.

Ioanni Cunrado Ulmensi.

Huius epistolae ineditae, quae in Collectione Simleriana (S. Mse. 68.) invenitur, apographon a Clar. V. Voegelino accepi. Conferatur infra epistola ad eundem d. 9. Febr. 1549. data in eandem plane sententiam.

Venerando Viro, eruditione et virtute praestanti, Domino Io. Cunrado Ulmensi, Pastori Ecclesiae Dei in Comitatu Rienecensi, amico suo.

S. D. Vel maxime hoc tristi tempore saepe colloqui nos per literas prodest, ut vel consilia conferamus, vel mutua consola-

tione nobis dolores leniamus. Quare gratum mihi fecisti, quod copiose de vestra Ecclesia scripsisti. Nondum in his regionibus ulla facta est in Ecclesiis mutatio ac spero (eas) retenturas esse incorruptam Evangelii vocem, et usum τοῦ δείπνου κυριακοῦ, qualis hactenus fuit, in his regionibus. Deliberant autem nunc vicini Principes Elector Saxonicus et Marchio de Adiaphoris ut vocantur. De his in neutram partem valde pugnandum esse ducimus, etsi ego quidem Ecclesias in hac moestitia, ne parvarum quidem rerum mutatione turbare optarim. Sed semper Ecclesia in servitute fuit, alias duriore alias mitiore. Illud modo constanter faciamus: Fundamentum, id est, necessariam doctrinam teneamus et verum usum Sacramentorum. In aliis rebus, quae sunt adiaphorae, servitutem sapienter feramus, sicut et Israelitae exilia tulerunt, et varias conversiones sui Regni, quae etiam adflixerunt Ecclesiam. Oro autem Deum, aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut propter Filium servet aliquos coetus in quibus luceat vera invocatio. Oro etiam, ut Viros praestantes Nobilitate, ingeniis et virtute Comites Erpachenses servet. Bene vale. Lipsiae die Iohannis Evangelistae 1548.

Philippus Melanchton.

329. No. 4450 b. (Vol. VII. p. 286.) (a. 1548.)

Ioachimo Mollero.

Melanchthonis Consilia (latina) collecta et edita studio et opera Christophori Pezelii. (Neustadii 1600. 8°.) P. II. p. 74.

De consultationibus tempore Interim, ad D. Ioachimum Mollerum, Anno 1548.

In Ecclesiis nostris, Dei beneficio, nondum ulla mutatio facta est. Nec quisquam assensit, ut aliquid recipiatur, quod pugnet cum Evangelio. Putant quidam, posse retineri pacem, si qua adiaphora, ut vestitus, aut feriarum et concionum ordo. recipiantur. De his non pugnavimus unquam. Sed adversarii postulabunt longe alia, αὐτὸς αὐτοκράτων ἔλεξε περὶ λειτουργίας. Canonem principale punctum esse, quod postulet. In Conventu Lipsico Nobilitas dixit pias et graves sententias, ἀλλὰ οἱ ἐν αὔλῃ νομικοὶ προςέμιξάν τινα σοφίσματα, quae res quomodo acta sit, id, ut Aristoteles dicebat, οὐκ ἔστιν ἐπιστολικὸν διήγημα, sed ut spero, οὐ ταράξει τὴν ἐκκλησίαν. Heri a Bucero literas accepi, quae narrant, nondum factam esse mutationem Ecclesiae Argentoratensis,

sed dubitat, quid futurum sit, etsi populi piam voluntatem esse scribit. Misit eruditam refutationem sphingis Augustanae, scriptam a Calvino.

---

330. No. 4451[b]. (Vol. VII. p. 288.) (eodem anno?)

Anonymus Oldenburgensis ad Melanchthonem.

Edita in Fortgesetzte Sammlung von Alten und Neuen Theologischen Sachen. Sechster Beytrag Auf das Jahr 1739. (Leipzig. 8°.) p. 645—649.

Anonymi Oldenburgensis Epistola memorabilis ad P. Melanchthonem, circiter A. 1548. missa: Ex MSCto.

Si tam essent tuta itinera, quam haec tempora plena rerum novarum: haberemus quotidie, quod ultro citroque scriberemus, mi amice. Sed, quod omnia sint plena periculis et perfidiis, cogimur et amicis et nuntiis, et nobis ipsis silentio consulere, donec tandem per Dei gratiam Halcyonia nobis redeant, quod ut non videtur primis mensibus futurum, ita tamen spes certa est, brevi futurum, quod tuam pietatem recte constituere iubeo. Nam sunt omnia plena mutationum et rerum novarum, quas spero me brevi ad te scripturum: Nunc non aliud, quam quod ***Legatus Angliae*** hic mecum fuit, qui miranda bona promisit: quorum si non omnia, aliqua saltem vera erunt, id dictum existima. Dominus ***a Lasco*** illic est, cum aliis doctis viris, qui te quoque expectant, si isthic non licebit haerere. Natio illa tota iam in Evangelium Dei consentit: tantum disputatur leviter ***de Eucharistia***, quae tamen controversia speratur propitio Deo nunc quoque aut finita, aut paulum mox definienda iuxta Verbum Dei. Ego hodie ad illos scribo, qui ad me paulo ante, quorum unus est Dominus ***a Lasco.*** De ***Bonis Episcoporum*** litigantur non nihil. ***Legatus*** cum ***Dano*** agit de perseverando: Habet et ***Gallus*** illic suos nuntios, et alii. ***Gallus*** edixit, ne quis puniat aliquem propter religionem, nisi ab ipsa Maiestate auditum. ***Burdexalis*** sedata est seditio, exorta propter graviorem exactionem: plexi sunt aliquot et alii alio mortis genere perenti. ***Gallus*** affectissimus dicitur ad nos. ***Sturmium*** novisti, is ad me bona. Reliqua alias, quae habeo, certa, sed quae tacita oporteat. Nisi ut tuis bonam spem facias in Deo aeterno Patre, et Domino Iesu, qui dispersionem suam brevi recolliget. Moriuntur qui puerum quaerunt, et aperiuntur ubique Evangelio portae principum et regnorum. De ***Polono*** ad me certa Dominus ***Lascius***, vos quoque non incerta. Exulat inde Papismus: favetur verbo: vocatur ***La-***

scius, sed ***Angli*** illum non dimittunt, ut neque ***Frisii***, ad quos ad ver redibit. Utinam tibi contigisset audire ***Legatum Anglicum*** optimum Virum, qui de multis multa, quae tuis cogitationibus permitto. ***Bürensis*** certo mortuus ut et ***Scoelius***, qui unus totam istam Tragoediam ludebat, sigillator et praeses Bruxellensis aulae. Sed quod doleo, nos hodie sepelimus fortissimum virum ***Theodoricum Vasniarum*** Consulem: reddat nobis Deus aliquem illo meliorem ac constantiorem: reliquit apud nos multas Christianas voces plenas Christianae constantiae et pietatis. Huius mortem tota civitas iure plorat; et alii aliter interpretantur. Ego non alio fine, quam quod Deus ipse vult bella nostra depugnare sine humanis praesidiis. Ita enim malo hoc interpretari, quam punire nos velit ablatis bonis viris: mirum tamen, quod hoc sesquianno, quo hic ago, nobis ***septem Senatores***, tres prudentissimi consules mortui sunt, in quibus vere summa rerum stabat. Dominus nos respiciat misericorditer, Amen. ***Nostri Comites*** fortes viri sunt, et bona spe sustentantur. Alter hic est, alter in vicinia ad sextum miliare, sed interim ad nos excurrit. Uterque mihi est charissimus; et qui de rebus magnis non dubitent mecum colloqui. O utinam tecum coram videam, quam te plenum facerem pleni gaudii, id tu tamen paulo mox, quale sit, videbis: In silentio et spe fortitudo nostra. Vivit ille absconditus Deus. Id dic omnibus Praeceptoribus et Patribus nostris. ***Bucerus*** heri ad me multa, sed varia ea, ut tempora sunt, et illius Urbis perplexitas, tamen bene speratur. Mira de ***Caesare***, ***Gallo***, ***Anglo***, ***Dano***, ***Polono*** et aliis, quae qualia sint docebit tempus. Nos interim oremus. Mi Pater, obsecro, scribe ad nos, quid constitutum, quid obtentum aut permissum in vestris Synodis et Conventibus. Hic multi gemunt, quod rumores spargantur de, nescio qua, conniventia ad ***Interim.*** Sed ego statuo a vobis nihil permissum, quod non bona conscientia donari possit. Ea mihi de omnibus vobis certa spes est, quam scio vos non falsuros. Nos pergimus unanimes et constantes in ministerio nostro nemine prohibente, acclamantibus omnibus: nam omnium una vox. Pugnemus, aut certe moriemur pro lege et grege: moriatur anima nostra morte iustorum. Cuperem ***Hamburgenses Patres*** cessare a rixa de ***Descensu Christi ad inferos***, de quo tuam expecto sententiam, ut de eo, quod nuper rogavi, ex obiectione adversariorum, qui scilicet fiat, ut quum haberemus non tantum imputativam ab Adamo et labem et damnationem, quomodo non in Christo etiam praeter imputativam habeamus talem iustitiam inhaerentem, et personalem ad

vitam, qualem ad mortem. Intelligit pietas tua argumentum, quod ego solvo, sed non expedite et categorice iuxta regulas. Id mi amice, quaeso, ut mihi simpliciter exponas, non quod dubitem, sed quod ars me destituat. ***Coloniensis novus*** perturbavit omnia, nemo illic mansit in fidei confessione, praeter unum nobilem Dominum ***de Hüls.*** Frisiis Orientalibus minatur Caesar: Habent Legatos in aula propter Interim, sed nihil impetrant. De alio luditur corio. Sed cadunt multa inter os et offam. Vale.

ANNO 1549.

331. No. 4470[b]. (Vol. VII. p. 315.) 24. Jan.

Ioanni, Marchioni Brandenburgico.

Hanc epistolam ex autographo Tabularii secreti Berolinensis primum edidit Rev. Vir Chr. Guil. Spieker in Niedneri Ephemeridibus Zeitschrift für die historische Theologie anni 1846. Fasc. III. No. XV. Zwei noch ungedruckte Briefe Melanchthons mit Erläuterungen. (p. 425—432.) p. 430—432. epist. 2.

Dem durchlauchtigen hochgebornen Fürsten vnd Herrn Johans Marggraven zu Brandenburg, zu Stettin, Pomern vnd zu Slesien zu Crossen Hertzoge, vnd Burggraven zu Nornberg, meinem gnedigen herrn.

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Ihesum Christum vnsern Heiland vnd wahrhaftigen helfer zu vor, Durchlauchter hochgeborner gnediger Fürst vnd herr E. f. g. werden von den sachen, dem achtbaren vnd hochgelarten herrn Doctor Adriano [1]) beuohlen, wahrhaftigen vnd gruntlichen bericht von ihm vernemen, denn ehr die handlung nit allein von mir, sondern zu vor von Ioachimo Camerario, dem viel zu glauben ist, angehört,

Vnd wie wol ich wolt, die handlung were klarer gewesen, so ist doch durch gottes gnad, in kheiner vereuderung in nottigen stücken gewilliget, vnd hat sich die Ritterschaft sonderlich wol vnd christlich gehalten [2]), Ob auch Kais. M. mit diesem erbiten gesettiget sein werde, ist großer Zweifel, vnd so man weiter grubeln wirt, ist mein gemut entschlossen, durch Gottes Gnad, gantz nichts weiter nach zu geben, vnd der vervolgung zu gewarten [3]).

Vnd wie wol hoch gerhümet wirt das Interim soll eine newe ewige selige Reformatio sein, so acht ich doch es werde in zweyen Jaren wiederumb verlischen vnd das es zu großer vnrug vnd zerruttung dienet, ist vor augen [4]).

---

1) Adriano Albino, Dr. iur., Principis Cancellario, vide l. l. p. 431. not. 1.
2) Vide ibid. not. 2.
3) Conf. ibid. not. 3.
4) Vide ibid. not. 5.

Diweil auch an vilen orten christliche predicanten verlagt werden, bitt ich vntertheniglich vnd vmb gottes willen E. f. G. wollen daruff gedenken, ob etwa ein Kloster dazu zu verordnen, da in der Eil arme bekante veriagte priester ein Zeitlang herberg haben mochten[1]. Der Son Gottes Jesus Christus vnser heiland wolle E. f. g. allezeit seliglich regiren vnd bewahren,

Datum Wittenberg am tag Timothei, der im funfzehenden Jar nach dem ehr mit S. Paulo erstlich ausgezogen, gekopft ist worden zu Ephefo vnd ist nicht alt worden, aber Titus ist bei Leben blieben, vnd vber achtzig Jar alt worden[2],

E. f. g.
vnterthenliger
diener
philippus Melanthon.

---

332. No. 4477[b]. (Vol. VII. p. 326.) (m. Januario.)

Concionatoribus Francicis.

Melanchthonis Consilia latina ed. Chrph. Pezel P. II. p. 80 sq. Legitur etiam in Codice Monacensi.

De libro Interim, ad Concionatores Francicos. Philip. Melanth. 1549.

Scio magnam esse iudiciorum diversitatem, et variae sunt caussae, quas videre prudentes possunt. Sed si in hac tristi perturbatione praecipuus finis est consiliorum nostrorum, ut non deserantur Ecclesiae nostrae, nec prorsus opprimatur vox verae doctrinae, censeo tolerandam esse quandam[3]) servitutem, si absit impietas, ut scripsi prolixius in aliis pagellis, quarum exempla mittere Francicis Pastoribus potestis. Legi autem Francicos articulos, in quibus quaedam generaliter et ambigue dicta, video et periculosa et odiosa esse: sed tamen nihil nominatim praecipitur, quod pugnet cum doctrina Ecclesiarum nostrarum. Tolluntur unctiones et Canon, ideo potius velim esse suasor, ut illi articuli recipiantur sine aliqua longiore contentione, quam ut deserantur Ecclesiae. Unius articuli emendationem peti velim[4]), videlicet ut verba institutionis[5]) legantur lingua intellecta populo, quia cogitatio et fides populi intueri illa verba debet in ipsa concione. Et credo, si fuerint admoniti Consiliarii Principis, non gravatim

1) Vide l. l. p. 432. not. 6.

2) Conf. ibid. not. 7.

3) quandam] Cod. Monac.: quandam duram

4) velim,] Cod. Monac.: vellem,

5) institutionis] Cod. Monac.: consecrationis

mutaturos esse hanc particulam. Ipsi etiam Pastores doceant populum, ut se exuscitet [1]) ad cogitationem verborum Christi in ipsa concione, et recte erudiant populum, dari remissionem peccatorum non propter hanc manducationem, sed propter filium Dei passum et resuscitatum.

Hanc vero manducationem pignus esse, testificans vere nobis dari beneficia [2]) filii Dei. De his rebus cum docendus sit populus, opus est pronuntiari verba in lingua populo intellecta. Haec eruditi copiosius declarare possunt. ***Accedat verbum ad elementum et fit Sacramentum.*** Sint igitur verba et populo nota, ut sint occasio cogitandi de ratione Sacramenti. Mense Ianuario 1549 [3]).

333. No. 4485 b. (Vol. VII. p. 334.) 9. Febr.

Io. Cunrado Ulmensi.

Huius epistolae, quae in Simleriana Collectione Tigurina (S. Msc. 69.) est, apographon a Cl. V. Voegelino accepi.

Venerando Viro, eruditione et Virtute praestanti, D. Ioh. Cunrado Ulmensi, amico suo.

S. D. Semper Ecclesia Dei in hac confusione generis humani, in servitute est, alias mitiore, alias duriore. Et sapientia piis necessaria est recte ferre servitutem, ne impias opiniones et impios cultus adprobemus. Sperant autem Aulici, se placaturos esse Imperatorem, si ritus adiaphoros recipiant. Etsi existimo his non fore contentum Imperatorem: tamen cum isti petant, non velim deseri Ecclesias propter talia, quae per sese nihil impietatis continent. Adhuc nulla, Dei beneficio, in Ecclesiis harum regionum facta est mutatio, et fieret magna vastitas, si discederent Pastores, et nulla in re gratificari Potentibus vellent. Hac de re multae piae deliberationes fuerunt. Et scripsi ad Inclytum Comitem [4]) quaedam de Actis in Conventu [5]). Statues autem, Deo iuvante, nos nequaquam mutaturos esse doctrinam aut **τὴν λειτουργίαν**. Erit semper eadem Vox Evangelii in Ecclesiis et Scholis nostris. Bene vale. Die IX Febr. a. inc. (1549.)

Philippus Melanthon. [6])

---

1) exuscitet] Cod. Monac.: exuscitent

2) beneficia] Cod. Monac.: beneficium

3) Mense Ian. 1549.] haec desunt in Cod. Monac.

4) Nota Simleri: Rienecensem.

5) Simlerus adnotavit: Lipsiensi.

6) Confer eiusdem ad eundem Epistolam die Ioannis Evang. 1548. scriptam supra p. 284 sq. no. 328.

334. No. 4485 c. (Vol. VII. p. 334.) 10. Febr.

Crannerus ad Melanchthonem.

Haec epistola, quam nondum vidi, invenitur in The Remains of Thom. Cranmer. Coll. and arrang. by H. Ienkyus. Vol. I. p. 337.

---

335. No. 4488 b. (Vol. VII. p. 336.) 18. Febr.

Senatui Ratisbonensi.

Hanc epistolam ex Professoris Van de Velde Apparatu Melanchthoniano Aug. Scheler primum edidit in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 9. p. 129 sq. epist. 30.

Den erbarn weisen und furnemen Herrn Burgermaister und radt zu Regensburg, meinen günstigen Herrn.

Gottes Gnad u. s. w. Ich bitt E. W. wolle den Verzug der fürgefallen ist in Schickung einer Person zur Schuiregierung tüchtig, nicht unfreuntlich verstehen, denn ich einem geschrieben, von welchem ich nit zeitlich Antwort bekommen. Ich habe aber entlich mit Radt anderer Legenten dahier uff einen ehrlichen wolgeiarten Mann, Mag. Hermannum Vulpium von Beyrreut, der vil Jar zuvor die Jugent unterwiesen hat bei den jungen Weisern zu Loven und in Frankreich und newlich etlich Jar zu Meissen, und ist bey vierzig Jahren, verstendig und gottforchtig und ist im Ehestand. Dieser Magister Hermannus hatt sich erboten E. W. treulich zu dienen und von diesem 18 Febr. ungeverlich in 14 Tagen seine Reyse fürzunemen, und also mit Gottes Hülf fürderlich zu Regensburg anzukommen. Dieses ist also abgereumt im Beysein des würdigen Herrn Magistri Nicolai, der in eur Kirchen Prediger gewesen. Der allmechtig Gott, Vater unsers Heylands Jhesu Christi wolle gnediglich Eure Kirchen, Stadt, Euch und die Euren bewaren.

Ew. W. williger

Philippus Melanthon.

---

336. No. 4572 b. (Vol. VII. p. 443.) 12. Aug.

Ioan. Baptistae Egnatio.

Haec epistola ex eodem Apparatu Melanchthoniano a Schelero primum edita est in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 7. p. 104 sq. epist. 11.

Phil. Melanthon Ioan. Baptistae Egnatio S. D.

Gratiam tibi et debeo et habeo, vir clarissime, qui et memoriam nostrae amicitiae retines et benevolentiam erga me tuam literis amantissime scriptis toties declarasti: quibus quod non

respondi fateor me, hominem natum in hac nostra barbaria minus fuisse officiosum. Sed pro tua summa humanitate veniam dabis occupationibus meis quae saepe mihi non solum haec officia amicis tribuenda, sed etiam studia philosophiae nostrae, quae scis a me mirifice amari, de manibus excutiunt. Interim tamen multi sunt de te inter nostros amicos, viros bonos, honorifici sermones qui benevolentiae erga te nostrae significationem non obscuram continent, ut testari hic noster amicus Andreas Aurifaber, Vratislaviensis, potest, de quo ad te hoc tempore, ut scriberem, gravi officii ratione adductus sum. Colit hic Andreas cum universae philosophiae tum vero medicae artis doctrinam. Cumque diu professores in Germania audiverit et diligenter ipsum Galenum legerit, naturas rerum et remediorum inquisiverit: nunc in Italia, ubi fontes sunt doctrinae, eruditissimos et peritissimos homines audire decrevit. A me autem petivit ut aditum sibi ad te patefacerem, quod sperat tuam consuetudinem plurimum profuturam esse. Nullum autem officium peto, quod cum tuo aliquo incommodo coniunctum sit. Sed si quando de urbe aliquid sciscitabitur hic Andreas studia eius adiuves, ut solebas apud nos summo candore et disserere de natura corporis humani et multa monstrare aliis ignota. Hanc doctrinae communicationem, cum et maxime dignam esse homine philosopho et convenientem tuae humanitati existimem, spero te huic viro bono honesto non denegaturum esse. Ubi ingenium eius, studia et mores cognoveris, erit tibi cum eo iucunda consuetudo. Nam et omnes philosophiae partes magna dexteritate tractat, et iustitia, fide et candore eximio praeditus est; nam mihi longo iam tempore non solum notus sed etiam amicus est et propter has virtutes a duce Prussiae diligitur. Erit igitur humanitatis tuae hospitem philosophiae causa in Italiam venientem complecti ut credibile est Timaeum et Architam qui in illa ultima Italiae ora philosophiam docuerunt complexos esse et Platonem et alios qui ex Graecia ad vos discendi causa navigarunt. Bene vale. Die XII. augusti 1549.

---

337. No. 4600 b. (Vol. VII. p. 470.) 25. Sept.

Antonius Corvinus ad Melanchthonem.

Hanc epistolam primum edidit Dav. Schulz in Illgenii Ephemeribus *Zeitschrift für die historische Theologie* anni 1832. fasc. II. No. VIII. *Beiträge zur Reformationsgeschichte des 16ten Jahrhunderts* (p. 221—242.) epist. III. (p. 226—233.).

Clarissimo, doctissimo et humanissimo viro, Philippo Melanthoni, domino praeceptori et fratri longe omnium carissimo suo, Zu eigen Handen.

Gratia tecum et pax per Christum. Quod tibi iam, colendissime praeceptor et frater, in tot curis, solicitudinibus, molestiis et laboribus constituto, negotium facesso, id ut ne aegre feras, amanter rogo. Quicquid enim huius facio, non meo tantum, sed multorum etiam fratrum in hoc ducatu[1]), qui ex animo tibi bene volunt, nomine facio. Quare etiam haud dubie his meis literis tanto aequior eris, quanto tibi iam inde ab initio animi nostri erga te propensio perspectior fuit. Et quis Philippum, praeceptorem de literis, de pietate et repub. christiana optime meritum, non reverenter suspiciat, amet, revereatur? Urget autem gliscentis schismatis inter fratres malum, ut te hac epistola interpellemus, adeoque responsum tuum in tanto huc illuc sparso rumore pro defensione tui audiamus. Vere enim et ex animo nobis dolet, te ac plerosque alios fama ac aestimatione pereclitari, quorum nomina hactenus propter adsertam candide veritatem in toto orbe celeberrima fuerunt. Nam quanta ex praesentibus fratrum certaminibus et ad nostros offendicula, et ad evangelii hostes iubila redeant, res ipsa loquitur. Et qui propitio Christo contra omnes cum Sathanae tum mundi furias invicti hactenus stetimus, nunc et mutuis vulneribus cadimus et iucundissimum hostibus spectaculum praebemus, sive vestra sive aliorum culpa id fiat. Ac quidem principio rumor de vobis sparsus est, novum Interim[2]), in quo nescio conventu, a vobis receptum esse, quod a prioris corruptela, praesertim in Ceremonialibus caussis, non parum absit. Et circumferebantur eius scripti exempla, quae fidem aliquam isti rumori faciebant. Sed nos de vestra in pietatis negotio constantia nihil tum addubitantes, neque scriptum istud aliquid morati sumus, neque fidem vestram in dubium vocare voluimus. Interim tamen huc certum nuntium allatum est, et ritus alicubi in vestra ditione a Lutero, piae memoriae viro, institutos innovatos, et duos concionatores forsan novationem hanc improbantes in carcerem coniectos esse. Hic quoniam dextre ac sincere de vobis sentientes, nihil sinistri de vobis vel suspicari vel pronuntiare tantisper voluimus, dum ipsos vos facti vestri rationem reddentes audiremus. Sperabamus enim, publica aliqua purgatione vos omnes nobis scrupos adempturos. Sed crescit magis

1) Luneburgensi. 2) Lipsiense.

ac magis, dum id non fit, malus de vobis rumor, videlicet Vitebergae quidem in ritibus nihil mutatum esse, sed tamen in veteres et eliminatos, qui alibi de novo instaurentur, vos consensisse; donasse praeterea, ne quid in sacrilegum Papam aut illius socios fures Episcopos a Pastoribus e suggestu atrocius dicatur. Perculit hoc animos nostros nonnihil, perpendentes, quod nihil te dignum in Confessione tua contra Interim scripta ...a (*illa*? *ista*?) de re dicas. Sed nihilo minus in spem, priora vestra cert....a (*certamina*?) considerantes, erecti sumus, fore ut tempus isti vestrae imb---litati (*imbecillitati*?) mederetur. Si tamen anxios, solicitos, moestos, gementes ac moerentes nos interim fuisse negem, quam recte id faciam, viderint alii, certe mentiar. Atque dum ad hunc modum excruciamur, et prae tristitia propemodum contabescimus, ecce, evolant libelli aliquot, pessimarum contentionum testes. Perfertur ad nos Amsdorfii scriptum contra orationem Zigleri [1]) Lipsiae habitam. Adferuntur item Luteri epistolae, olim in Comitiis Augustanis ad te scriptae, ac in tui ignominiam haud dubie nunc editae. Mox Explicatio sequitur M. Ioachimi Vestphali, qua vulgatum illud: ***Inter duo mala minus eligendum est***, quod forsan pro tentatae novationis defensione citatur, confutatum est. Postremo Hamburgensium ad te scripta de rebus Adiaphoris epistola prodit una cum tuo responso [2]), et ex insigniter moestis ac turbatis longe omnium moestissimos ac turbatissimos nos reddit. Quis enim, si possibile sit, non protinus emoriatur, ista tam indigna inter eos fratres, qui columnae inter nos esse debebant, certamina audiens, ubi maxime Syncretismo opus erat? Perniciosas esse in omnibus vitae actionibus dissensiones esse [3]) scimus. In pietatis autem negotio tanto nocentiores esse, quanto de causis magis arduis hic agitur, quis neget? Ac quidem commodiorem viam ad extinguendam Evangelii lucem Satan invenire haud potuisset, atque id genus inter Vos quiritationes, Velitationes et de rebus Adiaphoris certamina. Quod enim antehac nullis bellorum tumultibus, nullis caedibus, nulla sevitia, nulla tyrannide effici potuit, id nunc mutuis nostris vulneribus magno adversariorum nostrorum adplausu perficitur. Atque his Fatis malis praetexuntur moderationes, conciliationes, condonationes, quae temporis huius ratio,

1) Bernhardi Ziegler, Superintendentis Electoratus Saxonici, qui Interim Lipsiense inducere studebat. (a. 1552. mortuus est).

2) Vide Corp. Ref. VII. p. 366—386. No. 4516.

3) Hoc alterum *esse*, calami errore repetitum, delendum est.

servitus et pericula alioqui imminentia existant. Quasi vero Christianum et bonum virum non potius fortitudo ac constantia deceant, atque illa tot secum offendicula vehens moderatio. Cum igitur hae inter vos digladiationes et turbae nostras quoque ecclesias mirum in modum turbent, committere haud potuimus, quin vos perinde atque dominos, praeceptores, fratres, amicos nobis ex animo carissimos, per Christum, per omnia sacra, per communia nobis vobiscum studia, per mutuam dilectionem, qua devinctos Christianos praesertim concionatores esse decet, rogaremus, quo rationem ineatis, qua gliscenti malo et crescenti schismati mederi queatis. In vos omnes ecclesiae intentae sunt et omnium piorum coniecti oculi, et consolationis imbrem, in tanta animorum varietate, a vestra sententia ex sacris literis depromta sitiunt: hoc est, disertam, claram, dilucidam, nihil dissimulantem, sed omnia necessaria complectentem de rebus Adiaphoris explicationem a vobis expetimus, quam ecclesiae nostrae tuto vobiscum recipere, sequi, amplecti queant. Nam quicquid salva scripturae autoritate et conscientiis nostris illaesis recipere possumus, id nos propter ecclesiae unitatem cum confirmandam tum conservandam ultro suscepturos pollicemur. Neque enim iocularis vox est: ***Vae mundo a scandalis!*** Item: ***Vae homini, per quem scandalum venit!*** Quodsi hanc a vobis explicationem impetrabimus, magna profecto commoditate ecclesiam Christi adficietis, omnium piorum animos de novo vobis conciliabitis, et nos, qui ad gubernacula ecclesiasticae doctrinae vobiscum sedemus, ingenti moerore, tristitia et luctu liberabitis. Ut enim ingenue, mi Philippe, fatear, ac pace tua dicam, nimis brevis est tua ad Hamburgenses concionatores responsio, neque eam constantiam redolet, quae in quadam ad Nurembergenses fratres epistola, eadem de re olim scripta, et iam cum Luteri epistolis aliquot edita, conspicitur. Multa etiam hic dissimulas, quae modis omnibus explicata oportuit. Sin vero facere hoc dedignaberis, id quod Christus avertat, iam et ecclesiae nostrae periclitabuntur, et tua aestimatio in summum discrimen deducetur. Nam cum ista tua ad Hamburgenses fratres responsio neque ipsis neque nobis neque aliis cordatis viris satisfaciat, aut explicatione dexteriori opus erit, aut aulicis Centauris data ubique occasio est, qui externae pacis studio quidvis recipiendum putant, ut nos, si veteres ritus, qui promiscue et indiscriminatim ipsis pro Adiaphoris habentur, non recipiamus, et autoritate vestra premant, et in exilium agant, ne dicam: trucident ac mactent. Neque enim Hamburgensium sen-

tentiam improbare, nisi solidioribus argumentis, atque ipsi utuntur, convincamur, possimus: quemadmodum econtra eam moderationem, quae omnium ecclesiarum turbationem secum vehit et cum tot ac tantis offendiculis coniuncta est, aeque probare non possumus. Maior est, qui in nobis est, quam qui in mundo est, Christum et illius doctrinam damnante. Et potens est deus conservare suam ecclesiam, et Abrahae filios ex lapidibus suscitare, etiamsi totus mundus furere ac insanire contra nos pergat. Praeterea moderatione huiusmodi id praestare velle, quod uni sibi reservavit deus, non video, quomodo divinae bonitati vel gratum esse vel placere possit. Tranquillitatem vobis ac externam pacem vobis hac ratione pollicemini, sed videte, ne permittente domino, cuius vox est: ***In mundo pressuram habebitis, in me vero pacem***, praesentia mala conduplicetis. Haec omnia, mi suavissime Philippe, pro tua prudentia perpende solicitius, et istam petitam abs te claram ac dilucidam de rebus Adiaphoris explicationem nobis tam syncere te amantibus imperti. Ea profecto id apud nos erit, quod apud veteres fuit *Διὸς ψῆφος*, praesertim si ex scripturis, quibus omnia tua egregia hactenus communivisti, depromatur. Illud praeterea, quod huc illuc Islebius iactabundus scribit, Saxonicos ac Misnicos theologos Augustanum librum et adprobasse et recepisse, palam pernega. Alioqui suspicionem, qua iam Vitenbergenses laboratis, et ipse tacendo confirmabis, et eandem de vobis cogitandi occasionem, quam haud dubie Hamburgensibus dedisti, nobis quoque praebebis. Islebii enim iactabundas literas hac in re non confut... (***confutare***) quid aliud est, atque tacendo pondus iisdem addere, adeo ... (***que***) multorum animos abs te alienare? Certe nostri animi non facile abs te alienabuntur, nisi ipse nobis (id quod te nunquam facturum speramus) necessitatem imponas, ut facere hoc ipsum, velimus, nolimus, cogamur. Cogeremur autem, si a nobis minime fucatis fratribus ac amicis animum averteres, et ad Islebium ac quos nescio aulicos adiiceres, conatus illorum, quibus veram doctrinam cum philosophica et impios cultus cum veris conciliare nituntur, adprobando. Iam quod ad alierum (***alienum***? ***alterum***?) rumorem adtinet, quo sparsum hic est, hoc vos donasse, ut ne quid a concionatoribus in Papam ac episcopos e suggestu atrocius dicatur, et calami etiam ea in re temperentur, speramus ab adversariis hoc de vobis confictum esse. Nam eos reprehendere non debere, qui omnis falsae doctrinae et impiorum cultuum autores in ecclesia hactenus fuerint, et summa crudelitate omnis generis

idolomanias adhuc vigeant, quid aliud esset, atque abominanda perversitate malum bonum, et bonum malum dicere? Rogamus igitur, ut, quid factum huius sit, nobis indices. Nam ad hunc rumorem aliquid etiam de concessa iterum episcopis iurisdictione adiicitur, quod aeque falsum esse, nisi de christianis episcopis verba fiant, speramus. Quod bonorum enim et vere episcoporum autoritas mereatur, scimus. Et si tales essent, qui tanta severitate hanc ipsam iurisdictionem reposcunt, facile pareremus et nos iisdem subiiceremus. Quia vero impii sunt, ab eruditione et episcopis digna adfectione quam longissime absunt, veram doctrinam persequuntur, impios cultus ac idolomanias urgent: satius esse ducimus, ut ad honestum mortis genus parati, quam in tali casu dicto audientes simus. Et qua conscientia parcere illis non resipiscentibus vel in scriptis nostris vel e suggestu possumus? Quis ad manifeste impiam doctrinam et impios cultus connivere queat? De Zigleri oratione nihil pronuntio, utpote neque visa mihi neque lecta. Quantum tamen ex responsione Amsdorfii subodorari possum, novatione rituum Zigelerus autoritate Basilii oppalliare et excusare conatur: id quod tamen ex vere piis facile movebit neminem. Si enim Basilius suam novationem sensisset, cum tot ac tantis offendiculis coniunctam esse, et tantam ecclesiarum turbationem hinc oriri, haud dubie ab ea abstinuisset. Certe ex ista in ecclesiis aliquot vestris novatione tanta offendicula, quibus tollendis nullius Basilii autoritas sufficiens satis erit. Testantur hoc multorum piorum singultus, suspiria, lachrymae, querelae, indignationes. Nam ab imperitis omnia haec eo accipiuntur, quasi praesentes nostrae ceremoniae, quas a vobis accepimus et pias esse scimus, impiae sint, et propter impietatem nunc abrogentur. Et ut maxime [1]) novatio ista vestra ab impietate absit, tamen et imperiti hoc non intelligunt, et saevitia in eos, qui mutatione rituum ecclesiae neque utili neque necessaria auditorum animos turbare nolunt, adhibenda non erat. Quo pacto enim adiaphoron esse potest, ad quod carceribus coguntur concionatores? Ah, coeat rursus inter nos concordia! Non sic sinite Vitebergenses, quibus tam multa debemus, turbari piorum animos. Quatenus enim alius alium vicissim mordemus ac devoramus, eatenus alius ab alio vicissim consumimur. O, mi Philippe, O, inquam, Philippe noster, redi per immortalem Christum ad pristinum candorem, ad pristinam synceritatem, ad pri-

1) maxime] autographon calami errore exhibet: maximae.

stinam constantiam! Ne languescito ista tua formidine ac pusillanimitate nostrorum animos tantopere! Non aperito hac non utili moderatione ad papatus recurrentem impietatem ac idolomanias fenestram ac ianuam! Non sis tantorum in ecclesia offendiculorum autor! Ne sinas, tua tam egregia scripta, dicta, facta, quibus mirifice hactenus de ecclesia ac scholis meritus es, isto condonationis, novationis, moderationis nevo, ad eum modum deformari! Cogita, quantum animi ista vestra consilia et adversariis addant, et nostris adimant. Perpende, quam placari etiam istis moderationibus adversariorum animi non queant, qui totius papatus doctrinam et omnes ex aequo impios cultus reposcunt, et ex nostra pusillanimitate spem concipiunt, facile se voti compotes futuros hac in re, si sic vacillantes urgere pergant. Detestatur dominus apud Ieremiam eos, quod scis, qui manus pessimorum confortant, ut non convertatur unusquisque a malitia sua. Cur igitur in tam ardua caussa nos tales non gerimus, ut huiusmodi detestatio competere in nos haud possit? Qua perversitate arundo huc illuc ventis agitata dici, quam Ioannis baptistae constantiam imitari malumus? Scimus, reipubl. tranquillitatem, quae ratione hac quaeritur, rem modis omnibus expetendam esse. Scimus, pace, quam expetitis, nihil neque iucundius neque optabilius esse. Sed pacem ac tranquillitatem cum tot ac tantis ecclesiarum incommodis, offendiculis ac turbationibus quaerere, id vero an deo placeat, ipsi positis adfectibus iudicate. Annon enim diversum Christus docet: ***Non veni pacem mittere, sed gladium?*** Item: ***Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat?*** Flaccus[1]) de politice bono viro inquit: ***Si fractus illabatur orbis, ferient ruinae impavidum.*** Quanto magis nos, qui christiani et ecclesiarum gubernatores sumus, functione nostra nihil indignum vel dicere vel facere vel recipere vitandorum periculorum gratia debemus. Fateor, crucem temere accersendam non esse. Interim autem hoc quoque verum est, si propter veritatis negotium ingruat et vitari non queat, fortiter ferendam esse. Proinde te, o noster Philippe, iterum atque iterum per Christum, redemptorem nostrum et brevi futurum iudicem, rogamus, ut, professionis tuae memor, talem te cum Vitenbergensibus tuis iam geras, qualem te ab initio huius caussae gessisti, hoc est, ut ea sentias, dicas, scribas, agas, quae Philippum, doctorem Christianum, non aulicum philosophum decent. Nam qui tibi iam in

1) Horatius Flaccus Od. III, 3, 7 sq.

aulis tales fumos vendunt, nae illi posthac, si in omnis generis impietates consentire recuses, capitaliter inimici futuri sunt. Sine, carissime Philippe, hoc nos abs te impetrare, quod Hamburgen. fratres impetrare non potuerunt, videlicet disertam ac numeris omnib. constantem Adiaphororum explicationem, quae et nos moerore ac metu et vos suspicione, ecclesiis vehementer noxia, liberet. Quodsi impetrare hanc abs te, tot fratrum precibus petitam, non siveris, iam nullas profecto δευτέρας φροντίδας habemus, quae gliscenti schismati ac offendiculo mederi queant. Et tu nos in moerorem coniicies, in hac mortali vita nunquam finiendum. Attamen meliora sperantes hunc tabellarium nostris sumptibus ad te ablegavimus, reverenter et amanter responsum tuum poscentes. Bene, mi Philippe, vale, et nos ama redamantes te mirifice. Datae Pattensenii 25. Septembris 1549.

T. ex animo Antonius Corvinus.

---

338. No. 4629[b]. (Vol. VII. p. 505.) 19. Nov.

Paulus Eberus ad Melanchthonem.

Hanc quoque epistolam Dav. Schulz in eodem libro ad No. 337. indicato l. l. p. 234 sq. primum edidit.

Ornatissimo viro, pietate, eruditione et virtute excellenti, domino M. Philippo Melanthoni, praeceptori suo et patri venerando et cariss.

S. D. Magnis nos curis liberavit brevis epistola tua, quam per tabellarium Gotthanum huc misisti, venerande et carissime praeceptor, cum te abeuntem videremus quaedam metuere, quae praebuisse causam istis verebaris, ut te hoc tam incommodo tempore hinc avocarent. Terrebat etiam nos omen, ut magis metueremus, ne quid tristis nuntii tecum huc reportares. Nam die Saturni, quo te Lipsia commovisse ratiocinabamur, paulo ante horam diei duodecimam, saevissima subito exorta est tempestas, deferente vehementissimo flatu largissimum imbrem permixtum grandine tam violenter ab occasu, ut maceriam, quae hortum Oeconomi in area collegii nostri munit, everterit, et ante portam arcis arborem radicitus evulsam in pauperculae mulieris ex urbe nostra alteram vaccam abiecerit, qua ruina pecus oppressa exstincta est. Haec sane parva nos, hoc tempore timidiusculos et quidvis etiam horrentes, tum territabant magis, donec sequenti die tuum scriptum nos confirmavit, ut, excussis illis, quae nobis vanus metus et suspiciones nostrae dictaverant, meliora spera-

remus. Itaque iam Dei gratia, tuoque beneficio, tranquillo sumus animo, tibique gratiam pro officio tuo habemus omnes, et Deum sedulo pro tuo et comitum incolumi et laeto reditu precamur. Etsi autem nunc nihil habebam, quod scriberem, cum et publice et domi tuae Dei beneficio omnia sint tranquilla, tamen, cum huc essent allatae literae ex Salinis de Corvino, quae moram tantam, dum huc redires, quantam ex nuntii sermonibus poteramus colligere, ferre non videbantur, visum est eas prima quaque occasione ad te mittere. Narrabat autem tabellarius, Corvinum ab Erico[1]) captum esse, et piam dominam, matrem ducis[2]), animam agere, et alia addebat congruentia illis, quae scripsisti de egregiis pugnis hominis militaris editis in Gynaeceo, expugnato scrinio librario. Euclidis nobis editio valde placuit, et iudicamus utilem et gratum eum laborem Rhetici scholasticis fore. Salutem optamus omnes tibi et domino D. Maiori, tuisque comitibus et hospitibus. Omnino autem reverenter salutari peto patrem meum et dominum Danielem Ambrosium, et hospitem nostrum, ausum anteferre mustum Mysnicum meo Franco, contra optimam tuam demonstrationem. Bene vale et redi salvus et laetus, mi praeceptor. Die Elisabethae 1549.

P. Eberus.

---

339. No. 4646 b. (Vol. VII. p. 519.) (anno 1549.)

Marchiacis Ecclesiis.

Haec epistola invenitur in Conradi Schlüsselburgii Catalogi haereticorum libro XIII. et ultimo (Francoforti 1599. 8°.) p. 616—623.

Consilium D. Philippi Melanchthonis scriptum ad Marchiacas Ecclesias, in quo exponitur, quos ritus, salva tamen doctrina, ecclesiae recipere et servare possint.

In tanta Ecclesiarum moestitia et dissipatione optarim, quam minimum fieri mutationum: semper enim tranquillis temporibus aliquid est in mutatione incommodi.

Nunc multo magis dolore adficiuntur bonae mentes, cum vident tales mutationes institui, quae significant inclinationem ad inimicos nostros, quos certum est defendere vitiosos cultus, propter hanc inclinationis opinionem triumphant et confirmantur ini-

---

1) Erico, Duce Luneburgensi, conf. Dav. Schulzii Prolegomena ad illam Ant. Corvini epistolam d. 25. Sept. 1549. Melanchthoni scriptam (no. 337.) in Illgenii Ephemeridibus anni 1832. fasc. II. p. 226.

2) Elisabetham, prioris ducis viduam.

mici, et inter nos multi pii languescunt, et in dubitationem adducuntur: Quare suasores mutationum graviter accusantur, et iudicantur scandalorum insignium auctores esse, videlicet languefactionis in ea parte, quae recte sentit, et confirmationis errantium, denique et obscurationis veritatis et gloriae Dei. Haec non sunt exigua mala, de quibus postea rursus dicendum erit, cum collatio fiet scandalorum, quae ex durioribus et mollioribus sententiis sequuntur.

Prius autem discernenda est confessio privata a consilio, quod aliis infirmis et dissimilibus datur. Laurentius recte fecit, quod mortem praetulit edicto Decii de pecunia: Fuit enim in ea occasione confessio eius illustrior, et talis celsitudo animi singulari motu Spiritus sancti iuvabatur. Alius timidior censuisset, pecuniam potius amittendam esse, quam vitam, et fuisset huius infirmitas excusabilis.

Nihil igitur hic praescribam fortibus, qui etiam levi occasione confessionem illustrem suo periculo edere volunt. Sed videant, an veras sententias profiteantur, et earum fontes norint, et non sint **θρασύδειλοι**, id est, audaces ante pugnam, et postea in pugna trepidare et deficere incipiant: quales vidimus multos usque ad ancillae vocem fortes, ut in Petri historia exemplum positum est.

Non autem de privata confessione disputo: sed de consilio dando aliis dissimilibus et infirmis: ut hoc tempore multi gubernatores petunt, ut pastores restituant aliquos ritus Adiaphoros, eamque moderationem sperant profuturam, ut plus non postuletur, ne turbentur Ecclesiae, propter alias res maiores.

Hic tamen sentio, petentibus talem moderationem gratificandum esse. Nec ignoro, multa horride et Stoice dici, quam hanc sententiam seu timidiorem, seu aequiorem, cum initia mutationis confirment adversarios, ne quidem parva ducenda esse Adiaphora. Hanc duriorem opinionem si qui amplectuntur, suo, non alieno, periculo amplectantur. Cum Petrus dicit, patiendum esse ubi opus est: praecipit, ut confessio sit de rebus seriis et necessariis, et occasio sit honesta, adeundi periculum: ut cum magistratus interrogarit de doctrina, vel praecipit, ut facto ipso abiiciamus doctrinam: sicut Ethnici praecipiebant, ut milites idolis sacrificarent.

Itaque non solum docti et fortes, sed etiam populus anteferre debet veritatis confessionem, vitae et paci in rebus veris, quarum cognitio omnibus necessaria est: ut cum praecipitur de

corruptelis doctrinae recipiendis aut de manifesto abusu Missarum, aut de invocatione mortuorum, est erudiendus populus, et discrimen intelligat inter necessaria et non necessaria: Sed cum petitur, ut servetur ordo veterum cantionum, feriarum et vestitus, hic non iudico, populum onerandum esse periculis: cum Petri regula dicat: ***Patientes ubi opus est.***

Meminimus in vicino loco Basileae crematum esse quendam propter esum carnium. Et si crudelitatem iudicum iustissime execramur, et constantiam boni hominis in confessione laudamus: tamen et ipse nequaquam male fecisset, si hoc periculum vitasset, et certe alios onerare nemo debet, ut tali occasione sibi periculum accersant.

Secundo, non tantum metu moveor, ut pias, elegantes et similes ceremonias optem in Ecclesiis nostris esse.

Saepe ante multos annos non ego tantum, sed etiam alii multi gubernatores Ecclesiarum, hortatores fuerunt, ut in Ecclesia pia et similis forma rituum institueretur. Nec propterea doctrinam de libertate Evangelica abolemus, quae de rebus multo gravioribus condonatur.

Sed omnes sani intelligunt, naturae hominum convenire ordinis elegantiam in publicis congressibus: sicut et Paulus dicit, ***Omnia fiant decore et bono ordine.*** Ac dolemus in multis locis etiam utiles ceremonias, ut absolutionis et cantionum, abolitas esse. Sed scandalum est, confirmare adversarios hac spe inclinationis.

Ad hoc respondeo. Si constantia erit confessionis in rebus necessariis, ut esse debet, non poterit defectio nobis obiici. Volo enim et deinceps semper eandem vocem doctrinae, et nullos recipi impios abusus. In caeteris autem rebus ostendamus modestiam et tolerantiam nostram in servitute. Haec ipsa submissio cum fieret retinendi Evangelii causa, honestior esset, quam superbior in deserendis Ecclesiis pertinacia.

Propterea maius est scandalum, deserere Ecclesias propter causas non maximas, aut praebere causam iudiciis populi, qui diceret, nos propter parvas res pertinacia nostra attrahere bella, quam praebere adversariis qualemcunque occasionem calumniandi nostram moderationem. Et cogita, uter male faciat, an ille durus et horridus, qui ut retineat laudem constantiae, mavult Ecclesiam deserere, quam vestem mutare: aut vero hic patientior servitutis, qui ut prosit Ecclesiae, sustinet onera quamvis ingrata, sed sine impietate, ut interea maneat in principalibus in eodem statu, et

non tollatur ministerium Evangelii, et non turbetur invocatio in populo.

Saepe fit etiam, ut illi ipsi duri et vehementes negligant, imo etiam impediant, et interea de rebus minutis tumultuentur: sicut dictum est de colantibus culicem et devorantibus camelos.

Pugnant aliqui de veste, et interea prorsus tacent de disciplina, imo magis eam laxant, de excommunicatione et aliis nervis vitiosorum cultuum.

Sed confirmas, inquiunt, adversarios? Non, sed declaramus modestiam nostram et studium iuvandae Ecclesiae, quod videlicet servitutem duriorem toleramus: et quidem ideo toleramus, ne Ecclesiae deserantur. Item, ut omnes intelligant, nos non de nostra libertate, sed de necessariis articulis dimicare: ac servitutem eo modestius feramus, quia praetextu libertatis nos abusi sumus omnes.

Fatendum est, non vulgarem petulantiam multorum fuisse, in conturbanda doctrina: nec populus tantum, sed etiam gubernatores et seniores nimium neglexerunt exercitia temperantiae, utilia invocationi.

Magna fuit in discendo, in inquisitione et explicatione veritatis, negligentia: nemo curavit inspici Ecclesias, et rudiores pastores erudiri. Multi doctores adfectibus suis nimium indulserunt: aliqui etiam intempestive miscuerunt causam Ecclesiae, et alia negotia.

Haec nostra peccata et alia multa, commonefacti iam praesentibus aerumnis deploremus: et ita feramus servitutem, ut, donec possumus prodesse Ecclesiis, non discedamus. Nec propterea amittitur Christiana libertas, si recte docebimus, nam cordatiores scient tales ritus non esse cultus Dei: sed alia maiora opera, fidem, veram invocationem, dilectionem, spem, patientiam, veritatem, confessionem, castitatem, iustitiam erga proximos, et alias virtutes veros cultus Dei esse. Sine hac doctrina et sine his virtutibus, doctrina externa in cibo, vestitu, et similibus Adiaphoris, non est Christiana libertas: sed nova politia, fortassis gratior populo, quia patentiora vincula habet.

Obiiciunt autem aliqui dictum Pauli: *Si quae destruxi, ea restituo, praevaricator fio.* Non erravit Paulus in destruendo. At in hac nostra infirmitate, cum primum veteres ritus aboliti sunt, magna fuit et docentium et opinionum et locorum dissimilitudo. Aliqui privatam absolutionem prorsus aboleverunt: quod cum non sit recte factum, etiam ante hoc tempus eam restitui

optavi. Fateamur nos homines esse, et potuisse quaedam temere et circumspecte dicere et facere: talia, si quae sunt, non gravatim emendemus.

Nec restitutio aliorum rituum meliorum praevaricatio est, cum doctrinae puritas retinetur. Nam qui Paulo obiiciebant restitutionem illam, volebant eum doctrinae genus mutare, et aliis praeponere legem Mosaicam, tanquam necessariam. Alibi in usu attemperat se ad mores eorum, cum quibus conversatur, et propter Ecclesiae utilitatem sua libertate non utitur.

Etsi nunc scio, multos de hac quaestione duriorem sententiam magis probare: tamen si profutura est servitus ad hoc, ne amittant Ecclesiae vocem verae doctrinae, nec onerentur vitiosis cultibus: pia et gravis causa est, cur servitutem, quamvis duram anteferamus aliis consiliis, in qua tamen nec conscientiae vulnerentur, nec invocatio piorum turbetur.

Et quia non leviter antea dissidia nostra nobis nocuerunt, non moveamus nunc inter nos ipsos certamina non necessaria: sed singuli in aliis quaedam boni consulamus, et communi tranquillitati condonemus: et leniamus Ecclesiis moestitiam nostra aequitate, quantum possumus: et Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum oremus, ne sinat extingui lucem verae doctrinae, et veram invocationem, Anno 1549.

ANNO 1550.

340. No. 4667ᵇ. (Vol. VII. p. 543.) 9. Febr.

Caspar Hedio ad Melanchthonem.

Huius epistolae apographon coaevum in Bibliotheca Carolina Ep. T. 25. p. 498. Invenitur, quod mihi describendum Clar. V. Voegelinus benigne curavit. — Hanc epistolam ad Melanchthonem scriptam Hedio cum Pellicano ineunte mense iulio 1550. communicavit additis eis, quae Tragoediam hanc Argentinensem postea exceperunt. — A tergo quaedam manu Pellicani adscripta sunt, quibus Lutheri zelum excusat, eumque hominem se in multis praebuisse, sed tamen defendendum et excusandum, docet.

Epistola Hedionis ad Melanchthonem.

S. D. Ornatissime Philippe. De statu Ecclesiae Argentinensi paucis te volo certiorem facere. Post eam actionem, quae sub duobus arbitris D. Barone a Fleckenstein, et Georgio a Vinckersheim praeposito Ecclesiae, quam vocant Seltz, inter Episcopum

et Senatum Argentinensem habita fuit mense Novembr. 1549, et conventum, ut Episcopus haberet tria Collegia, Cathedralem Ecclesiam et duas Petrinas, sub natalem Christi vocatus fui ter a Capitulo illustri et Episcopalibus. Ibi D. Christ. Vuelsingerus Episcopi nomine petiit, ut ordinationi Interimicae et novae, quam vellent auspicari, nomen darem, religioni, indueremque vestem lineam, ac in aliis externis, quae vocabat adiaphora, me conformem exhiberem. Adiunctis minis, si non obsequerer, Episcopum Caes. Maiestati meam inobedientiam significaturum. Accepi (non sine consilio) deliberationem VIII diebus, et respondi Christiana modestia me servaturum fundationem praedicaturae, quam scirem Christianam, quam iurassem A. 23 et servassem hactenus. Neque 26 annis illustre capitulum unquam in me desiderasset aliquid, me velle posthac docere, ut antea, favore Dei, et semper paratus fuerim, et sim hodie, rationem reddere meae doctrinae omni petenti, omnibus Christianis Magistratibus et piis hominibus, rogavique humiliter, ne meam conscientiam gravarent, non enim possem corruptelas ullas doctrinae Filii Dei approbare. De veste quidem, quod me attineret, respondi, me non anxium esse, sed populum Argent. ita aversari, ut sine gravi offendiculo non possim induere. Auditores enim essent interpretaturi me aut recantare priorem doctrinam, aut prorsus Papisticis abusibus me velle subscribere. Maxime, si ego qui postremo hanc vestem et invitus deposui, primus sim et solus, qui inter XVIII Ministros Verbi resumerem. Hoc responso non contenti, voluerunt, ut amplius deliberarem. Respondi, firmam stare sententiam meam, et idem posthac etiam acturum me. Res delata est ad Episcopum et dilata ad quindenam. Interea ex Capitularibus ordinati, intermisso priori articulo de doctrina, de veste solummodo egerunt, ut ita iniicerent laqueum, et meis concionibus in primo templo frequentioribus, populus sensim ad eorum sacra adduceretur. Sed sensi latentem imposturam, quam tandem etiam deprehendi. Et constanter confessus fui, non negavi et confessus sum. Non sum ego Interimista. Senatus libenter lumen doctrinae in primo templo propter cives et peregrinos conservasset, egeruntque quam diligentissime apud Capitulum, quod, ut verum dicam, gravatim mihi dedit licentiam, ut vocant. Sed Episcopus haud dubie per Vuelsingerum perrupit, ita ut XXV d. Ianuarii audirem: Du solt urlaub haben. Habui honestissimum stipendium supra flor. 250 nec alios labores, quam ut ex officio docerem singulis Dominicis, et tempore quadragesi-

mali quotidie, et quos sponte mea volui suscipere docendi dies. Attamen malui servare conscientiae tranquillitatem, quam adversus hanc aliquid committere. Vigilia purificatae virginis inceperunt vesperas, sine strepitu, nisi quod multus populus ex curiositate accurrit.

Die Virginis mane instituerunt parochum, qui docuit, sed paucis. Et post concionem habuerunt Missam. Hic aliquis strepitus factus est per adolescentes, qui Pfaffum Gallicum e templo eiecerunt puerilibus, ut audio, de causis. Reditum est a choro in locum capitularem, ubi cecinerunt: Te deum laudamus, metu territi, ne illud in choro canerent.

A prandio consueta hora docui ego in templo D. Thomae frequentissima corona audientium. Tunc successor meus (si Diis placet) homo impudens et scortator, quem vocant M. Reinhardum, qui aliquando fuit nostrarum partium, adscendit meum vetus suggestum primi templi, legit epistolam eius diei ex Malachia cap. III, sed valde meticulose. Ibi sibilus et murmur omnis generis adolescentum terruerunt novum scil. doctorem, ut recta sine vale aut benedictione fere in prohemio concionis se festinabundus e cancellis in locum Capitularem reciperet. Hinc commoti Episcopales et Canonici ad Palatium festinant, Magistratui indicunt, quasi non sit servata fides et laesa securitas Cleri. Et quamquam optimus senatus adderet animos, ut, si vellent, pergerent, se probe curaturos, ut a nemine vel riderentur vel laederentur, tamen illi forte (nit vil lust on das darzu haben) eo die intermiserunt vesperas, et dum haec scribo, nil amplius in tribus templis fecerunt, usque ad Pentecosten. Episcopus indignissime fert hunc casum vere casum, et significat, se Mai. Caes. omnia velle indicare. Omnem culpam concionatoribus imputat, et, si velim verum fateri, cogor in quibusdam modestiam desiderare. Et satis moneo et monui, sed fertur equis auriga, nec audit currus habenas. Mea sententia est, ut causa superiores sumus, ita simus et modestia. Ac magnum est, agere pacificum et prudentem Ecclesiae filium, esse fidelem et prudentem dispensatorem mysteriorum Dei. Senatus in eo totus est, ut vel aliquot templa conservet, in quibus lumen ponatur super candelabrum, sit lux doctrinae et laetitia sacramentorum. Quod si Carolus calumniis adversariorum credat, periculum sane imminet, ne omnibus nobis inhibeatur ministerium docendi, unde in dies male habitura est Ecclesia, et peius schola. Hodie in templo praedicatorum amplissimo, ubi et schola est, docui. Sustinebo Dominum, quid de me velit fieri, et quamdiu

velit me esse in functione docendi. Sensit, obrepit senium et magnis clamoribus satis fatigavi caput, ut ex animo cupiam abbreviari illos dies, et cum Simeone in pace dimitti. Oro autem ut haec boni consulas ceu historiolam calamitatis nostrae. Deus aspiciat et misereatur nostri, Amen. Bene vale. IX Februarii 1550.

341. No. 4676 b. (Vol. VII. p. 550.) 24. Febr.

Senatui Rostochiensi.

Hae literae ex Melanchthonis autographo, quod in tabulario Senatus Rostoch. asservatur, primum typis divulgatae sunt ab Ottone Krabbe in libro: Die Universität Rostock im funfzehnten und sechzehnten Jahrhundert. 2 Thle. (Rostock u. Schwerin 1854. 8°.) P. II. p. 489. not*).

Den Erbaren weisen vnd frommen Herrn Borgermeisteren vnd Radt der loblichen Stadt Rostock, meinen günstigen Herren.

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vnsern heiland vnd warhafftigen heiffer zuvor, Erbare weise fromme günstige Herren, Euer Erbarkeiten bitt ich erstlich diese meine schrifft gutwilliglich anzunemen in betrachtung daß ich in dieser Vocation der Jugent studia, so viel mir möglich, zu fordern schuldig binn. Nu hat mich ein züchtiger wolgelarter junger gesell mit namen Petrus Eggerdes, eines Burgers son zu Rostock, vmb Zeugnis vnd vorschrifft [1]), der wegen ich ihm diese schrifft geben habe, vnd berichte mit warheit, das er mit natürlichen gaben Ingenij durch gottes gnad wol geziert ist, vnd ist sittig vnd gottfürchtig. Dieweil nun Euer Erbarkeit seines vaters vnvermögen weiß; bitt ich Euer Erbarkeit wollen ihm zum studio eine günstige hülff thun, denn wiewol ich gelegenheit solcher sachen in Euer Regierung nit weiß, so hab ich doch nit Zweifel, Euer Erbarkeit als verstendige christliche Regenten, sind geneigt zu erhaltung nützlicher vnd christlicher lehr, wissen auch, das der Son Gottes Jhesus Christus vnser heiland gesprochen hat, wer dem geringsten vnter den meinen vmb der lehr willen Einen trunk Wasser giebt, dem soll es belohnt werden. Der selbig warhafftiger Son Gottes Jhesus Christus wolle Eure Kirchen vnd Stadt, Euch vnd die Euren gnedigilch bewaren. Datum Witeberg, 24. Februar Anno 1550.

342. No. 4717 b. (Vol. VII. p. 594.) 10. Maii.

Albertus Hardenbergus ad Melanchthonem.

Hanc epistolam Simlerus ex autographo, quod in Msc. Vol. V. p. 1. Scrinii Eccl. Argent. exstat, exscripsit. Apographon Clar. Viro Voegelino debeo.

1) H. l. deest: gebeten

Ad Melanchthonem.

S. D. Hodie primum accipio tuas literas, Domine. Itaque dabis mihi veniam; nam tempore excludor. Deinde et materia, non quidem, quod nullam hanc Christiani habeant, qui nunquam uberiorem habuerunt, sed quod tutum non sit aliquid serii literis concredere. Spero tamen tuam Pietatem meas et postremas et penultimas nunc accepisse. Nam qui adferre debebat, pius est et bonus adolescens. Existimo te quoque Literas Domini Lascii accepisse, quas hic ad tuam Pietatem scripsit. Nunc solvit in Angliam. Nam vocatus est a Rege et Cantuariensi, qui et tuam Humanitatem libenter illic viderent. Hoc ego et omnia tuae sapientiae permitto. Spero Deum aeternum Patrem, propter Mediatorem Dominum concessurum, ut aut nihil unquam istic, aut omnia in melius mutentur, si qua tamen mutatione istic opus erit. Quod meue fidei adhuc concredus intimos recessus pectoris tui, id nullo tuo periculo facies, Domine; nam ut aliis omnibus officiis (libenter cedo reliquis amicis tuis), ita voluntate et studio, fide et amore nemini unquam cedam. Hic etiam mutatio nulla, pericula magna, constantia maxima, quam oro Deum, ut perpetuam esse velit, ita tamen temperatam, ut non in securitatem et socordiam exeat. Id ne fiat, tuae aliorumque piae preces apud Deum obtinebunt. Certe hactenus hic est pium hospitium omnium miserorum, quorum nunc non tam copia magna, quam turba ingens quotidie ad nos accurrit. Video hoc portendere aliquid certi, quod scribere non audeo. Homines non deerunt, non desit modo pietas. Utinam liceret impetrare a Domino harum calamitatum finem, saltem earum, quae inter fratres nunc sunt controversiarum. Non opus habeo te monere, Domine, ut, si quid sis responsurus, tale id omnino sit, quale semper ex tua sanctissima officina prodiit, quale a te postulat tristis Ecclesia Christi. Sed desino, mi anime, mi Pater, gubernet te et omnia tua Deus aeternus Pater per Iesum Christum.

Sunt duo viri conterranei Mag. Henrici nostri, ii, me autore, istuc veniunt, ut discant et meliores fiant. Vix elapsi sunt per gratiam Dei ex manibus adversariorum. Si quid potes, mi Domine, iuva illos, ut vivere et discere possint, sed nunc docti quoque sunt, sed putant, quod res est, non debere se ministerium in Ecclesia suscipere, nisi prius tuum et aliorum Praeceptorum calculum adiunctum habeant. Sum saepe molestus, Domine, sed quid faciam? Urgeor et bene consultum cupio bonis hominibus, quin et vestrae Ecclesiae ac scholae cupio integrum

constare honorem. Dabis ergo veniam vel fiduciae, vel temeritati meae, omnia audiam, omnia patiar abs te, modo ne vicissim audias.

De rebus Germaniae non scribam quicquam, nisi quod tota parturiat. Utinam eum enitatur filium, propter quem et angeli gaudent, quod natus sit in mundo. Memini ego dolores tuos, Domine, memini gemitus, memini collationes, sed quam est miserum res nunc ita habere, ut minima eorum pars, quae hinc gemitus nobis excutiebat, vel curetur vel transigatur. Quis non doleat tot nunc inundasse mala, ut de veteri illa dissensione et calamitate ne cogitari quidem in Ecclesiis possit? — Comitem tuis verbis libenter salutabo; velim autem ipse ad eum scriberes. De Te ipso, deque statu et rebus Ecclesiae vestrae scis esse delationes varias: scis alios alias suae vehementiae habere vel rationes vel imaginationes. Deus mihi testis est, quod perpetuo dolore cordis tantum non conficiar, cum audiam tam varia de bonis viris iudicia. Sed tempero mihi, nolo enim obtundere, sed tuus esse volo, dum vivam. O si, o si liceret colloqui coram mi Pater. Da veniam. Lachrymae me impediunt. Iesus Christus Filius Dei aeternus servet te mihi et nobis ad maximum emolumentum Ecclesiae suae. Amen.

Bremae X Maii 1550.

Tuus ex animo Albertus Hardenbergus.

343. No. 4736b. (Vol. VII. p. 608.) 14. Jun.

Oswaldus Myconius ad Melanchthonem.

Huius epistolae autographon in Ep. T. 25. p. 364. in Bibl. Carol. exstat. Apographon Viro Clar. Voegelino debeo.

Ad D. Philippum Melanchthonem.

Salutem et constantiam in Domino. Putant multi boni et docti viri nonnihil esse me apud te, quod miror: Ideo toties veniunt, rogantque, ut ipsos tibi commendem. An id inde forsitan est, quod norunt, te diligi a me: quoties enim est occasio, de te loquor quam honestissime: An quidpiam sit aliud, ignoro: Illud certum: scribo non invitus, vel ut opinionem in illis de te meam retineam, tametsi fortassis aberro.

Precatus est hic Laelius Italus ex Tiguro me, per Petrum quendam librarium, pariter Italum, ut se literis quamvis brevibus, tibi commendare non detrectem. Equidem mox promsi, aequo igitur animo tu, quae sum dicturus, perlegito. Filius est viri in

Italia doctissimi, et autoritatis magnae. Favet Evangelio Christi, ut qui maxime: et eam ob causam fere exulat: ita tamen, ut non sine patris permissu. Cepit impetum visendi te, nec id solum, sed etiam commorandi ad mensem unum atque alterum apud te, si ita tibi commodum. Quaeso itaque H. T. ut quod is tantopere cupit haud velis denegare: modo non sit molestum. Fuit satis iamdiu et Tiguri et Basileae, ut mores eius sint nobis non leviter perspecti. Novit multa, ut etiam hac ratione possit esse iucundus. Imprimis narrabit de profectu Evangelii apud Italos, tantum essent, qui sibi adessent. Traducunt libellos ex lingua Latina in Italicam, et scribunt proprios: sed dum exeunt ad nos, nemo describere audet: Hinc non parum damni pietati initiatis pervenire solet. Timent Magistratus omnia praeter Deum (sic ego apud te), si nemo tentabit eos, fortes manebunt: sin aliter, vereor periimus etc.

Reliqua sunt: Bucerus dicitur contractus esse, sic favet illi coelum Anglicum. Dryander nescio quid agat. Totus est in imprimendis libris, Plutarcho, Livio, et Lexico, ubi lingua Hispanica praecedit Latinam. Exivit Angliam propterea: quid inde lucri sit futurum, nescio, ipse sperat nonnihil. Tentarat quidem aliud, sed nihil adsecutus est.

Comitia si procedant, periit in terris, quicquid est Christi, ne quid dicam de coelo. Animus est enim impietatis, et coelum obpugnare. Quamvis Comes Vuirtenberg. hodie mihi dixerit duplex damnum accepisse Hispaniam a rege quodam Aphricano, qui et minatus est, se ne statuam quidem in Hispania dimissurum: quod si verum, tractabitur in Comitiis (si futura sunt) aliud, quam putavimus. Age vero, si Dominus voluerit, ut pereamus, nemo liberabit: si non voluerit, frustranea sunt adversariorum consilia. Dominus aderit Ecclesiae suae, verum cum adflictione multa. Vale cum tua, tuisque in Domino, et fortis esto cum fratribus tuis: non potes scire, quam id ex re totius sit Ecclesiae Christi.

Basileae XIV Iunii 1550.

Tuus Oswaldus Myconius.

---

344. No. 4739[b]. (Vol. VII. p. 610.) 18. Jun.

Io. Calvinus ad Melanchthonem.

Calvini epistola invenitur in eius Operum Amstelodami editorum Tomo IX. (1677. Fol.), qui in priori parte Institutiones christianae religionis, et in altera Epistolas atque Responsa continet, p. 54 sq. et in eius Epistolarum et Responsorum Editione 3., quae Hanoviae 1597. 8°. prodiit, p. 237—240. epist. 117. atque in Conr. Schlüsselburgii Catalogo

Haereticorum, libro XIII. (Francoforti 1599. 8°.) p. 635—640. — In anglicam linguam translata legitur in hocce libro: Letters of Iohn Calvin compiled from the original manuscripts and edited with historical notes by Dr. Iules Bonnet. Vol. II. (Philadelphia. 8°.) p. 270—275. epist. 263. adscripto dato: „[18th Iune 1550.]" Alii hanc epist. ad a. 1551. referunt, vide quae infra p. 326. in fine anni 1551. annotabo.

Calvinus Melanchthoni.

Dicebat olim Satyricus ille [1]), Si natura negat, facit indignatio versum. Mihi nunc longe secus accidit. Adeo enim me disertum non facit praesens dolor, ut fere elinguem potius reddat. Praeterquam enim quod me verborum facultas ad exprimendum animi affectum deficit, sola rei de qua scripturus sum cogitatione fractus prope obmutesco. Me itaque gemere potius quam loqui existimes velim. Quantopere Christi hostes exhilarent vestra cum Magdeburgensibus certamina, ex illorum ludibriis ac sannis plus satis notum est. Foedum certe ac detestabile, Deo primum et Angelis, deinde toti Ecclesiae spectaculum praebent. Hic, mi Philippe, etiam si nulla in te culpa haereret, prudentiae tamen atque aequitatis tuae foret, vel sanando malo remedium, vel mitigando levamen saltem aliquod excogitare. Sed ignosce, si ego non omni te prorsus culpa libero. Atque hinc coniecturam facere potes, quam gravia sint aliorum de te iudicia, et quam sinistri odiosique sermones. Patere interea, mi Philippe, ut in libera admonitione veri amici officio fungar: ac si paulo acrius tecum agam, ne quidquam ideo ex veteri mea in te benevolentia atque observantia imminutum putes. Etsi istud tibi novum vel insolens non erit, me rustica potius simplicitate offendere, quam adulatorie in ullius hominis gratiam loqui. Ego etiam, quia vicissim expertus sum, tibi nihil esse ingenuitate gratius, minus anxie laboro, ne moleste feras a me reprehendi, si quid iure displicet. Cupio equidem tua omnia sine exceptione et mihi probare, et aliis. Sed ego te nunc apud teipsum accuso, ne iis qui absentem damnant, cogar subscribere. Haec tuae defensionis summa est: modo retineatur doctrinae puritas, de rebus externis non esse pertinaciter dimicandum. Atqui si verum est, quod pro certo passim asseritur, tu res medias et indifferentes nimis longe extendis. Cultum Dei mille modis apud Papistas adulteratum non ignoras. Corruptelas quae minime tolerabiles erant, sustulimus. Nunc impii, ut de subacto Evangelio triumphum agant, easdem iubent restituere. Si quis recusare non dubitet, hoccine perti-

1) Iuvenal. sat. 1, 79.

naciae adscribes? Id vero a tua modestia quam alienum sit, novit. Tu si ad cedendum fuisti mollior, id tibi vitio a multis verti, non est quod mireris. Adde, quod eorum quae tu media facis, quaedam cum Dei verbo manifeste pugnant. Nimis praecise fortassis quaedam alii urgent, atque ut in contentionibus fieri solet, odiose quaedam exagitant, quibus non inest tantum mali. Verum si quid in rebus divinis intelligo, tam multa Papistis abs te concedi non oportuit: partim quia laxasti quae verbo suo Dominus adstringit, partim quia proterve Evangelio insultandi materiam dedisti. Quum circumcisio adhuc licita esset, annon vides Paulum, quia versuti ac malitiosi aucupes insidias piorum libertati tendebant, illis profectam a Deo ceremoniam pertinaciter negare? Itaque ne ad momentum quidem se illis cessisse gloriatur [1]), quo Evangelii veritas integra maneret apud Gentes. Hodie vero non de circumcisione nobis molesti sunt hostes: sed ne quid sincerum nobis relinquant, putidis suis fermentis et doctrinam et omnia pietatis exercitia inficiunt. Quod Magdeburgenses dicis tantum de linea veste rixas movere, quorsum pertineat, non video. Lineae enim vestis usum cum multis ineptiis, tam apud vos quam apud illos hactenus retentum fuisse arbitror. Sed profecto crassioribus te corruptelis manum dedisse, quae aperte ad vitiandam totius doctrinae puritatem, et labefactandum Ecclesiae statum tendunt, passim fremunt boni et religiosi homines. Si forte quod tibi aliquando dixi, oblitus es, nunc in memoriam revoco: nimis carum esse nobis atramentum, si ea literis testari dubitemus, quae tot ex medio grege martyres quotidie sanguine suo obsignant. Atque ita quidem loquebar, quo tempore longius a telorum iactu abesse videbamur. Nunc quum nos in arenam Dominus protraxerit, eo virilius nos eniti decebat. Alia, ut nosti, tua est quam multorum conditio. Plus enim ignominiae ducis vel antesignani trepidatio, quam gregariorum militum fuga sustinet. Ergo ut aliorum timiditati parcatur, nisi aequabile invictae constantiae exemplum ostendas, vacillationem in tanto viro non ferendam esse omnes dicent. Itaque plures tu unus paululum cedendo, querimonias et gemitus excitasti, quam centum mediocres aperta defectione. Quanquam autem certo persuasus sum, te mortis formidine nunquam compulsum fuisse, ut a recta linea vel minimum unquam deflecteres: fieri tamen potuisse suspicor, ut animum tuum alia timoris species percelleret. Scio enim, quanto-

1) Gal. 2, 5.

pere inhumani rigoris crimen horreas. Sed memineris oportet, non maiorem Christi servis famae quam vitae rationem esse habendam. Neque enim Paulo meliores sumus, qui per infamiam et probra secure perrexit [1]). Nos censeri praefractos ac tumultuosos homines, quibus magis libeat in totius orbis exitium ruere, quam ad moderationem aliquam descendere, acerbum id quidem et durum est. Sed iampridem ad voces illas occalluisse aures tuae debuerant. Nec vero vel mihi tu ita male notus es, vel ego tibi adeo sum iniquus, ut te ab aura populari, ambitiosorum more pendere arbitrer. Sed non dubito, quin te illae interdum punctiones debilitent. Quid? an prudentis et considerati hominis est, Ecclesiam scindere ob res minutas et prope frivolas? Annon tolerabili aliquo incommodo pax redimenda? Cuius dementiae est, sic ad extremum tueri omnia, ut totius Evangelii summa negligatur? Olim quum haec et similia ab astutis hominibus spargerentur, te plus iusto moveri solitum, animadvertisse mihi videor, ac ingenue tibi aperio, ne quid vere divinam animi tui magnitudinem impediat, qua te alioqui abunde instructum esse scio. Huius meae vehementiae non obscura tibi ratio est, quod tecum mori centies malim, quam traditae abs te doctrinae videre te superstitem. Neque hoc dico, quasi vel periculum sit, ne unquam tuo ministerio patefacta Dei veritas intereat, vel tuae perseverantiae ullo modo diffidam: sed quia nunquam satis sollicite cavebis, ne quam captant impii cavillandi occasionem, ex tua facilitate arripiant. Dabis veniam quod miserabiles istos quamvis irritos gemitus in sinum tuum exonero. Vale clarissime vir et mihi semper ex animo observande. Dominus te Spiritu suo regere pergat, virtute Spiritus sui sustentet, praesidio suo tueatur, Amen. Saluta quaeso meo nomine amicos, si qui istic erunt. Hic plurimi sunt qui te reverenter salutant. Multi enim vitandae idololatriae causa ad nos in voluntarium exilium ex Gallia profugiunt.

345. No. 4771 [b]. (Vol. VII. p. 643.) 12. Aug.

Scholarchis Argentoratensibus.

Hanc epistolam ex autographo primum edidit Rev. Vir Carol. Schmidt in Niedneri Ephemeridibus Zeitschrift für die historische Theologie anni 1846. fasc. III. No. XVI. „Dreizehn ungedruckte Briefe Melanchthons; aus dem Archiv des protestantischen Seminars zu Straßburg" (p. 433—442.) p. 438. epist. 9.

1) 2. Cor. 6, 8.

Nobilitate generis, sapientia et virtute praestantibus viris, clarissimis senatoribus inclytae Reipublicae Argentoratensis, quibus commendata est scholae inspectio, patronis suis.

S. D. Honestissimi viri. Non dubito vos et intelligere et saepe multumque considerare, quomodo Ecclesiam aeternam sibi Deus ex genere humano colligat, inter magna certamina et varia pericula, nec frangi animos vestros, etiamsi nunc saeva tempestas orta est. Conservari igitur Ecclesiam ad posteritatem, literas et doctrinam vitae necessariam, velle vos non dubito. Cum ergo *Iacobus Gloccerus*[1]) et in linguis latina, graeca, ebrea, et in doctrina Ecclesiae, et in philosophia praeclare eruditus sit, spero eum magno usui et ornamento fore universis Ecclesiis Dei ac patriae. Nam et in eius moribus modestia et ceterae virtutes bono viro dignae sunt eximiae. Quare beneficia quae in eum confertis, bene collocantur. A nobis etiam publico testimonio et gradu magisterii iam ornatus est, in quo et ipse eum audivi accurate, et comperi eum recte didicisse et Ecclesiae doctrinam et in philosophia eas artes, quae magnum vitae decus sunt. Ideo vos oro ut liberalitate publica eum iuvetis, et declaretis vobis haec iudicia de studiis quae fiunt in graduum renuntiatione, non displicere. Bene valete. Die 12. Augusti.

Philippus Melanthon.

346. No. 4775 b. (Vol. VII. p. 646.) (anno 1550.)

Coelio Secundo Curioni.

Hoc fragmentum epistolae Melanchthonis ad C. S. Curionem sine loco et die indicato (Simlerus adnotavit: „sed A. 1550 scriptae, quo Laelius Socinus Wittebergae vixit“) Simlerus exscripsit ex XVIII Epistolis selectis doctiss. Virorum S. Galli per Straubium impress. No. XI., ex cuius Collectione (S. Msc. 73.) Cl. V. Voegelinus apographon benigne ad me misit.

(***Fragmentum.***)

Eius eruditionem, eloquentiam, pietatem et animi fideique constantiam in perferendis ob Veritatem aerumnis maxime depraedicat, amicitiamque suam syncere offert. Laelius Socinus Curionem facit maximi.

347. No. 4834 b. (Vol. VII. p. 713.) (anno 1550.)

P. H. (Peter Hegemon seu Herzog?) ad Melanchthonem.

Hanc epistolam ex autographo Collectionis epistolarum Landeshutianae Vol. I. Fol. 211. primum edidit Dav. Schulz in Chr. Fr. Illgenii Epheme-

1) Inde ab a. 1557. Theologiae Professor Argentoratensis.

ridibus *Zeitschrift für die historische Theologie* anni 1832. fasc. II. No. VIII. *Beiträge zur Reformationsgeschichte des 16ten Jahrhunderts.* (p. 221—242.) p. 235 sq. epist. V. Siglae P. H., quibus auctor subscripsit, significant, ut Schulzius in Prolegomenis suspicatur, Petrum Hegemonem (seu Herzog), unum adversariorum Osiandri Regiomonti. Conf. Hartknoch *Preuss. Kirchengeschichte* p. 401 sqq.

Amplissimo viro, domino Philippo Melanthoni, praeceptori suo observandissimo, ad proprias manus Witenberg.

S. Quo in statu nostrae res et ecclesiae iam sint, ex hoc facile colliges, quod Osiander libere et impune facit, quidquid libet, et nostrum iam nullus auditur. Laborat princeps [1]), ut nos reconciliet cum Osiandro, hoc est, ut omnes suas opiniones approbemus: sed, quid effecturus sit, ignoro. Reliqua ex aliis habebis, neque tutum est nobis omnia scribere. Mitto tibi libellum, quem Osiander edidit [2]), quo probare conatur, nos et tuos discipulos non recte de articulo iustificationis docuisse, cum tamen libellus magis pro nobis est, quam contra nos, ex quo intelliges furorem eius melancolicum. Iactitat se defendere doctrinam Lutheri, cum tamen eius opiniones pugnent cum doctrina Lutheri. Tu nobiscum ora, ut Deus suam ecclesiam conservet et defendat. Necessitas instat, ut oremus. Bene vale. 1550.

P. H.

ANNO 1551.

348. No. 4862 [b]. (Vol. VII. p. 752.) 10. Mart.

Georg. Sabinus ad Melanchthonem.

Haec epistola in eadem Collectione epistolarum Landeshutiana Vol. II. Fol. 272. a Dav. Schulzio reperta ab eo illo loco sub no. 347. significato p. 237. epist. VI. primum edita est. Conf. eius Prolegomena l. l. p. 236.

Clarissimo viro, domino Philippo Melanthoni, socero et praeceptori suo colendo.

S. Non dubito, te iam pridem legisse maledicum istum libellum Osiandri, quo et fama tua crudelissime laceratur, et omnes, qui prodierunt e schola Vitebergensi, traducuntur heretici

1) Albertus Dux Prussiae.

2) Schulzius haec adnotavit: *Es mag die Disputation Osianders: de Iustificatione, vom 24. Octbr.* 1550 *gewesen seyn: woraus sich dann ergäbe, dass der Brief in den letzten Monaten desselben Jahres geschrieben seyn müsste.*

ac blasphemi. Ad hunc si nihil responderis, miror. Ego vero lachrymans doleo, te apud nos tam indigne tractari, de quibus tu optime meritus es. Nec satis mirari possum, quid istum Thersiten impulerit, ut atrocius in te debaccharetur, a quo tamen honorifice laudatus est, quam in illum acerrimum inimicum suum olim scripsit, a quo Norimbergae fuit parricidii et multorum scelerum accusatus, nempe, quod uxorem suam venenato fumo sustulisset etc. Ac quoniam ignominia tua me quoque attingit, ut qui arctissimo necessitudinis vinculo tibi devinctus sim, hortor et oro te, ne silentio rem dissimules, sed ut famam tuam, cuius hereditas ad liberos meos pertinet, vindices a gravissimo crimine hereseos tibi obiecto. Id enim ipse vel legitima accusatione vel publico scripto hic facerem, si mihi permitteretur. Ante duos menses misi Domino Friderico Livoniensi literas, quibus demum revocatur a patre. Has si forte non accepit, tu admonebis eum, ut statim ingrediatur iter, ac properet; num pater reditum eius anxie expectat. Vale. X. Martii, festinanter. Anno M.D.LI. ex Regio monte.

Tuus G. Sabinus.

Per filium Camerarii scribam de caeteris rebus nostris.

Literas discerpe.

349. No. 4864ᵇ. (Vol. VII. p. 753.) d. aequinoctii verni.

Henrico Duci Megapolitano.

Hanc epistolam ex autographo, quod in Tabulario Magniducali Suerini asservatur, primum divulgavit G. C. F. Lisch in Annalibus ab ipso editis: „Jahrbücher des Vereins für mecklenburgische Geschichte und Alterthumskunde. Tom. V. (Schwerin 1840. 8°.) p. 248 sq. Nr. 13.

Dem durchleuchten, hochgebornen fursten vnd herrn, herrn Heinrichen, hertzogen zu Mekelnburg, fursten der Wenden, Grauen zu Suerin, der land Stargart vnd Rostok herrn ꝛc.
meinem gnedigen herrn.

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vnsern heiland vnd warhafftigen helffer zuuor. Durchleuchter, hochgeborner, gnediger furst vnd herr. E. f. g. bitt ich In vntertheniкeit, meine schrifften gnedigtich anzunemen, vnd hatt mich ietzund vmb vorschrifft gebeten zeiger diser Schrifft Fridericus Winkler von Pretin, der E. f. g. Secretario Magistro Simoni Lupolt verwant ist; denn diweil ehr In dieser betrubten Zeit In andern landen dienst zu suchen furhatt, wolte ehr doch am liebsten vnter E. f. g. vnd bey seinem vetter Magistro Simoni bleiben. Bitt der wegen In vntertheniкeit vmb die Schulregierung zu Gustrow. Nu ist diser Fridericus gottforchtig vnd guter sitten vnd ist in grammatica vnd latt-

nischer Sprach also geübet, das ehr In einer solchen Schulen nutzlich dienen khann, vnd erbeut sich vleis zu thun. Darumb bitt ich In vnterthenikeit, E. f. g. wollen Ihr Ihn gnediglich lassen beuohlen sein.

Von Zeitungen ist ietzund die furnemesten reden vom betrublichen krieg vor Meideburg. Marggraue Hans hatt handlung furgehabt, aber es ist verhindrung darein gefallen.

Frankreich williget In das Concilium, doch also das der Bapst seine autoritet dem Concilio vnterwerfen soll; aber solche reden sind nur Spiegelfecht—.

Der Turkisch keiser Solimann Ist zu Adrianopoli vnd rust sich zu einem grossen Zug in Hungarn.

Wiewol nu grosse vnrug vor augen ist, so wert doch gewisslich der Son gottes Jhesus Christus dises sein heufflein erhalten, darinn seine lehr recht gepredigt wert, wie ehr spricht: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Der selbige warhafftige Gottes Son Jhesus Christus wolle E. f. g. sterken vnd den armen Christen zu gutem noch In disem leben lenger erhalden vnd ernach ewige frewd geben. Datum Witeberg die aequinoctii verni 1551.

E. f. g.

vnterthenige
diener

Philippus Melanthon.

350. No. 4864[a]. (Vol. VII. p. 753.) (d. aequinoctii verni.)

Hieronymo Besolt.

Hanc epistolam ex Professoris Van de Velde Apparatu Melanchthoniano primum edidit Schelerus in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 7. p. 100. epist. 4.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti D. Hieronymo Besolt evangelium docenti pie et fideliter in Ecclesia Dei, in inclyta Noriberga, fratri suo charissimo, S. D.

Venerande vir et charissime frater. Non potui multum scribere in hoc concursu occupationum, sed pagellas mitto et huic epistolae inclusi interrogationes meas quas manuscriptas Luthero ante multos annos exhibui, quibus ipse responsiones suas manu sua scriptas subiecit [1]). Nihil fingo et Paulus habet exemplum ex Lutheri autographo descriptum. Etsi autem non omnia attingit, de quibus nunc disputat D. Osiander, tamen quae fuerit Lutheri sententia certo hinc intelligi potest. Significa quaeso an acceperis. Bene et feliciter vale. Die aequinoctii verni 1551.

Philippus Melanthon.

1) Vide infra Prolegg. ad no. 369.

351. No. 4878 b. (Vol. VII. p. 765.) 14. April.

Senatui Rostochiensi.

Haec epistola ex autographo, quod in Tabulario Senatus Rostochiensis est, primum publici iuris facta est ab Ottone Krabbe in libro: Die Universität Rostock im 15. und 16. Jahrhundert. Parte II. (Rostock u. Schwerin 1854. 8°.) p. 470 sq. nota ***).

Den Erbaren weisen vnd frommen Herrn Burgermeistern vnd Rade der loblichen Stadt Rostock, meinen günstichen Herren.

Gottes gnad durch seinen Eingeborenen Son Jesum Christum vnsern Heiland vnd warhaftigen Helffer zuvor, Erbare weise fromme günstige Herren, Euer Erbarkeit bitt ich vleissig, sie wollen an dieser meiner schrifft khein vngünstig missfallen haben, denn so Euer Erbarkeit Zeigern dieser schrifft den hochgelarten Herrn Doctor Antonium Freudemann von Hall erkennen werden, wird E. Erbarkeit selb befinden, dass ich ihn guter meinung Euer Erbarkeit angezeigt habe, denn er ist ein gelarter, verständiger, warhafftiger vnd ehrlicher Mann, der wegen E. Erbarkeit zu wissen, dieweil gedachter Doctor Freudemann in andern Sachen ein reyss in Mechelburg vorhabe, ist ihm durch mich vnd andere geraden, die löbliche Universität zu Rostock auch zu besuchen, dazu er auch selb geneige, vnd wolle am liebsten in Euer loblichen Stadt vnd Universitet dienen, da ein Doctor Dratziher nicht mehr in Eurem Dienst sein wird, erbietet sich E. Erbarkeit zu dienen, dieser Doctor Antonius Freudemann, vnd mag ich E. Erbarkeit mit warheit berichten, dass er ferr ein ehrlicher warhafftiger treuer Mann ist, so werden auch E. Erbarkeit seinen Verstand als weise Regenten selb merken. Darumb bitt ich E. Erbarkeit wolle ihnen diesen Doctor Antonium Freudemann günstiglich lassen bevohlen sein, der allmächtige ewige Gott Vater vnsers Heilands Jhesu Christi wolle E. Erbarkeit vnd die Euren alle Zeit gnediglich bewaren. Datum Witeberg 14 Aprilis 1551.

Euer Erbarkeit

williger

Philippus Melanthon.

352. No. 4881 b. (Vol. VII. p. 767.) 24. April.

Francisco Dryandro.

Ex autographo, quod in tabulario Seminarii theologici Argentoratensis asservabatur, hanc epistolam Rev. Vir Car. Schmidt, Prof. Argent., benigne mihi descripsit.

(*Inscriptio deest.*)

S. D. Carissime frater. Existimo te scire dictum Nazianzeni, qui ait se nullius synodi exitum vidisse tranquillum. Itaque, etiam

si procedat Tridentina synodus, tamen maiores confusiones pariet. Oremus autem filium Dei dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum et sedentem ad dextram aeterni patris, ut det dona hominibus, ut ipse regat pectora et servet ecclesias suas. Opinor magnas causas synodum impedituras esse, ac spero me de his ipsis rebus coram tecum locuturum esse. Lelius Socinus Bononiensis saepe de te amanter et honorifice loquitur et tibi fausta omnia precatur. Minus ....[1]) est ecclesia, donec mediocre agmen ....[1]) consensum in sententia vera et ....[1]) benevolentia tuetur. Huc ....[1]) et animorum coniunctionem ubi possumus tueamur, propter communem ecclesiae salutem. Tibi mei dolores noti sunt, et nota est voluntas quam et Deo probari non dubito, et oro Deum ut nos regat. Bene et foeliciter vale. Die 24 Aprilis 1551.

Philippus Melanthon.

---

353. No. 4888 b. (Vol. VII. p. 781.) 1. Maii.

Celio Secundo Curioni.

Haec epistola, quam nondum vidi, exhibetur in libro: C. S. Curionis epistolarum libri duo. (Basileae, ap. Oporinum 1553. 8°.).

---

354. No. 4900 b. (Vol. VII. p. 791.) 28. Maii.

Oswaldus Myconius ad Melanchthonem.

Haec epistola in Bibl. Carol. Epist. Tom. 46. p. 407. asservatur. Eius apographon Clar. V. Voegelino debeo.

D. Philippo Melanchthoni.

Salutem et pacem in Domino. Non me latent occupationes tuae, Virorum praestantissime, et quibus obruaris calumniis quotidie, atque haec est causa, ut scribam, nonnisi ut hunc, qui has reddit, commendem. Idque breviter. Veterem vides discipulum, Paedioneum[2]) vocant: credo, quod nondum memoria tibi exciderit. Laudat et extollit tuam beneficentiam, ut qui maxime, quam ob rem voluit te revidere. Quaeso igitur P. T., si in his turbis, in quibus versaris, valeas, eundem te illi praestare dignetur. Abfuit ab ista regione iam biennio, sed nobis videtur, hoc temporis haud male collocasse. Audimus bona studia adhuc apud

1) His locis autographon erat discissum.

2) Nota Simleri: An hic ille Pedionaeus, qui de Bello germ. scripsit? vid. Epist. Co. Finck ad Hubertum XVIII Oct. 1551.

vos florere. Faciat Praest. tua, quantum valebit, ut hic eum fructum capiat, quo Patriae et Ecclesiae queat aliquando prodesse. Valeat illa cum familia et Academia, cumque reliquis Basiliensibus, quos commendo, ut magis nequeam. Basileae XXVIII Maii 1551.

T. P.

Oswaldus Myconius
plane devotus.

---

355. No. 4904 b. (Vol. VII. p. 794.) 2. Jun.

Senatui Nordhusano.

Has literas ex Professoris Van de Velde Apparatu Melanchthoniano primum edidit Aug. Scheler in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 8. p. 119 sq. epist. 25.

Den erbarn weysen und furnehmen Herrn Burgermaister und rath der loblichen stat Northausen, meinen gunstigen herrn.

Gottes Gnad durch S. e. S. J. C. U. H. heilandt und warhaftigen helffer zuvor. E. W. F. H. Die ewige gottliche weysheit hatt selbs beides verkundiget das dise letzte Zeit grösser mühe haben werde dann zuvor gewesen und das gleichwol ein christliche kirche zu ewiger seligkeit erhalten werde. Derhalben sollen wir in gedult dise grosse last und betrubniß tragen und gleichwol Gott bitten und hoffen er wölle die kirche und regiment erhalten. Darzu sollen wir ein yeder nach seinen beruff dienen und nicht nachlassen obgleich vil verhinderung und ergerniß furfallen. Und dieweyl dis noch erfordert, das ein erbarkeit in ewren kirchen und stat, christliche einigkeit und frieden erhalten, haben wir christlicher und trewer wolmeinung ein bedenken gestelt, das wir E. E. zusenden und bitten den Son Gottes J. C. unsern heylandt, der gewißlich eine ewige kirche im menschlichen geschlecht sammlet und erhalten will, er wolle auch eure kirchen und stadt und euch und die euren gnedig bewaren. Datum den 2. juny im 1551 jar.

Philippus Melanthon.

---

356. No. 4927 b. 19. Jul.

Michaeli Celio.

Hanc epistolam ex duabus apographis XVI. Seculo factis Tabularii Seminarii Argentoratensis primum edidit Rev. V. Car. Schmidt in Niedneri Ephemeridibus Zeitschrift für die historische Theologie anni 1846. fasc. III. p. 438 sq. epist. 10.

Reverendo viro pietate et eruditione praestanti D. Michaeli Celio, pastori in Ecclesia Dei in oppido Mansfeld, amico suo charissimo.

S. D. Reverende vir et amice charissime. Ipsa vox divina praedixit in hac senecta mundi fore maiores dissipationes generis

humani, quam fuerint antea: sed tamen Filium Dei servaturum esse Ecclesiam suam, qui ibi servabit eam, ubi vox doctrinae Evangelii incorrupta sonat. Etsi autem multa tentantur ad Ecclesias harum regionum delendas, tamen nunquam dubitavi Filium Dei eas servaturum esse. Synodus Tridentina astutissime ab ipso Romano Pontifice impeditur. Sed tamen utile est nos tueri consensum Ecclesiarum. Scriptum nostrum[1]) vos ipsos et alios legere et iudicare voluimus; congruit cum Confessione Augustana, et historia addita est de initiis mutationis. Scriptum a *Brentio*[2]) quoque compositum esse intelligo, quod legerunt et approbaverunt Argentinenses; ideo nondum quicquam edere voluimus, sed collatis sententiis, Deo iuvante, unam confessionem exhibebimus, quia pium et salutare est veram doctrinam una voce a multis proponi, nec fieri distinctiones. Deus scit nos maxime cupere et velle, ut harum Ecclesiarum in his regionibus consensus sit aeternus, ac dolemus quod aliqui ut *Osiander* dissidia moliuntur, quos ut Deus compescat oramus, Bene et feliciter vale. Die 19. Iulii 1551.

Misit huc honestos et doctos viros Marchio. *Iohannes*, ut legerent et iudicarent scriptum. Misit et princeps Anhaltinus *Wolfgangum*, et expectamus alios; et mandatum habemus ut legendum et iudicandum aliis exhibeamus; ideo ut et te huc mittant inclito comiti scripsimus.

Philip. Melanthon.

---

357. No. 4932 b. (Vol. VII. p. 814.) 26. Jul.

Albertus Hardenbergus ad Melanchthonem.

Huius epistolae apographon ex autographo in Msc. Vol. V. p. 2a. Scrinii Ecclesiae Argent. factum Clar. V. Voegelinus benigne ad me misit.

Piissimo et eidem doctissimo Viro Mag. Philippo Melanchthoni, Professori in Academia Vitebergensi, Praeceptori meritissimo.

S. D. Scripsi tibi ad tuas responsum per Petrum Nuntium, quem existimo ad vos necdum nunc esse reversum. Scripsi et

1) Schmidt his verbis adnotavit haecce: Die, auf Befehl des Kurfürsten Moritz, von Melanchthon verfaßte und für das tridenter Concil bestimmte Repetitio confessionis Augustanae, zu Leipzig von den sächsischen Theologen angenommen. *Camerarius*, vita Mel. §. 90.

2) Schmidt in margine inferiore adscripsit: Die von Brenz, auf Befehl des Herzogs Christoph, verfaßte Confessio piae doctrinae, von den württemberger und straßburger Theologen angenommen und den 24. Jan. 1552 dem Concil überreicht.

alteras per eundem adolescentem, qui has meas tibi dabit, vel ut illud de novo tibi commendem, vel ut illum studiosissimi iuvenis Ioannis Vuincelii Bremensis inopiae quoquo pacto apud te succurram, quem existimo tuo subsidio esse dignissimum. Certe indigentissimus est, et Patrem habet iuxta doctum et pium, qui in nostrae scholae ornamentum sese totum effundit, cui omnem operam suam perdius et pernox impendit, eoque familiae minorem curam addere potest. Sed de eo tibi nuper multa scripsi, quare nunc satis habebo Ioannem tibi simplicissimis verbis commendasse, quod videlicet optimus Pater in tuo patrocinio omnia constituat, quae ad filii sui studia pertinent. Nova non nunc nulla hic habemus, sed tristissima, et quae nemo bonorum sine periculo proferat. Brevi nimium multa lugebit impia nostra ingratitudo. Oro autem Deum, ut propter Christum Filium imminentes calamitates leniat. Vehementer aveo videre scriptum tuum, quod Repetitionem Confessionis inscribis. Ut vero ipse illud adferas, id nimium esset molestum. Tantum describatur meis sumptibus, et mittatur pro veteri fide nostra. Ioannes a Lasco te salutat in Domino. Aegrotavit, sed convaluit. Londini grassatur horribilis morbus, qualis erat sudorius ante annos XX. Pereunt plurimi, pauci convalescunt. Grassantur et alii morbi inauditi in Gallia et Belgico. Deus misereatur Ecclesiae suae. Amen. Ex Brema XXVI Iulii 1551.

Albertus Hardenbergus.

---

358. No. 4965^{b}. (Vol. VII. p. 845.) 10. Oct.

Sigismundus Torda ad Melanchthonem.

Huius quoque epistolae apographon Clar. V. Voegelino debeo. Descripta est ex copia in Msc. Tom. V. p. 544. Arch. Hotting. in Bibl. Carol. Inscriptio copiae haec est: „Nova quae sequuntur a Viro fide digno scripta sunt ad Ph. Melanchthonem, quibus Philippus ipse fidem habet; communicata Domino meo doctori Medlero transscripsi. Novi et ego eum, qui ea scripsit."

Ad Philippum Melanchthonem.

S. D. De Ecclesiis in Pannonia, quae Turcico Imperio subiectae sunt, haec certo scribere licet. Turcae neminem cogunt ad Machometismum, sed si quis sponte aut impulsione diaboli illorum sectae accedit, eum circumcidunt. Adulescentulos, quod maxime dolendum est, blandimentis ad se pelliciunt. In templis

permittunt doceri Verbum Dei et concedunt usum piarum Ceremoniarum. Quin etiam plerique nostram professionem amplectuntur. Magna ubique sitis est Verbi Dei. — Clamamus hac aetate non edi miracula, ecquod maius aut evidentius potest esse miraculum, quam quod Deus in mille periculis Ecclesiam non solum servat, verum etiam late propagat, ac dum vinci a mundo videtur, tunc maxime potentiam suam ostendit et declarat. Nostri Principes armis et castris erant oppugnatnri gloriam Christi, propterea Deus adduxit Turcas, qui concedunt libere doctrinae coelestis Confessionem. Quo fit, ut populus ad veri Dei agnitionem veniat, ad quam a calamitatibus externis quasi manu ducitur, o ineffabilem Dei misericordiam. Adfligit nos propter peccata nostra, quia iustus est et aerumnis, quasi flagris, admouet nos sui, ac vocat ad poenitentiam. Deinde in mediis angustiis aperit inexhaustos suae gratiae fontes ac thesauros, quibus nos consolatur, ita ut faciat opus suum, alienorum est opus suum. — Populus nihil magis optat, quam concionatores bonos. Nuper Bassa Budensis misit occulte literas in Ducatum Döbracensem, quibus Doctoribus ac Ministris non solum securitatem, sed etiam praemia promittebat volentibus in sui Imperatoris Iurisdictionem commigrare. Scripserunt et pastores Ecclesiarum sub Turcis ad nostros Concionatores, qui Döbretii convenerant, in hanc ferme sententiam: „Dilectissimi Fratres, agimus Deo immortales gratias pro immensa bonitate sua, qua nos in hac captivitate visitavit, lucem Evangelii sui nobis patefaciens. Scitote nostras Ecclesias amplecti coelestem doctrinam de Filio Dei, et populum ardentibus votis petere quotidie a Deo copiam bonorum Concionatorum. Quare vos hortamur, ut primo quoque tempore ad nos veniatis, quod et facere secure potestis, et praemia hic temporalia, et in vita futura aeterna a Deo Patre Domini nostri Iesu Christi percipietis. Intelligimus vos et eruditione nobis antecellere, et gratia Spiritus donis praelucere. Nec mediocris est spes Turcas ad nostrae fidei confessionem accessuros. Vos Deum vocantem sequimini." Is, cui datum erat negotium a Bassa, perquisivit in civitate omnes Pastores, Concionatores et Scholasticos, et convocatis in unam domum proposuit tam Bassae quam Pastorum literas. Illi agnoscentes tantum Dei beneficium gratias egerunt, ac post paucos dies magna pars eorum in ditionem Turcarum profecta est. Haec vera esse nihil dubites. Est hic negotiator quidam, et idem Eques, qui nundinis Döbrecensibus interfuit et vidit ista geri. Non desunt alii quoque testes fide digni. Haec ad

te quamvis tumultuarie perscripsi, quia cupidum existimabam cognoscendi, quinam esset status Ecclesiarum sub Turcis etc.

Sigismundus Torda Ungarus,
ex Sela Transylvaniae.

---

359. No. 4977[b]. (Vol. VII. p. 853.) 28. Oct.

Leoni Schürstabio et Wolffgango Harsdörffero.

Haec epistola primum edita est in hocce libro: Diptycha Ecclesiae Sebaldinae das ist: Verzeichniß und Lebensbeschreibungen der Herren Prediger Herren Schaffer und Herren Diaconorum, welche seit der gesegneten Reformation biß hieher, an der Haupt- und Pfarr-Kirche bey St. Sebald in Nürnberg gedienet haben. Angefangen von Carl Christian Hirschen, fortgesetzt und vollendet von Andreas Würfel (Nürnberg 1756. 4°.) p. 92 sq., ubi p. 92—94. vita M. Nicolai Silberhornii, Diaconi ad aedes S. Laurentii inde a 2. Mart. 1555. usque ad 13. April. 1572. cum eius imagine exhibetur.

Den Ehrbarn weisen und fürnehmen Herrn Leo Schürstab[1]) und Wolfgang. Harsdörffer, Landpflegern und Rathherren der löblichen Stadt Nürnberg, Meinen günstigen Herren.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und wahrhafftigen Helfer, zuvor, Ehrbare, fürnehme, weise, günstige Herren Eure Ehrbarkeiten, als verständige Christliche Regenten, wissen, daß die göttliche Weißheit selbst beides verkündiget hat, nemlich daß in diesen letzten Zeiten grösere Zerrüttungen seyn werden, dann zuvor gewesen sind, daß aber gleichwol der Sohn Gottes Jesus Christus für und für ihm eine ewige Kirchen samlen und erhalten woll, und eben bey diesen die reine Lehr des Evangelii lehren, hören, und mit Glauben annehmen woll, auch derhalben, daß ein ieder nach seinem Beruf zu solcher Erhaltung diene. Darum thun auch Eure Ehrbarkeiten löblich und Christlich, daß sie, obgleich grose Unruhe vor Augen ist, dannoch treulich für die Kirche sorgen, und wird Gott gewißlich zu solchen Regiment Gnad verleihen, daß nicht Verwüstungen werden. Nachdem nun dem wohlgelahrten Magistro Nicolao Silberhorn angezeiget ist, daß ein ehrbarer Rath zu Nürnberg ein Prediger gen Hilpoltstein verordnen wolle, und er sich schuldig erkennet seinem Vatterland zu dienen, hat er mich um Zeugnis an E. Ehrbark. angesucht. Derwegen bericht ich mit Wahrheit, daß gedachter Silberhorn züchtig und gottsfürchtig ist, und hat in löblichen Künsten wol studirt, und hat ein rechten Verstand Christlicher Lehr. Nun acht ich ingemein nützlicher, daß man nicht fremde Personen brauch, die-

---

1) In Codice Bibliothecae Seminarii theologici Wittenbergensis, in quo fol. 35[b]—36[a] apographon huius epistolae invenitur, pro *Schürstah* fortasse rectius legitur *Schürstab.*

weil denn gedachter Silberhorn sich unterthäniglich im Vaterland zu dienen erbeut, bitt ich, Euer Ehrbarkeit wollen ihr diesen iungen wohlgelehrten, und gottsfürchtigen Mann günstiglich lassen befohlen seyn. Unser Heiland, der Sohn Gottes, Jesus Christus, wolle die löbliche Stadt Nürnberg, E. Ehrb. Rath und die Euren allezeit gnädiglich bewahren und regieren. Datum am Tag der Aposteln Simonis und Judä 1551.

Euer Ehrbarkeit

willigér

Philippus Melanchthon.

---

360. No. 4989 b. (Vol. VII. p. 862.) 4. Dec.

Senatui Ratisbonensi.

Haec epistola ex Professoris Van de Velde Apparatu Melanchthoniano primum typis descripta est cura Aug. Scheleri in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 9. p. 130. epist. 31.

Den erbarn weisen und furnemen Herrn Burgermaister und radt zu Regensburg, meinen günstigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Son Jesum Christum unsern Heiland und warhaftigen Helffer zuvor. Erbare, weise, furneme, gunstige Herrn. Eur Erbarkeit als christliche verstendige Regenten wissen das die gotlich Weißheit selb beides verkündigt hatt, nemlich das in diser lezten Zeit größere Zerruttung und Unruge seyn werde denn zuvor gewesen und das gleichwol der Son Gottes ihm ein ewige Kirche auch in dieser jamerlichen Zeit für und für samlen werde. Wiewol nu dise jezige Jare seer unruwig sind, so habe ich doch nit Zweifel, Gott wirt gnediglich seine Lehr erhalden und dadurch an vilen Orten für und für yhm ein ewige Kirche samlen. Dieweil denn Ewr Erbarkeit dazu geneigt ist, das die Jugent recht unterwiesen werde und ein junger knab von Regensburg Laurentius Kelner in diser Universität loblich studirt bitt ich neben yhm E. Ehrbarkeit die seine Eltern unvermogen wissen, wollen ihm zum studio etliche Jahr gunstiglich und väterlich Hilff thun. Ehr ist mit natürlichen Gaben ingenii durch Gottes Gnad wol gezirct und ist gottfürchtig und züchtig und hatt ein loblichen Anfang in lateinischer und grekischer sprachen und in nützlichen Künsten, die zu Verstand christlicher Lehr dienen, darumb gute Hoffnung zu haben das dise Eur Ehrbarkeit Wolthat an yhm wol angewant werde. Der Son Gottes Jhesus Christus unser Heiland wolle gnediglich Eur Erbarkeit und die Euren bewaren und regiren. Datum Witeberg, 4. Decemb. 1551.

Eur Erbarkeit

williger

Philippus Melanthon.

361. No. 5001 b. (Vol. VII. p. 872.) 18. Dec.

Georg. Sabinus ad Melanchthonem.

Hanc epistolam primum edidit Rev. V. Dav. Schulz in Illgenii Ephemeridibus *Zeitschrift für die historische Theologie* anni 1832. fasc. II. p. 238. No. VII.

Phil. Mel. Sabinus S. D.

Etsi in voluntate Dei acquiesco, qui mihi filium meum Albertum ademit, tamen cum cogito, quantum spei ac suavitatis in illo amiserim, incredibili dolore afficior. Mirifice enim eum diligebam propter egregiam indolem, quae in eo elucebat, eramque in spe magna, fore ut per illum familiae meae nomen illustre redderetur. Ut vero et dolorem meum consoler, et memoriam dulcissimi filii ac nepotis tui conservem, summo studio a te peto, ut alicubi in praefatione libri honorificam illius mentionem facias. Erit hoc pietate tua non indignum mihique ad mitigandum dolorem unicum solatium. Vale. 18. Decemb. Ao. M. D. LI. ex monte Regio. Raptim.

[*Calvini* ad *Melanchthonem* epistolam incipientem a verbis: „Dicebat olim Satyricus ille", quae in Tomo IX. Editionis Amstelod. Operum Calvini sine diei annique indicio legitur, in Edit. Hanov. tertia Epistolarum et Responsorum Calvini et in Pauli Henry libro: Das Leben Johann Calvins des großen Reformators Tomi III., Parte I. p. 14 (ubi nota 2. locus eius affertur) ad annum 1551. refertur, supra 310 sqq. sub nr. 344. ad annum 1550. retuli, quippe quod in anglicana eius translatione ei adscriptum est: „[18th June 1550.]", ubi legatur ab eo, qui ad hunc annum eam desiderat.]

ANNO 1552.

362. No. 5018 b. (Vol. VII. p. 902.) 6. Jan.

Ioanni Pistorio.

Haec epistola primum edita est a Clar. V. Prof. Aug. Nebe in dissertatione: Zur Geschichte der evangelischen Kirche in Nassau. 1. Abtheilung, quae primo loco exhibetur in Guil. Ottonis Programmate: Denkschrift des Herzoglich Nassauischen evangelisch-theologischen Seminars zu Herborn für das Jahr 1863. (Herborn 1863. 4°.) p. 3—56., ubi p. 48. nota 3. auctor duas affert epistolas Melanchthonis nondum editas: 1) fragmentum epistolae ad Goltwurmium d. 3. Febr. 1552. datae, quod infra p 328 sq. no. 364. sequetur, 2) hanc ad Io. Pistorium die Baptismi filii Dei scriptam. De hoc die, qui in Calendario frustra quaeritur, consului Rev. V. Professorem theol. Dr. Iacobi, qui me edocuit, hunc eundem esse, qui Epiphania appellatur (6. Ian.), quippe quod in oriente, partim etiam in occidente hoc die baptisma Christi celebretur. Hieronymus enim in Ezech. 1. dicit: „Haec dies significat baptisma, in quo aperti sunt Christo coeli." conf. Augusti Denkw. a. d. christl. Archaeol. I. p. 330 sq.

Philippus Mel. Ioanni Pistorio S. D.

Venerande vir et amice charissime, longam disputationem de tua quaestione institueram, sed praetexere non potui. scio duriter quosdam contendere, nullos ritus adiaphoros restituendos esse. et aliquid in commutatione incommodi est et scandali: et ego tum magis velim hominum infirmitati me attemperare. Tollero servitutem in adiaphoris, ne populus amittat vocem Evangelii. sed falsa dogmata et impios cultus nec recipiam nec approbabo. Magnus fuit abusus libertatis, ideo nunc dura servitute premimur, quam sapienter ferre discamus. Apud nos nondum ulla mutatio rituum facta est: et vox doctrinae Dei beneficio sonat incorrupta in ecclesiis et scolis. Fuerunt in conventu Lipsico deliberationes, sed tamen de adiaphoris et authoritate Episcoporum in hac regione, qui ostendunt se non abhorrere a vera doctrina. nondum autem finis est earum deliberationum, vale. In die Baptismi filii Dei, in quo illustri patefactione divinitas testata est se adesse Ecclesiae suae. vale.

---

363. No. 5037 b. (Vol. VII. p. 928.) 30. Jan.

Iustus Ionas ad Melanchthonem.

Haec epistola legitur in Theoph. Sinceri Neuer Sammlung von lauter alten u. raren Büchern u. Schrifften. V. Stück. (Franckf. u. Leipz. 1734. 8°.) p. 437—439. et in Theod. Presselii libro: Justus Jonas. (Elberfeld 1862. 8°.) p. 138. nota 92. ex Ms. Thomasiano.

Reverendo et Clarissimo Viro D. Philippo Melanchthoni parenti in Christo et Praeceptori ex animo charissimo aeternum colendo.

G. et P. In Christo reverende et clarissime vir, praeceptor charissime. Ich bin nun ein alter Mann, nehme ab und ein alter Gesell. Rogo boni consulas, si literae meae non habent nitorem, te tanto viro, tanta virtute dignum. Per doctissimum Iureconsultum D. Doct. Steph. Kloton tametsi properantem valde duxi tibi mittendas literas, cum ipse sit adiunctus Epistolae[1]) homo disertus vivum et eruditum epistolium. Optarem longa et exquisitissima oratione respondere proximae Epistolae mihi dissuaviandae et longe gratissimae, iucundissimae sincerissimaeque, quae adeo undique respersa est insignibus notis tuae erga me et meos paternae στοργῆς, quae adeo agit adeoque undique ardet, adeo spirat, ut inde a morte Rev. DD. Lutheri ab anno 46 nihil audierim, viderim, legerim, aspexerim, quod mihi fuerit cognitu suavius aut iucundius. O mi

---

1) Epistolae] apud Pressel. deest.

Reverende et charissime P. et φιλ. Per hunc annum totum valde et varie conturbatus fui, consoletur te vicissim Dominus ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ. Rogo ex Norimberga crebras ad me literas dare non graveris. Illustr. Princeps mirifice est laetatus tua promissione, te Coburgum esse transiturum. De deliriis quibusdam et erratis meis vere deliris, quod te inconsulto et DD. Georgio Principe Ascanio huc ad tempus discessi e Salinis, coram loquar. Quoties τὴν σφραγίδα et annulum meum intueor, admoneor de praedulcibus ac suavissimis candidissimis officiis τῆς φιλίας ἡμῶν, tunc cum una esses in inclyta Norimberga anno Dni. 1526, et pictura Magni A. Durerii eluctantis e coelo admonet me de multis, quae Rev. P. amicissime et sapientissime ad me de Rep. et Ecclesia et de affectibus τῶν κρατούντων scripsisti. De Praesentia divinitatis in renatis, habitaculo Dei Ioh. 14. et similibus memor ero tuae paternae admonitionis et merito boni consulo; det Dominus, ut coram colloquamur. Si in Synodo Trid. non contendent retexi, reassumi articulos falsos et pergent coruscationibus et fulminibus: anathema est etc., recta domum redire rectissimum erit et sapientissimum. Er Michael Meileczk hat mir vor wenigen Wochen geschrieben in haec verba: Cupio Doct. Iona coram loqui vobis de immanibus et maximis mutationibus, quae impendent. Τὰ θαυματὰ audies, quae literis committi non possunt commode. Haec tua vox paterna: Nostram amicitiam volo esse aeternam, me senem submoestum subinde quasi e gravi somno (ut ille inquit) excitavit. In omnem eventum habe rogo commendatos liberos meos, maxime filias et infantulos, Martinum et Philippum dulcissimos. Peto salutari reverenter Clariss. D. Sarcerium, D. Pacovium charissimum amicum et veterem, D. Hieronymum Besoldum, reliquos Dominos et amicos, inprimis D. Friderichum abbatem S. Egidii. Christus Filius Dei te, mi charissime Praeceptor, servet Ecclesiae Dei quam diutissime incolumem. Dat. Coburgae 6. p. Convers. Pauli 1552.

---

364. No. 5044 b. (Vol. VII. p. 936.) 3. Febr.

Caspari Goltwurmio.

De loco, ubi hoc fragmentum epistolae Melanchthonis ad Casp. Goltwurm d. 3. Febr. datae, quod hic loco quodam affert, invenitur, iam in Prolegomenis praecedentis no. 362. p. 326. dixi.

(Fragmentum.)

Die III. Febr. (1552), [scribit Goltwurm p. 91. Iudicis sui] rescripsit D. Philippus Melanthon ad meas litteras de rebus Adia-

phoris in hanc sententiam: Reverende vir et amice charissime, longam disputationem institueram de tua quaestione, sed absolvere non potui: scio quidem duriter quosdam contendere, nullos ritus Adiaphoros restituendos esse. Est quidem aliquid in immutatione incommodi et scandali: ego tamen magis velim me hominum infirmitati attemperare.

365. No. 5129[b]. (Vol. VII. p. 1009.) 2. Jun.

Nordhusano Senatui.

In epistolarum quarundam Melanchthonis, quas prior possessor (I. S. Vater) ineditas iudicavit, Indice, qui nunc in Codice Bibliothecae Seminarii theol. Witenbergensis fol. 28—29. continetur, memoratur no. 2: An Burgermeister und Rat der Stadt Nordhausen, 2. Juni 1552, quae incipit a verbis: „Die ewige göttliche Weisheit hat selbs" adiuncto consilio: „Es sind ietzund in vielen Fürstentumen und löblichen grossen und kleinen Städten etc." Epistolam ipsam nondum inveni.

---

366. No. 5136[b]. (Vol. VII. p. 1014.) 27. Jun.

Georg. Sabinus ad Melanchthonem.

Hanc epistolam primum edidit Dav. Schulz in Illgenii Ephemeridibus: *Zeitschrift für die historische Theologie* anni 1832. fasc. 2. p. 238 sq. De morte filii Sabini, Alberti, ad quem duo epitaphia adiuncta spectant, vide eius epistolam 18. Dec. 1551. ad Melanchthonem scriptam (supra p. 326. no. 361.).

Clarissimo viro, domino Philippo Melanthoni, socero et praeceptori suo colendo.

S. Si vera sunt ea, quae rumoribus huc perferuntur, vereor ne istud bellum, alienissimo tempore nunc excitatum, praebeat occasionem Turcis occupandae Germaniae. Aiunt enim, imperatorem Turcarum adducere copias multitudine innumerabiles, a quibus haud scio quomodo se Germania tuebitur, intestino bello sic distracta. Ducem vero Saxoniae Ioannem Fridericum esse liberatum, magnopere gaudeo: nam spero liberationem eius allaturam Germaniae pacem et concordiam. Nos adhuc in nostro statu cum *Norica Gorgone*[1]) hic acerrime dimicamus: sed frustra. Diuturno enim silentio vestro sic confirmata est saxifica illius auctoritas, ut nullis scripturae testimoniis, nullis ecclesiae iudiciis labefactari iam queat. Utinam tu (quemadmodum promittis)

---

1) Hoc nomine h. l. significatur Andreas Osiander, conf. Sabini epistolam ad Melanchthonem d. 10. Mart. 1551. datam (supra p. 315 sq. no. 348.).

illud monstrum, non Orci sed Christi galea tectus, aggrediaris, eo quo decet animo, eamque vim in scribendo adhibeas, quam et rei magnitudo et personae tuae dignitas requirit. Ego hic veritatem ac famam tuam, pro eo ac debeo, liberrime propugno, tametsi non sine periculo. Nam in hoc rerum statu difficile est, veritatem simul et gratiam tueri. Mitto tibi epitaphium dulcissimi filii mei Alberti, quod hic inscribendum curavi magnifico et operoso monimento: id duodecim pedes longum, quatuor columnis et variis imagunculis artificiose sculptis ornatum, totumque inauratum est. ***Addidi et epitaphium tuo nomine factum, quo monimentum redderetur illustrius. Eo ne offendaris, etiam atque etiam oro.*** Miror, Ioachimum Camerarium iam a feriis natalitiis nihil literarum ad me dedisse, cum ego bis illi scripserim. De filia mea Catherina sollicitus sum, propter pestilentiam, quam apud vos grassari audio. Velim igitur illam mittas Brandeburgam ad meum fratrem, cui pro victu et aliis sumptibus omnibus lubentissime satisfaciam. Saluta meis verbis Veslingum et Valerium Fidlerum, quibus hoc tempore non potui scribere, propter dolorem oculorum, quo afficiebar. Bene vale cum tuis omnibus. Datae 27. Iunii Anno M. D. LII. ex Regio monte Borussorum.
Festinanter.

Tuus G. Sabinus.

Sequuntur haec duo Epitaphia, quorum in praecedenti epistola mentio fit:

Philip. Mel:

Unica Christi salus hominum, qui tristia nobis
  Mortis ademisti vincula morte tua,
Ossa mei custos animamque tuere nepotis,
  Hic tegitur cuius putre cadaver humo.

G. Sab:

Alberti gelida consumpti morte Sabini
  Filioli sunt hic ossa sepulta mei,
De quo magna quidem sed inanis facta parenti
  Spes mihi, detraxit quam fera parca, fuit.
Corpore robustus, teneris animosior annis,
  Ingenio praestans, ore venustus erat.
Indicat infelix operosi cura sepulchri,
  Quanta mihi misero spes sit ademta patri.

367. No. 5230 b. (Vol. VII. p. 1102.) 10. Oct.

Iohanni Bosoni.

Hanc epistolam ex Professoris Van de Velde Apparatu Melanchthoniano primum edidit Aug. Seheler in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 7. p. 100 sq. epist. 5.

Honestissimo viro, eruditione et virtute praestanti, Iohanni Bosoni, Mansfeldensi, amico suo Noribergae, S. D.

Et reipublicae causa et propter filios optarim patri Geudero longius vitae spatium concessum esse; ac vero etiam ipsius causa optarim diutius eum frui potuisse filiorum conspectu quorum ei ingenia et studia voluptati erant. Doles et adolescentem filium in matura morte extinctum esse. Sed cum sciamus hos eventus non accidere casu, obtemperemus voluntati Dei et hac vera consolatione dolorem leniamus quae divinitus tradita est et quam firmissima adsensione amplecti debemus: ***Beati mortui qui in Domino moriuntur.*** Cum autem hi filium Dei vera pietate coluerunt et ei se ardentibus votis commendaverunt gratulamur eis caelestis Ecclesiae consuetudine. Exemplo eorum etiam confirmemur, ut accendatur in nobis ipsis maius desiderium illius dulcissimi congressus, in quo cursus eos in illo sapientissimo coetu complectemur. Haec cum tibi nota sint, scribo brevius ac filium Dei oro, ut reliquam familiam superstitem servet incolumem et gubernet. Cumque tibi pater in illo postremo agone, cuius vox plurimum habet auctoritatis, filios commendaverit, scio te summa cura et constantia perfecturum esse et tua fides in re tanta omnibus probetur. De republica scias, comitis Volradi [1]) tumultus magna pericula et tuae patriae et viciniae denuntiare quae Deus reprimat. Inter hos tumultus nos Ecclesiae serviamus. Bene vale. Die X. Octobris 1552.

---

368. No. 5275 b. (Vol. VII. p. 1144.) 28. Nov.

Io. Calvinus ad Melanchthonem.

Haec epistola invenitur in Edit. Amstelodam. Operum Calvini Tom. IX. inter eius epistolas et responsa p. 66 sq. et in eius Epistolarum et responsorum Ed. 3., quae Hanoviae 1597. 8°. prodiit, p. 272—276. epist. 141. — In anglicam linguam translata legitur in Letters of Iohn Calvin compiled from the original manuscripts and edited with historical notes by Dr. Iules Bonnet. Vol. II. (Philadelphia 8°.) p. 375—381.

1) Huic nomini l. l. additur annotatio: Volrad von Mansfeld, Sohn des Grafen Albert, im Kriege gegen den Bischof von Magdeburg.

— Germanice versa exhibetur a Paulo Henry in eius libro: Das Leben Johann Calvins des großen Reformators, Tom. III. P. I. (Hamburg 1844. 8°.) p. 40—43. nota 1., ubi pro 28. Nov. adscriptus est dies: 29. Nov. (in eodem Tomo p. 82. nota 1. haec epistola fortasse typogr. errore refertur ad 19. Nov.). — Dav. Schulzius hanc epistolam illarum duarum Editionum cum autographo, quod in Landeshutiana Collectione epistolarum Vol. I. Fol. 323 sq. asservatur, contulit et varietatem lectionis cum epistolae inscriptione in illis Editt. omissa proposuit in Illgenii Ephemeridibus *Zeitschrift für die historische Theologie* anni 1832. Fasc. 2. p. 224. No. I.

Clarissimo viro, et praestantissimo ecclesiae doctori, D. Philippo Melancthoni, fratri mihi plurimum observando.

S. D. Literis tuis, quas altero postquam datae fuerant mense accepi, nihil potuit accidere hoc tempore gratius. Nam ad ingentes molestias, quibus satis duriter conficior, nullus fere est dies, quo non aliquid novi doloris vel curae accedat. Itaque sub qua premor malorum congerie brevi tabescerem, nisi eorum acerbitatem Dominus suis remediis leniret: in quibus hoc mihi non leve fuit, quod et te mediocriter valere cognovi, ut saltem fert aetas, et tenera corpusculi tui valetudo: et de amore in me tuo nihil prorsus esse mutatum, ipsis literis factus sum certior. Relatum mihi fuerat, sic te mea quadam nimis libera admonitione, quae tamen longe aliter afficere te debuerat, fuisse offensum, ut epistolam coram aliquot testibus conscinderes. Etsi autem parum credibilis erat nuntius, ex quo tamen longo temporis successu variis signis confirmatus est, aliquid tandem suspicari coactus sum. Quo nunc libentius cognovi, salvam adhuc inter nos manere coniunctionem: quam certe, ut ex concordi pietatis affectu coaluit, sanctam perpetuo, et inviolabilem esse decet. Quum autem magnopere nostra intersit, quam Deus nominis sui auspiciis sacravit amicitiam, bona fide constanterque ad extremum colere: totius etiam Ecclesiae magna hic agitur vel utilitas, vel iactura. Vides enim quam multorum in nos coniecti sint oculi: ut improbi maledicendi ansam ex dissidiis nostris captent: ut obscuris tantum simultatibus infirmi turbentur. Nec vero parvi refert ne qua ad posteros exeat ullius inter nos exortae discordiae suspicio. Plusquam enim absurdum est, postquam discessionem a toto mundo facere coacti sumus, inter ipsa principia alios ab aliis dissilire. Porro etsi me procul abs te distare agnosco, libenterque fateor: quia tamen non ignoro, in quem theatri sui gradum me Deus extulerit; non est cur dissimulem, sine magna Ecclesiae iniuria non posse amicitiam nostram violari. Atque ut

nulla sit nobis aliorum ratio: ex tuo ipsius sensu aestima, quam mihi acerbum foret, ab eo homine alienari, quem et unice amo ac revereor, et Deus ut toti suae Ecclesiae conspicuum redderet, non modo singularibus donis magnifice ornavit, sed adhibuit ad res summas gerendas primarium ministrum. Et certe mirus hic ac prodigiosus est stupor, quod inter nos tam facile contemnitur sacer ille consensus, quo caelestes Angelos referre in mundo decebat. Interea non desinit Satan discordiarum semina passim spargere: et fit nostra socordia, ut multam materiam coacervet. Tandem excitandis ignibus reperit sua flabella. Referam quid nobis in hac Ecclesia summo piorum omnium cruciatu acciderit. Ac iam annus integer elapsus est, ex quo inter has pugnas iactamur. Quidam nebulones, quum nobis de gratuita Dei electione, et misera humani arbitrii servitute litem moverent, et publice tumultuarentur, nihil ad nos gravandos habuerunt magis plausibile nominis tui praetextu. Quum experti essent, quam nobis promptum esset quaecunque ingerebant commenta refellere, hoc scilicet artificio nos obruere tentabant, nisi vellemus palam abs te discedere. Et ea quidem servata fuit a nobis moderatio, ut minime extorserint, quod astute captabant. Professi ergo sumus ego et collegae omnes mei, eundem, quo tendis, in doctrina scopum nobis esse propositum. Nec verbum in tota disceptatione excidit, vel in te minus honorificum quam par erat, vel quod tibi fidem detraheret. Nec tamen fieri potest, quin me interea vehementer urat tacita ista cogitatio: improbis post mortem nostram, vexandae Ecclesiae occasionem, quoties libuerit, relinqui, dum pugnantes eorum sententias in certamen committent, quos velut uno ore unum idemque loqui decuerat. Quod se Osiander nobis subduxit, imo non sine violento impetu se proripuit, non mirum, nec tantopere dolendum. Tu enim expertus pridem es, ex eo esse ferarum genere, quae nunquam cicurantur: et ego semper inter nostra dedecora eum numeravi. Quo certe die mihi primum visus est, profanum hominis ingenium, et foedos mores sum detestatus. Quoties suave ac generosum vinum laudare vellet, has in ore habebat voces, Ego sum qui sum: item, Hic est Filius Dei vivi: quae manifesta Dei ludibria proderent. Quo magis saepe miratus sum vestra omnium indulgentia talem belluam foveri. Praecipue vero, quum locum in praefatione quadam tua legerem (ubi post Wormatiense insaniae specimen plusquam liberaliter abs te laudatur) obstupui. Sed facessat ille, quem alienissimum a nobis esse expedit. Quosdam alios retentos mallem.

Ut tamen hos quoque omittam: me non leviter pungit, quae in nostra docendi ratione nimis palam conspicitur repugnantia. Equidem non ignoro, si quid detur hominum auctoritati, longe aequius esse, ut tibi subscribam, quam ut tu in sententiam meam descendas. Verum id non agitur: neque etiam a piis Christi ministris optandum est. Hoc scilicet quaeri utrimque decet, ut consentiamus in puram Dei veritatem. Me autem, ut ingenue fatear, religio impedit, ne tibi in hac doctrinae parte accedam: quod nimis philosophice de libero arbitrio disputare videris: in electione tractanda nihil aliud habere propositum, nisi ut te ad communem hominum sensum accommodes. Neque enim hallucinationi tribui hoc potest, quod homo acutus, et prudens, et in Scriptura probe exercitatus, electionem Dei cum promissionibus confundis, quae sunt universae. Nihil enim magis notum est, quam verbi praedicationem omnibus promiscue esse communem, sed fidei Spiritum solis electis singulari privilegio donari. Universae sunt promissiones. Qui fit igitur ut non peraeque apud omnes vigeat earum efficacia? Nempe quia non omnibus brachium suum Deus patefacit. Nec vero apud homines mediocriter in Scriptura versatos ea res disputatione indiget: quum pariter omnibus Christi gratiam offerant promissiones: et externa voce invitet Deus quoslibet in salutem: peculiare esse fidei donum. Et mihi videor totam hanc quaestionem, quamvis impedita sit ac spinosa, proxime edito libello [1]) dilucide explicasse. Quum res adeo plana sit, te ex animi sensu prorsus diversum tradere, nemo erit sani iudicii cui persuadeas. Curam simul et dolorem mihi auget, quod te video hac in re propemodum esse tui dissimilem. Audio enim, quum tota oblata esset formula nostrae cum Tigurina Ecclesia consensionis, protinus arrepto calamo sententiam unam, quae Dei electos a reprobis parce et sobrie discernit, abs te fuisse confossam. Quod certe ab ingenii tui mansuetudine, ut alia taceam, valde abhorret. Itaque ut meum libellum legere, vel saltem gustare sustineas, non rogo: quia id frustra mihi facturus videor. Utinam his de rebus coram aliquando colloqui liceret. Notus est mihi tuus candor, perspecta ingenuitas et moderatio: pietas vero

1) Hic libellus, quem Calvinus omnium Genevensium pastorum nomine Senatui Genevensi d. 1. Ianuarii 1552. dedicavit, inscriptus est: De aeterna Dei praedestinatione, qua in salutem alios ex hominibus elegit, alios suo exitio reliquit; item de providentia, qua res humanas gubernat, Consensus pastorum Genevensis ecclesiae, a Io. Calvino expositus, vide Henry l. l. Tom. III. P. 1. p. 82.

Angelis et toti mundo testata est. Ergo facile, ut spero, tota ea res inter nos expediretur. Quare si unquam se daret opportunitas, nihil magis optarem, quam ad te accurrere: sin vero contigerit quod times, erit hoc mihi in rebus miseris et luctuosis non leve solatium, videre te prius, et amplecti, quam ex hoc mundo migrandum sit. Hic minime fruimur ea quiete, quam existimas. Intus multum negotii, molestiarum atque etiam turbarum. In conspectu sunt hostes, a quibus nova subinde pericula cervicibus nostris imminent. A Burgundia quinque horarum itinere distamus. A ditione Gallica intra unius horae spatium ad portas nostras venitur. Sed quia nihil beatius est, quam militare sub Christi vexillo, non est cur te ista incommoda a nobis visendis deterreant. Interea gratum officium praestabis, tuum et communem Ecclesiae statum indicando. Vale clarissime vir, et mihi ex animo venerande [1]) frater. Dominus te praesidio suo tueatur, Spiritu regat, et benedicat sanctos tuos labores. Amen [3]). Collegae mei, et multi pii cordatique homines te reverenter salutant. Genevae, 4. Calend. Decemb. 1552 [4]).

Ioannes Calvinus vere [5]) tuus.

369. No. 5295[b]. (Vol. VII. p. 1165.) (anno 1552.)

Responsio ad Andreae Osiandri de iustificatione librum.

Haec Melanchthonis Responsio, ad quam scribendam plures, inprimis Ge. Sabinus (vide supra p. 315. no. 348. hortabantur, seiunctim prodiit sic inscripta: Antwort auff das Buch Herren Andreae Osiandri von der rechtfertigung des menschen. Philip. Melanth. Wittemberg. M. D. LII. (In fine:) Impressum apud Ioannem Montanum, et Vlricum Neuberum. Anno M. D. LII. (4 plagg. 4°.). — Recusa est in Melanchthonis Christliche Berathschlagungen vnnd Bedencken, ꝛc. zusammen gebracht durch Christoph. Pezelium (Newstadt a. d. Hardt 1600. 8°.) p. 349—365., omissa tamen Disputatione Philippi Melanchthonis cum Doctore Martino Luthero Anno 1536., quae illic fol. C 4a.—D 3b. Responsioni adiuncta est. — H. l. repeto integram Responsionem ex illa Ed. anni 1552. cum adiuncta Disputatione anni 1536., non solum eam ob causam, quod illic annexa est, sed etiam, ut Melanchthonis ad Hieron. Besoltum epistola, quam supra p. 317. no. 350. exhibui, melius intelligatur, cuius verba: „pagellas mitto et huic epistolae inclusi, interrogationes meas quas manuscriptas Luthero ante multos annos exhibui, quibus

1) venerande] sic autographon teste Schulzio l. l. p. 224. (vide Prolegg.); Editt.: honorande

3) tuos labores. Amen.] sic autogr., eodem teste; Editt.: labores tuos.

4) 1552.] sic autogr.; Editt.: M. D. LII.

5) vere] sic autogr.; in Editt. deest.

ipse responsiones suas manu sua scriptas, subiecit", ad hanc Disputationem spectant. — De Io. Forstero, cuius testimonium Melanchthonis Responsioni additum est, conf. Ge. Theod. Strobelii vermischte Beiträge zur Geschichte der Litteratur. (Nürnberg 1775. 8°.) No. IV. (p. 129—160) inprimis p. 152 sq.

Dem Christlichen Leser, wünschet Philippus Melanthon, Gottes genad durch Jhesum Christum vnseren eynigen mitler vnnd Heyland.

Jch habe sehr gerne vernommen, das bey vilen rechten Kirchen, darinne durch Gottes gnade on zweiffel vil Predicanten, vnd andere personen warhafftige glidmaß Christi sind, gesucht wirt, das sie jr bedencken von Osiandri buch anzeigen wöllen. Denn dieweil ich in sonderheit von jm mit namen, vnd hefftiglich angriffen bin, ist mir lieb, das andere Christliche verstendige Menner, gleych alß richter sind, wie ich allzeit, mich, vnd alle meine schrifften den warhafftigen Kirchen diser Landen, vnnd Stedten, da reyne lehre des Euangelij geprediget wirdt, vnterworffen habe, vnd noch also will vnterworffen sein, habe derwegen biß anher stille gehalten, vnd Gott gebetten, vnd bitte noch teglich, er wölle vmb seiner ehr willen, seine warheyt erkleren, vnd erhalten, das wir jn recht anruffen vnd preysen, vnd wölle jm vnter vns für vnd für gnediglich eine ewige kirche samlen.

Nach dem ich aber nu befelh habe, auch dazu zu reden, vnd von vielen hohen vnnd andern Personen angesucht würde, hab ich dises klare vnd einfeltige bedencken, nit lang vnd nicht zenckisch gestellet, sondern zur anleyttung vieler, die durch diesen streyt in diser hochwichtigen sache, in grosse betrübniß vnd zweiffel kommen, das sie mercken, wo von der streyt sey, vnd was jnen zu jrer seelen trost nötig sey.

Vnd sprich abermal, das mein gemüt nie gewesen ist, in meinen schrifften, vnd sonderlich in disem hochwichtigen Artickel, anders zu leren, denn des Ernwirdigen Herrn Doctoris Martini Lutheri meinung, vnnd der gemeine verstandt bey den verstendigen inn disen Kirchen ist, habe auch nicht zweyffel, diese lehre ist die einige warhafftige lere durch den Son Gottes, geoffenbaret, vnd in der Propheten vnnd Aposteln schrifften außgedrucket.

Das aber Osiander mich mit hochbeschwerlichen reden schmehet, daran er mir vnrecht thut, das wil ich Gott befelhen, der aller menschen hertzen sihet vnnd richter ist, Jch habe jn allzeyt geliebet, vnd geehret, wie menigklich weyß, vnnd wundert mich, wo von dise grosse bitterkeit herfleusset, Jch bin zu disen grossen sachen wider meynen willen gezogen worden, vnnd erkenne mich viel zu gering, habe also die zeyt, da viel vngereumbter opiniones jrre geloffen, fleiß gethan, die summa rechter vnd nötiger lere zusamen zuziehen, vnd so vil mir müglich gewesen, eygentlich dauon zu reden, das habe ich trewlich gemeint, der armen jugent zu gute, vnd weyß wol, das alle meine schrifften vil zu gering vnd zu schwach sind, darumb ich sie auch vnserer Kirchen

vrtheyl allzeyt vnterworffen, vnd were dauon viel zu reden, das ich yetzund vnterlassen wil, vnd will im namen Gottes von disem streit reden.

S. Paulus spricht, Rom. 5. Die Gnade Gottes, vnnd die gabe durch die liebe gegen eynem menschen Jesu Christo, ist gegen vielen mechtiger gewesen, denn die sünde. Hie fasset S. Paulus zwey ding, Die Genade, das ist, gnedige vergebung der sünden, vnd annemung vnser Person, bey Gott, Vnd zu gleych wirdt mit gegeben die Gabe, das ist, die Göttliche gegenwertigkeyt inn vns, dadurch wir vernewet werden, vnd fülen trost vnd anfang des ewigen lebens.

Vnnd dise beyde haben wir durch das verdienst Jhesu Christi, wie diser Text offentlich saget, das wir solchs haben von wegen der liebe, die der ewige Vatter zu disem Son hat, welchen S. Paulus hie nennet den menschen Jhesum Christum, vnd wirt solches nicht durch vnsere werck verdienet, sondern allein durch glauben an den Herren Jesum Christum erlanget, welcher glaube in vns in rechter bekerung angezündet wirdt, so wir das Euangelium hören, damit der Herr Christus selbs wircket, Denn Gott wirdt durch sein ewiges wort, vnd den heyligen Geyst geoffenbaret.

Vnd diser glaube muß für vnd für beides annemen, vnd behalten, Gratiam et donum vmb des mitlers Christi willen, auch wenn gleich die widergeburt angefangen ist.

Gleych also redet Johannes auch, die genade vnnd die warheyt ist worden durch den Herrn Jesum Christum. Gnade heysset gewißlich genedige vergebung der sünden, vnd gnedige annemung der person, on vnser verdienst vmb Jhesu Christi willen, Aber warheit heisset hernach die Göttliche gegenwertigkeyt, Ewiges leben, Ewige heyligkeyt, seligkeyt vnd freude in vns, alß wolt er sprechen, das Euangelium bringet nicht schaden, vnd sterbliche gaben, sonder warhafftige vnuergengliche güter.

Vnd dises muß mit glauben angenommen werden, wie zuuor gesagt ist, vnnd vertrawet diser glaube für vnd für auff den gantzen Herrn Christum, Gott vnd menschen, wie auch der selbig herr Christus Got vnd mensch mitler vnd erlöser ist nach beyden naturen.

Denn ob gleych allein die menschlich natur, wunden vnnd leyden gefühlet hat, so ist doch der gantze Christus, Mitler vnd erlöser, Denn dises leyden were nicht die bezalung gewesen, wenn der Erlöser nicht zu gleych auch Gott were, Auch soll diser mitler, leben vnd seligkeyt wider geben, vnd der Schlangen den kopff zu tretten, darumb ist er auch Gott ꝛc.

Also bekennen wir klar, vnd haben dises alle zeit geleret, wie alle Kirchen zeugen mögen, das war ist, das inn vns verenderung geschehen müsse, vnnd das gewißlich Gott Vatter, Son, vnd heyliger Geyst, den trost vnd leben inn der bekerung in vns wircken, vnd also in vns sind, vnd wonen, so das Euangelium mit glauben angenommen wirt, dadurch das ewige wort, der

Sone Gottes wircket, vnd jm eine Kirchen samlet, als da erstlich der Son Gottes das Euangelium im Paradiß eröffnet hat vnnd gesprochen: Des weybes same wirdt der Schlangen den kopff zutretten, hat er zu gleych inn Adams vnnd Heua hertzen trost vnd leben gewircket, vnd den vater jnen geoffenbaret, Wie Johannes spricht: Der Son der in des Vatters schoß ist, der hat es außgesprochen, Item, In jm war das leben, vnd das leben war das liecht der menschen, Also für vnnd für samlet diser Son Jhesus Christus eyne ewige kirchen, erhelt das Predigampt, vnd wircket dadurch, vnnd gibet den heyligen Geyst, der trost, anrüffung vnd stercke bringet, wie 1. Joh. 4. geschrieben ist, Dabey erkennen wir, das wir in jm bleyben, vnnd er in vns, denn er gibet vns von seinem geyst, Item, Psalm. 18. Soli posuit tabernaculum in eis. Er ist die sonne in seiner kirchen, vnd gibet liecht vnd leben allen die in rechter bekerung zuflucht zu jhm haben mit glauben, Item, Ephe. iij. Das Christus durch den glauben in ewern hertzen wone, Item, Er ist warhafftig Emmanuel, dz ist, got mit vns.

Von diser gegenwertigkeit saget Osiander, dauon zwischen vns kein streit ist, vnnd beschweret vnsere kirchen gleich, alß reden sie nichts von der gegenwertigkeyt Gottes in vns, daran er vns offentlich vnrecht thut.

Wiewol nu war ist, das Got in den bekerten wonet, wie Johan. 14. geschriben ist, Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus, vnd das ewige leben, welches der Herr Christus wircket, wie er spricht: Ich gebe jnen ewigs leben, in disem jetzigen leben anfahen muß, so ist dennoch vnterscheid zwischen den heyligen nach der aufferstehung, vnd heyligen inn disem jetzigen leben, dauon S. Paulus redet, Gal. 5. Durch den Geyst auß glauben, warten wir auff die hoffnung der gerechtigkeyt. Die gerechtigkeyt die wir noch hoffen, vnnd darauff wir warten, ist nicht vergebung der sünden, sondern ist, das Gott alles in allen sein wirt, vnd wie 1. Jo. 3. geschriben ist, Wir werden jhm gleychförmig sein.

Aber inn disem yetzigen leben, ob gleych Gott inn den heyligen wonet, so ist dennoch vnser aller natur noch vol grosser vnreynigkeyt, vnd sündlicher gebrechen vnd neygungen, wie der Psalm spricht: Vor dir ist kein lebendiger gerecht.

Hie müssen nu auch die heiligen trost haben, vnd wissen wie sie vergebung der sünden vnd gnade haben, das ist, wie sie Gott gefellig sind.

Disen ist diser trost fürgestelt, das sie auch nach der widergeburt für vnd für vergebung der sünden, vnd gnade empfahen vnd behalten vmb des Mittlers Jesu Christi willen, durch verdienst seines gehorsams, darinn er ein opffer für vns worden ist, von welchem gehorsam dise wort reden im xl. Psalm: Im buch ist geschrieben von mir, Deinen willen, mein Gott, thue ich gern.

Vnd gehört diser hauptspruch Rom. 3. auff alle menschen in der bekerung vnd hernach, Wir werden gerecht one vnsere verdienst, vmb seiner gnaden

willen durch die erlösung die da ist durch Christum Jesum, welchen Gott zum versüner fürgestellet hat, durch glauben in seinem blut.

Nun ist öffentlich das der Text hie redet vom gehorsam vnd verdienst Christi in menschlicher natur, wie auch das wort bezalung ἀπολύτρωσις hie stehet, das offt erholet wirdt.

Vnd kan im wort, Wir werden gerecht, nicht allein diser verstandt sein, wir werden gerecht durch die wesentliche gerechtigkeyt des vaters, sons, vnd heiligen Geysts. Sonder wir müssen vergebung der sünd, vnd genad mit fassen, vnd den verdienst des sons, der da ist zum erlöser gestalt, vnterscheyden vom vatter vnd heyligen Geyst.

Vnd dieweil etliche auch von diser rede, merito Christi disputirn, vnd sagen es sey nit in der schrifft, Darauff gebe ich antwort, das vil ein stercker wort in der schrifft offt erholet wirt, λύτρον, ἀντίλυτρον, ἀπολύτρωσις, welches eigendtlich heysset eine bezalung, da man etwas gibet zu yemandts erlösung.

Vnd die ehre Christi zu verstehen, muß man beides wissen, seinen verdienst, vnd seine wirckung, Er ist seligmacher merito et communicatione sui.

Vom verdienst reden dise sprüche öffentlich.

Rom. 5. Wir sind gerecht worden durch sein blut.

Item, durch eines gehorsam werden viel gerecht. Wie wol nu Osiander disen vnd dergleichen sprüch, viel anders deutet, Nemlich durch eines gehorsam, das macht er, durch die Gottheyt, die jn hat gehorsam gemacht, werden andere auch gehorsam. So ist doch öffentlich, das hie vom verdienst gered ist, vnd mag ein yeder verstendiger selbs bedencken, so dise frembde deuttung recht were, hette Paulus nichts von der menschheit Christi geredt, so er außtrücklich spricht: Durch gehorsam eines menschen.

1. Joh. 1. Das blut Jesu Christi reyniget vns von allen sünden.

Ebr. x. Wir sind geheyliget durch das opffer des leibs Jesu Christi auff ein mal.

Esa. liij. Durch seine wunden sind wir geheylet.

Welches alles muß also verstanden werden, das wir vergebung der sünden haben, vnd angenem sind vor Gott, durch den verdienst Christi, so wir mit warhafftigem glauben den Herrn Christum annemen, vnd gelauben, das vnns Gott vmb dises Mittlers willen, sünd vergeben, vnd gnedig sein wölle, Vnd ist zugleych war, das als denn Gott in vns wohnet, so wir durch disen trost auß rechter angst erret werden.

Dise lehr vnd diser trost, wie die heyligen auch nach der widergeburt, klagen vber die vorigen sünd vnd angeborne vnreynigkeyt, vnd trost suchen an dem mittler durch glauben, ist von anfang für vnnd für durch die Propheten geprediget, in allen sprüchen, darinne sie zuflucht zur barmhertzigkeyt

lehren, Denn die barmhertzigkeit ist verheissen vmb des mittlers willen, vnd von wegen seiner verdienst, vnnd vertrawen also die Propheten auff den versüner, Gott vnd samen Abrahe.

Also spricht Daniel, Erhöre vns nicht von wegen vnser gerechtigkeit, sonder durch deine grosse barmhertzigkeit, vmb des Herren willen. Item selig sind die, welchen die sünde gedecket sind.

Nu spricht Osiander offt also, Ich heysse gerechtigkeyt dises, das vnns macht recht thun. Inn disen worten ist nichts gered von vergebung der sünden, dagegen sagen wir also, Wir nennen gerechtigkeit, den HErrn Christum, dadurch wir haben vergebung der sünden, vnd einen gnedigen Gott, vnnd dazu in vns Göttliche gegenwertigkeyt, welches alles S. Paulus fasset in seinem haubtspruch, Rom. 3. Iustificamur gratis per gratiam Christi, quem posuit propiciatorem fide per sanguinem. etc. Vnd Esa. 53. Vnd mein knecht der gerechte wirt durch seine erkandnuß viel gerecht machen, hie fasset er one zweiffel beides, gratiam et donum, Wie droben gesaget ist.

Vnnd betrachte ein yeder den grossen ernst vnd die angst selb. So yemand im todt ist, vnd Gottes zorn fület, diser ist zum Herren Christo zu weysen, der für vnd für, auch nach der widergeburt, Mittler, Hoherpriester, vnd fürbitter bleibet, vnd ist das umbraculum darunter wir genad vnnd trost finden.

Also leret vnns der HERR selb, da er spricht, Kommet zu mir, alle die jr in engsten seyd.

Also leren vns beten alle Propheten. Dauid schreiet: Domine ne in furore tuo arguas me. Salvum me fac propter misericordiam. Vnd wiewol auch die zeit Gott in jm ist, so leuchtet doch die Göttliche frewd nicht allzeit gleich. Da er verjaget wirt, vnd fület Gottes zorn, wider seine vorige sünd, vnd die yetzige ergernuß, da Absolon die auffrur erreget hat, vnd schendet jm seine frawen, deren one zweyffel etliche heylige Personen waren 2c. Bedarff er trost durch den verheyssnen heyland, daher muß sich das hertz wenden.

Also wir alle in teglichem Gebet, so wir anfahen zu betten, müssen wir den Mittler Jesum Christum Got vnd mensch ansehen, vnd vns gleich als in seine wunden legen, vnd disen warhafftigen trost fassen, wir haben vergebung der sünden, vnd werden erhört, vmb dises Mittlers willen.

Vnnd wiewol als denn in solchem trost Got in vns ist vnd wircket, Wie der spruch auch sagt, Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, So ist dennoch der glaube gegründet auff den Herrn Christum Gott vnnd menschen, vnnd auff seinen verdienst vnnd fürbitte, Wie der spruch sagt: Was jr den vater bittet in meynem namen, das wirdt er euch ngebe, Also leren vns betten, der HERR Christus selbs, vnnd die Propheten.

Was nun folget, so man disen trost auß den augen thut, vnnd weyset dich zur wesentlichen gerechtigkeyt in dir, das wölle ein yeder selbs betrachten.

Dise reden, gerechtigkeit ist dises, das vns macht recht thun, vnd Novitate sumus iusti, sindt reden die nicht fern von einander sind, vnd ist ein wechsel causae et effectus.

Das aber Osiander sagt, Dise lehre mache sichere leute, so man spricht, Wir sind gerecht, das ist, Gott angeneme, allein vmb des Herrn Christi willen, durch glauben, Darauff ist dise antwort, Man soll recht lehren, Got seine ehr geben, vnd sünde straffen, vnd dagegen den erschrocknen hertzen warhafftigen trost fürhalten, ob gleych die zuhörer nicht alle gleych sind, seine zuhörer sindt auch nicht alle gleych. Der schöne spruch Jere. 23. redet vom gantzen Herrn Christo, vnd von der gantzen wolthat, da er spricht: Ich will Dauid ein gerecht gewechs erwecken :c. Vnd dises wirdt sein name sein, das man jhn nennen wirdt, Jehoua vnser gerechtigkeyt, Er sagt von einer person, die vom geblüt Dauids her kombt, vnd ist zu gleich warhafftiger Gott, dise Person, spricht er, ist vnser gerechtigkeit, Hie sollen wir ja nit vergebung der sünde, vnnd den verdienst Christi außschliessen, sondern gerechtigkeyt also verstehen, das wir durch jn haben gratiam et donum, Wie droben gesagt ist, das ist dises alles, vergebung der sünden, heiligung, ewiges leben, vnd ewige seligkeit, wie S. Paulus dises alles zusammen fasset, da er spricht 1. Corint. 1. Christus ist vns geboren von Gott, das er sey vnser weyßheyt, gerechtigkeyt, heyligung, vnnd erlösung, welche wort auch von der gantzen Person reden, vnd fassen den verdienst, vnd vergebung der sünden, denn er nennet jn die Erlösung, Also sind dise sprüche tröstlich, so man vergebung der sünd darinn erkennet, denn one disen trost können wir nicht für Gott tretten, wir müssen erstlich den Artickel des glaubens, (Credo remissionem peccatorum) betrachten, vnd mit glauben fassen, vnnd so wir vns also trösten, alß denn ist dises auch war, das Gott warhafftigklich inn vns wonet, vnd der Herr Christus selbs inn vns wircket, Wie er spricht: Ego vitam aeternam do eis. Item: Nemo rapiet eos ex manibus meis.

Auß disem allem schliesse ich, das ich den verdienst Christi, vnd vergebung der sünden nicht außschliesse, so Sanct Paulus spricht: Wir werden gerecht durch glauben an Christum, vnnd halte dise form inn meinem gebet: Almechtiger warhafftiger Gott, ewiger vnd eyniger Vatter Jesu Christi, schaffer himels vnd der erden, Engeln vnd menschen, vnd aller Creaturen, sampt deinem eingebornen Son Jesu Christo, vnnd heyligem Geyst, erbarm dich mein, vergibe mir meine sünde, vnd mache mich gerecht vmb deynes Sones Jhesu Christi willen, vnd durch jn, vnd heylige mich mit deinem heyligen Geyst :c. Auch spricht Augustinus: Totius fiduciae certitudo est in precioso sanguine Christi.

Mich wundert auch, warumb Osiander dise erklerung verwirfft, das wir

in vnseren kirchen sprechen, der glaub, dauon Paulus spricht: Iustificati fide pacem habemus, sey fiducia misericordiae propter mediatorem promissae. Es muß ja vnterschied sein zwischen dem glauben, den auch die Teuffel haben, vnd disem glauben, der die verheyssung annimet, vnd dadurch das hertz trost vnd freud erlanget, welcher gewißlich ist erkentniß der barmhertzigkeyt, vnnd ein vertrawen auff Christum, dauon Psalm. 2. geschriben ist: Selig sind alle die auff jn vertrawen, auch wo die Propheten von der barmhertzigkeit reden, fordern sie disen glauben.

Das sey inn diser eyle genug, zu erinnerung viler betrübter leute, das sie wissen, das man trost am HERRNEN Christo, Gott, vnnd menschen suchen soll, durch glauben, vnnd das inn solchem trost Gott gewißlich inn vns wonen, vnnd wircken wölle, wer dise ordnung mercket, der kan besser verstehen, wo von man streytet, vnd wirdt nicht irre in disen frembden disputationibus.

Ich hab auch vil stücke vbergangen, grösser gezenck zuuerhüten, der HERR Jesus Christus wölle vns gnedigklich regiern, Amen.

Et quia citat D. Osiander Lutheri dicta, sciant lectores alibi eum de effectione, alibi de consolatione loqui. Inspiciantur ergo enarrationes Psalmi Miserere, et De profundis. Item argumentum Psalmi: Beati quorum remissae sunt iniquitates. Item conciones capitis 16. Iohannis. Item propositiones contra Antinomos.

Et ante annos sedecim ego ipse ei quaestiones proposui, ac petivi, ut diserte sua manu adscriberet responsiones. Etsi autem tunc tantum erat certamen cum Papistis, tamen ex illis responsionibus intelligi potest, quid senserit Lutherus.

Philippus Melanthon, Manu propria subscripsit.

Ego Ioannes Bugenhagen Pomeranus, Doctor et Pastor Ecclesiae Vuitebergensis, perpetuo precor patrem in nomine Filii per Spiritum sanctum, cum gratiarum actione, ut servet nos in hac doctrina, et confessione de Christo Mediatore et iustitia nostra, usque in illum diem, quando similes erimus Filio Dei, et erit Deus omnia in omnibus in aeternum etc. Quam doctrinam et confessionem hic scribit, et publice fatetur venerandus Praeceptor noster Philippus Melanthon, ad gloriam magni Salvatoris nostri Iesu Christi, in salutem multorum contra novas dubitationes Osiandri. Hanc doctrinam certam per Spiritum sanctum post patrem Lutherum, publice hactenus docuimus in Ecclesiis et scholis nostris, quae sunt in Christo, et defendimus scriptis nostris. Sit Christo gratia, tota Ecclesia Christi, testificatur hoc de nobis, et Diabolus cum toto suo mundo propter hoc nos prosequitur. Christus Dominus per Spiritum sanctum suum, conservet me, et nos

omnes in hac salutari doctrina, et sancta confessione in aeternum. Obsecro omnes sanctos. id est, vere Christianos filios Dei, ut hoc ipsum orent pro nobis. Cupimus enim per Spiritum Christi manere, in communione sanctorum. Christe fili Dei vivi, qui natus de virgine Maria, et passus pro nobis, sedes ad dexteram patris, et intercedis pro nobis, miserere nobis, aufer opprobrium nostrum, Amen. Scripsi mea manu, et corde meo, in conspectu Christi et angelorum eius.

Et ego Iohannes Forsterus sacrae Theologiae Doctor, et Hebreae linguae in Academia Vuitebergensi professor, hoc meo autographo testor, Clarissimi viri D. Philippi Melanthonis de iustificatione doctrinam in hoc libello compraehensam, et piam esse et veram. Nec tantum cum Reverendissimi patris nostri D. Martini Lutheri foelicissimae memoriae, sententia et scriptis, sed etiam cum omnium Prophetarum et Apostolorum doctrina consentire. Quod non tam ex confessione Augustana Caesariae Maiestati, et totius Imperii ordinibus exhibita, quam ex eiusdem Philippi Praeceptoris nostri observandissimi Apologia manifestum, et Luce meridiana clarius est.

Nec vero nos ab ista semel agnita et recepta puriori doctrina latum (quod aiunt) unguem in hunc usque diem, DEI beneficio, discessimus, sed frementibus etiam, et undique nos impugnantibus malevolorum hominum odiis, et calumniis unice id studuimus, ut patefacta et prolata per Christum ex sinu aeterni patris salutaris doctrina, et in scholis, et Ecclesiis nostris incorrupta sonaret, et ad posteritatem propagaretur.

Quod autem in his turbulentissimis temporibus, quibus propter imminentia gravissima pericula, pii Doctores ad concordiam Christianam accendi debebant: Osiander nostram, praecipue de iustificationis articulo, doctrinam impugnat, et tetris praestigiis, ac Sophistica, quibus simplices et rudiores animos fascinat, evertere conatur, id non tam sinistro sacrae scripturae intellectu, et perversa scriptorum D. Martini, aliorumque piorum virorum detorsione facit, quam quod ostentatione ingenii, et ambitione flagrans, antiquo suo obsequitur ingenio. Praeterquam etiam quod plurima rabiosissimaque convicia in innocentes nos, superbe et contumeliose ingerit, petulanter quoque et impie multa contra verbi Dei efficaciam, et contra passionis et mortis filii Dei meritum evomit. Atque adeo in articulo iustificationis, ex mera Hebreae linguae ignorantia, cuius tamen excellentem prae aliis im-

pudenter sibi arrogat cognitionem, horribiliter impias suas defendere, et stabilire conatur opiniones.

Profiteor itaque bona fide, recte ac iuste hic repraehendi, et veris ac firmis argumentis, nostra etiam approbatione et consensu refutari Osiandri errores.

Hortor denique omnes pios, cordatos, et tranquillitatis Ecclesiae amantes, ut rabiem et furores Osiandri aversentur et fugiant, et nobiscum veris et ardentibus gemitibus Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore orent, ut omnium hostium Ecclesiae furores opprimat, portentosa ista, et his similia, scandala pro sua misericordia tollat, et accensum Evangelii Lucem propter Christum Mediatorem in his Ecclesiis conservet, et reliquorum piorum Doctorum animos, in pia et salutari unitate perpetuo spiritu suo sancto stabiliat, et confirmet, Amen.

Disputatio Philippi Melanthonis, cum Doctore Martino Luthero Anno 1536.

Verba Philippi.

Augustinus, ut apparet, extra disputationem commodius sensit, quam loquitur in disputationibus. Sic enim loquitur, quasi iudicare debeamus, nos iustos esse fide, hoc est, novitate nostra. Quod si est verum, iusti sumus non sola fide, sed omnibus donis ac virtutibus, idque sane vult Augustinus. Et hinc orta est scholasticorum Gratia gratum faciens. Vos vero utrum sentitis hominem iustum esse illa novitate, ut Augustinus, an vero imputatione gratuita, quae est extra nos, et fide, id est, fiducia, quae oritur ex verbo?

Responsio D. Martini Luth.

Sic sentio, et persuasiss. sum ac certus, hunc esse veram sententiam Evangelii et Apostolorum, quod sola imputatione gratuita sumus iusti apud Deum.

Oppositiones Philippi.

An homo sola illa misericordia iustus est?

Quod non sit sola illa misericordia iustus, videtur, quia necessaria est iustitia nostra, hoc est, bona conscientia in operibus.

An non vultis concedere ut dicatur, hominem esse iustum principaliter fide, et minus principaliter operibus, si tamen fides significet fiduciam, et ut illa fiducia maneat certa, intelligatur,

quod non requiritur perfectio legis, sed quod fides suppleat ea, quae desunt legi?

Vos conceditis duplicem iustitiam, et quidem coram Deo necessariam esse: scilicet fidei, et illam alteram, videlicet bonae conscientiae, in qua hoc quod deest legi, supplet fides. Hoc quid aliud est, quam dicere, quod homo iustificetur non sola fide? Certe enim iustificari non intelligitis Augustini more de principio regenerationis.

Augustinus non hoc sentit, gratis salvari hominem, sed salvari propter donatas virtutes, Quid vobis de hac Augustini sententia videtur?

Tota ratio Augustini de meritis alia est, quam vestra, nec tollit nisi meritum impii.

Responsio D. Martini Lutheri ad omnia praedicta.

Hominem sentio fieri, esse, et manere iustum, seu iustam personam simpliciter sola misericordia. Haec est enim iustitia perfecta, quae opponitur irae, morti, peccato etc. et absorbet omnia, et reddit hominem simpliciter sanctum, et innocentem, ac si revera nullum in eo esset peccatum. Quia reputatio gratuita Dei nullum vult ibi esse peccatum, sicut Ioan. dicit: Qui natus est ex Deo, non peccat, Pugnat enim, esse ex Deo natum, et simul esse peccatorem. Post hanc iustitiam homo est, et dicitur iustus opere, seu fructibus, quos et ipsos requirit Deus, et remunerat. Hanc ego externam et operum iustitiam voco, quae simpliciter sancta esse non potest in hac carne, et vita etc. Ideo neque tollit mortem, neque peccatum, nec illis resistere potest, sed tantum cavet futura et maiora peccata.

Verba Philippi.

Quaero de Paulo renato, qua re Paulus, postquam renatus est, iam deinceps iustus, id est, acceptus sit?

Responsio D. Lutheri.

Scilicet nulla re alia, sed sola illa renascentia per fidem, qua iustus factus est, permanet iustus perpetuo, et acceptus.

Obiecta Philippi.

An tantum iustus est propter misericordiam?

An vero principaliter propter misericordiam, et minus principaliter propter suas virtutes seu opera?

Responsio D. Luth.

Non, sed virtutes et opera sunt iusta propter Paulum iustum, sicut opus propter personam placet vel displicet, ut etiam in Terentio dicitur, Quia bonum opus a malo factum ne hominibus quidem placet.

Verba Philippi.

Videtur quod non sola Misericordia: Quia vos ipsi docetis, quod iustitia operum sit necessaria, et quidem coram Deo, Et Paulus credens et faciens placet, non faciens non placeret. Ergo saltem est aliqua partialis causa nostra iustitia.

Responsio D. Lutheri.

Necessaria est, sed non necessitate legali, seu coactionis, sed necessitate gratuita, seu consequentiae, seu Immutabilitatis. Sicut sol necessario lucet, si est sol, et tamen lucet non ex lege, sed ex natura, seu voluntate (ut sic dicam) immutabili, quia sic creatus est, ut luceat, Sic iustus creatura nova, facit opera necessitate immutabili, non lege seu coactione: iusto enim non est lex posita. Deinde creati sumus (ait Paulus) in opera bona. Caeterum, cum dicis, non faciens non placet, est implicite dictum, quia impossibile est dare credentem, et non facientem.

PHILIPPUS.

Ideo Sadoletus ait nos pugnantia dicere, quod dicamus sola fide, et tamen dicamus, iustitia operum est necessaria.

LUTHERUS.

Videlicet quia falsi fratres et hypocritae fingunt sese credere, ideo exiguntur opera, ut confundantur in sua hypocrisi. Sicut Elias exigit opera a sacerdotibus Baal, ubi Baal fuit confusus. Sic enim et Deus necessario facit nihil nisi bonum, et tamen sine lege etc.

PHILIPPUS.

Cum dicitis, sola fide iustificamur, an intelligitis tantum de principio, scilicet de remissione peccatorum? An vero vultis, quod Paulus renatus etiam postea placeat non propter propriam obedientiam seu virtutes saltem partialiter, sed tantum propter misericordiam?

LUTHERUS.

Imo obedientia placet propter Paulum credentem, alioqui non placeret eius obedientia, et quia persona iusta est, iusta est perpetuo, et tamdiu iusta ex fide, quamdiu fides manet. Mala ergo divisio est, personam dividere in principium, medium, et finem. Opera igitur fulgent radiis fidei, et propter fidem placent, non econtra. Alioqui sequentia opera fidem excellerent iustificando, quia diutius (ut medio et fine vitae) iustificarent, et ita fides tantum esset in principio iustificatrix, postea abiens vel cessans, operibus relinqueret gloriam, et ita fieret inanis et praeterita.

PHILIPPUS.

Paulus est iustus, id est, acceptus ad vitam aeternam sola misericordia. Contra: Si non accederet partialis causa, scilicet illa obedientia, non fieret salvus, iuxta illud: Vae mihi, si non Evangelizem.

LUTHERUS.

Nulla partialis causa accedit, quia fides est semper efficax, vel non est fides. Ideo quicquid opera sunt aut valent, hoc sunt et valent gloria et virtute fidei, quae est sol istorum radiorum inevitabiliter.

PHILIPPUS.

Apud Augustinum sola fide, tantum excludit opera praecedentia.

LUTHERUS.

Sit hoc vel non: Tamen ista vox Augustini satis ostendit, eum nobiscum sentire, ubi dicit: Turbabor, sed non perturbabor, quia vulnerum Domini recordabor. Hic enim clare sentit, fidem valere principio, medio, fine, et perpetuo, sicut ait David: Apud te propitiatio est. Item: Non intres in iudicium cum servo tuo.

PHILIPPUS.

Utrum haec propositio sit vera: Iustitia operum est necessaria ad salutem?

LUTHERUS.

Non quod operentur seu impetrent salutem, sed quod fidei impetranti praesentes seu coram sunt, Sicut ego necessario adero ad salutem meam, Ich werde auch da bey sein, sagt jhener gesel.

Imaginatio Sadoleti fortassis haec est, quod fides sit opus exactum lege divina, sicut et charitas, obedientia, castitas etc. Ergo qui credit, implevit unam vel primam partem legis, et sic habet principium iustificationis seu iustitiae. Sed principio habito, requiruntur et alia praecepta opera post fidem.

Hic vides

Sadoletum nihil intelligere de ista causa. Nam si fides esset opus praeceptum, tunc recte omnia Sadoletus, et tunc fides sic renovaret initio hominem, sicut alia opera bona postea renovarent.

At nos dicimus, fidem esse opus promissionis, seu donum Spiritus sancti, quod quidem ad legem faciendam necessarium est, Sed per legem et opera non impetratur. Donatum autem hoc donum, facit personam novam perpetuo, quae persona tamen facit opera nova, non econtra opera nova faciunt personam novam. Ita placent opera Pauli, non quia bona sunt, sed quia Paulus placens ea facit, non placitura, nisi Paulus placeret. Nulla ergo iustitia personalis debetur operibus coram Deo, licet accidentaliter glorificabunt personam praemiis certis. Sed personam non iustificant, omnes enim aequaliter iusti sumus in uno Christo, omnes aequaliter dilecti et placentes secundum personam, tamen differt stella a stella per claritatem. Sed Deus non minus diligit stellam saturni quam solem et lunam.

Summa.

Credentes sunt nova creatura, nova arbor, ideo istae phrases legales non pertinent huc, scilicet fidelis debet opera bona facere, sicut non recte dicitur, sol debet lucere, arbor bona debet bonos fructus ferre, 3. et 7. debent esse 10. Quia Sol lucet de facto, arbor facit de facto, 3. et 7. sunt 10. de facto. Non sunt in fieri vel debere, sed in facto esse. Nisi conditionaliter et hypothetice intelligas ita: Si Sol est, tunc debet lucere, si vis fidelis esse, oportet ut opereris. Sed hoc dicitur contra fucatum Solem et fidem, de vera fide et Sole ridicule dicuntur.

ANNO 1553.

370. No. 5312 b. (Vol. VIII. p. 16.) 9. Jan.

Francisco Dryandro.

Ex frustulo autogr. Epistolae Melanchthonis ad Dryandrum (in Mss. Bibliothecae Civ. Tigur. T. 70.) in Collectione Simleriana (S. Msc. 79.). Apo-

graphon Clar. V. Voegelino debeo. — Simlerus adnotavit: „Epistolam Dryander non accepit: moriebatur d. XXI Dec. 1552.“ Conf. Ge. Theod. Strobel Neue Beyträge zur Litteratur besonders des 16. Jahrhunderts. V. Bds. 2. St. (Nürnberg u. Altdorf 1794. 8°.) p. 228.

Clariss. Viro, eruditione et virtute praestanti, Francisco Dryandro, in inclyta urbe Argentorato, fratri suo carissimo.

...... et propter ipsorum familias dolendum est. Sed Deo nos et ipsorum familias commendemus. Saxonicus exercitus adhuc vagatur in ditione Ducis Brunsvicensis. Vicinae regiones nunc quidem tranquillae sunt, sed metus est novorum motuum. Oro autem Filium Dei, ut poenas leniat et sanet ac servet Ecclesias. In Austria et in Pannonia Turci repressi sunt saevissima pestilentia, quod existimo singulare beneficium Dei esse. Bene et feliciter vale, carissime frater.

Wittebergae IX Ianuarii 1553.

Philippus.

---

371. No. 5363 b. (Vol. VIII. p. 63.) 2. April.

Iustus Ionas ad Melanchthonem.

Huius epistolae autographon in Wallenbergii Bibliotheca asservatur, ex quo primum edita est a Theod. Presselio in libro: Justus Jonas (Elberfeld 1862. 8°.) p. 139 sq. nota 96.

(*Inscriptio l. l. deest.*)

Lachrymas coniungas cum meis. Loricatus homo superbus contra me irritavit filium. — — Hic volens et sciens praetereo de his aerumnis (exemi ex hoc epistolio integram paginam). Deus me consolabitur, Christus aderit mihi seni et filiabus. Accingor ad alia. Legi eruditam praefationem tuam et piam ad Illustriss. Electorem seniorem et carmen. Hoc biennio, quo senex in aula versatus sum coram, tunc adhuc superstite illustriss. DD. Io. Ernesto, saepe dixi de constanti voluntate nostra erga ipsos. D. Walrodus amans Eruditorum in illo argumento saepe me adiuvit; quidam alii maluerunt suo quodam genere τῆς σοφίας sapere. Equidem sub hanc ingravescentem aetatem utriusque nostrum ex gravibus causis optarem, ut habitare in vicinia τῆς πατρίδος liceret, et quod restat reliquum curriculum vitae, apud te absolvere. Idque de te studii et desiderii mirifici eo nunc plenius in me accensum est, quum (cum comitem in Bavariam adhibuerim mihi Io. Pheselium, tibi in Academia Vittebergensi Coburgum appellatum, pium et valde doctum iuvenem) denuo audi-

verim in curru, navi per Istrum, cuiusmodi sanctas voces in lectionibus edideris, cuiusmodi graves sententias in enarratione Evangeliorum protuleris. Iniquitates nostrae, inquit propheta [1]), quam ventus abstulerunt nos. Sed haec, mi praeceptor, in sinum tuum effundo ἐν ταῖς προςευχαῖς ἀγωνιζόμενος. De meae senectae aerumnis, de filio M. Iona, de novo damno Erphordiae amicissime magno candore ad me scripsit D. Michael Merenburgk, ut est natus ad adiuvandos amicos. Si Halae ut in his locis viciuis mihi non patuerit hospitium, ubi receptus sim, ut tamen per Electorem Seniorem et principes impetrabo, Ratisponae Senatus se obtulit (iam auditis trimestri concionibus dominicalibus) se etiam huic decrepito seni charo praebituros hospitium, daturos salarium, adiuturos τὴν γυναῖκα καὶ τὰ τέκνα. Deus sub hoc optimo principe fratre illustriss. Electore seniori aulas tantum per biennium videre voluit. Defuncto nunc meo principe haec sequens nunc debilis aetas mea LX non convenit aulis. Non aulae ego senex, nec aulis ego. Sareptam, spero, eriget Deus et reddet adhuc auctiorem donis et bonis. Id orant ecclesiae omnes, ut Deus det foeliciter (vel Hallam Saxonicam concordiam principum). Haec, mi D. Philippe pater, scripsi bono, syncero et simplicissimo animo, quaerens relevamen aerumnis, psal. 3. si forsan effundens in sinum amici eo facilius animos acquiescere possem. Tero iam in manibus tuos locos communes recentiores. Cum hic apud gravissimos viros, etiam quosdam ex aula Illustr. principis DD. Alberti Bavarici principis in erudito colloquio nostro fieret mentio Concilii Tridentini (quod proxima aestate metu armorum subito et celerius quam locustae avolavit) curavi hic rursus excudi germanicam translationem libelli tui eruditissimi, cui titulus Causae [2]); revidi aut emendavi tua illa lima, ut arbitrer, tibi non displiciturum. Deinde et cum hic quotidie videamus tantam varietatem Idolomanialis cultus in ista ecclesia, et audiamus, quomodo concionator in cathedrali ecclesia ebuccinet suum Canonicale coelum et omnes ei adhaerentes sub titulo τῆς ἁγίας καθολικῆς ἐκκλησίας, e tuis locis recentissime editis verti in germanum locum de Ecclesia, quo scripto de Ecclesia in octingentis nihil editum est gravius, sanctius aut eruditius. Ad hanc epistolam prolixiorem rogo, mi reverende et charissime praeceptor D. Philippe, per amicitiam non graveris respondere, et mihi nunc,

1) Ies. 64, 6

2) Hunc libellum supra p. 239 sqq. no 305. denuo edidi.

illustriss. principe meo Io. Ernesto defuncto, exponere tuum consilium. Spero principum reconciliationem processuram et seniorem Electorem clementissime rationem habiturum meae senectutis, et rogo, aetatis meae senilis sis memor apud Academiam, ut nosti. M. Ionas filius dicitur minister factus et consiliarius generosorum et illustrium comitum Mansfeld. In uno anno, ut coram tibi dicam, numeravi ei CCCC tuleros e communibus nostris bonis et erphord., et nunc iuxta promissum nihil recepi adhuc. Filiae sunt nubiles, nec Sophia quidem adhuc dotem accepit. Filius in sex mensibus nihil ad me scripsit, haud scio, an ei aliquid *φιλοστοργίας*; cogitet morti vicinum esse me et expostulare iam ab ipso *τοὺς ἀντιπελαργεῖς*. Quod ad nova attinet, Marchio Albertus occupasse dicitur ... Bambergam, reliqua non satis liquide scribuntur, de quibus alias. Christus filius Dei conservet te Ecclesiae et Reipublicae diutissime incolumem. Datae Ratisponae 2. Aprilis a. 1553.

[Qui Melanchthonis epistolam ad Marbachium d. 29. Maii datam, quae incipit a verbis: „Fatum hoc est extremae senectae mundi", h. l. desiderat, quippe quod in Io. Fechtii Historiae ecclesiasticae Seculi XVI. Supplemento, in Epistolarum theologicarum Parte II. p. 39 sq. inter epistolas anni 1553. legitur, eam in Corpore Reform. Vol. VIII. p. 297 sq. no. 5613. inveniet, ubi a Bretschneidero inter epistolas anni 1554. affertur.]

---

372. No. 5405b. (Vol. VIII. p. 103.) 7. Jun.

Thomas Cranmer, Archiepiscopus Cantuariensis, ad Melanchthonem.

Haec epistola primum edita est a Dav. Schulzio in Illgenii Ephemeridibus: *Zeitschrift für die historische Theologie* anni 1832. Fasc. II. p. 241 sq. no. X. In Prolegomenis (p. 240.) editor haec refert: „*Vom 7. Juni* 1553 *datirt, kann es (dies Schreiben) kaum zu Melanchthons Händen gekommen seyn, als Eduard schon mit Tode abging.* († 6. *Juli desselben Jahres.*) *Die Veränderungen, welche gleich darauf in England eintraten, machten es Melanchthon unmöglich, dem Rufe zu folgen, gesetzt auch, dass er wirklich dazu geneigt gewesen wäre.*"

Eruditione et pietate praestanti viro, Domino Philippo Melanchthoni, amico suo singulari.

Quemadmodum Solomon, templum domino exstructurus, peritissimos quosque artifices ad hoc opus consummandum selegisse dicitur: ita rex noster, Edovardus sextus, ecclesiae ruinas reparaturus regnumque suum optimarum artium gemmis ornaturus, te artificem doctissimum et ad hoc institutum maxime accomodum

adesse optat, ut, quemadmodum hactenus in Germania, ita etiam in Anglia Evangelii doctrinam et liberalium artium cognitionem propagare possis. Quod quidem eius votum ego antehac meis ad te literis significavi. Nunc vero ex ipsius literis (quas hic tabellarius tibi tradet) voluntatem ipsius cognosces[1]. Et ut re ipsa declararet, voluntatem illius ad te ornandum esse propensissimam, quadraginta coronatos dono ad te misit. Nam si tibi nos invisere liberet, indignum iudicavit, ut viatici penuria profectionem tuam impediret. Quod vero nomen sit mercatoris, qui pecuniam illum tibi Lipsiae numerabit, aliorum literae indicabunt. Nos mercatori cuidam Londinensi, qui Abel vocatur, eam ad te dedimus. In omni deliberatione scio vocationem Dei praecipue spectandam, nihilque sine vocatione suscipiendum esse. Atqui ego deum non dubito te per regis nostri literas ad nos vocare, ut luce tuae doctrinae ecclesia nostra illustretur. Quare te oro, ut huic vocationi non repugnes, sed si quae sunt, quae te ab hoc itinere suscipiendo remorentur, ea literis tuis mihi significes, egoque pro virili enitar, ut remoris et obstaculis omnibus sublatis planam et facilem tibi ad nos viam aperiam. Deus ecclesiam suam tueatur, et politiam nostram tranquill. ecclesiae suae hospitium faciat, teque hoc hospitio quiescere concedat. Vale. Lambethi septimo Iunii 1553.

Tui ad nos accessus cupidiss.
T. Cant.[2])

---

373. No. 5436[b]. (Vol. VIII. p. 128.) 22. Jul.

Augusto, Principi Electori Saxoniae.

Hanc epistolam primum divulgavit J. K. Seidemann in Niednerl Ephemeridibus Zeitschrift für die historische Theologie anni 1859. No. III. „Ungedruckte Briefe und Bedenken Melanthons. Aus den im Dresdener Hauptstaatsarchive befindlichen Originalen mitgetheilt.“ (p. 124—141.) p. 124. epist. I.

DEm durchleuchtisten hochgebornen fursten vnd herrn, herrn Augusto hertzogen zu Sachsen, des h. Romischen Reichß Ertzmarschall vnd Churfursten, Landgrauen Zu Turingen, Marggrauen Zu Meissen vnd Burggrauen Zu Meidburg rc meinem gnedigsten herrn

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vnsern heiland vnd warhafftigen helffer, der yhm gewißlich Ein Ewige Kirchen durchs

1) Schulzius h. l. adnotavit: *Dieses Schreiben des Königs von England selbst findet sich nicht in der vorliegenden Briefsammlung.*

2) i. e. Thomas Cantuariensis.

Euangelium samlet, zuuor, Durchleuchtister hochgeborner Gnedigster Churfurst vnd Herr, Ewrn churfurstlichen sende ich das prewssisch Buch, denn Zeiger diser schrifft Doctor Andreas Aurifaber[1]) ist anher khomen, vnd hatt angehalden das ich antworten solt, dem ich bericht gethan, das ich beuelch habe, das Buch E c f g widerumb zu zuschicken, des wolle ich mich halden, daruff Er begert, das ichs ietzund fertiget, Ehr wolde es selb E c f g vberantworten, Also sende ich In vnterthenikeit E c f g gedachtes Buch das ich mit vleis gantz durchlesen hab, vnd mein bedenken da bey signirt. Nu weiß ich das seer fahrlich ist, In prewssischen sachen ettwas zuthun, gleich wol so dise correctio also bliebe, wißte ich dises Buch nicht zu tadeln, vnd moge leiden das es E c f g andere verstendige auch richten lassen, Der allmechtige Gott wolle E c f g allezeit gnediglich an seel vnd leib sterken, vnd bewaren, Datum 22 Julij 1553

E c f g

vnterheniger Diener
Philippus Melanthon.

374. No. 5463 b. (Vol. VIII. p. 148.) 1. Sept.

Scholarchis Argentoratensibus.

Haec epistola ex autographo primum typis descripta est cura Caroli Schmidtii in Niedneri Ephemeridibus Zeitschrift für die historische Theologie anni 1840. Fasc. III. p. 439 sq. epist. 11.

Clarissimis viris sapientia et virtute praestantibus senatoribus inclytis urbis Argentorati quibus inspectio scholarum commendata est, patronis colendis.

S. D. Clarissimi viri. Non dubium est Deo hospitia Ecclesiae curae esse, qui, quamquam vagantur poenae per genus humanum, servat tamen suos coetus, et piorum studiorum domicilia aliqua, ut in his tot annorum incendiis Germaniae clementer urbem vestram protexit, etsi, ut fit in fatalibus mutationibus imperiorum, partem aliquam communium calamitatum vos quoque tulistis; sed misericordiae Dei est, quod non consumpti estis. Id beneficium Dei celebremus vera gratitudine, et eum precemur ut deinceps quoque et vestram urbem et alios Ecclesiae nidulos in Germania protegat. Spero etiam vos hac cogitatione moveri, ut libentius opem feratis pauperibus scholasticis. Scitis autem in

1) Huic nomini Seidemannus haecce adnotavit: Leibarzt des Herzogs Albrecht von Preußen; gebürtig aus Breslau und am 8. August 1527 zu Wittenberg immatriculirt.

Academia nostra esse filium vestri civis *Nicolai Latomi, Andream*[1]), et patris inopiam novistis. Est autem in adolescente indoles et doctrinae capax et intelligens ac amans virtutum. Et spero usui futurum esse Ecclesiae Dei. Quare vos valde oro, ut eius studia vestra liberalitate iuvetis. Scio modestam naturam esse adolescentis. Ideo spero vos beneficium bene collocaturos esse, et oro Filium Dei ut et urbem vestram et vos protegat. Bene valete. Calendis Septembris 1553.

Philippus Melanthon.

---

375. No. 5469^b. (Vol. VIII. p. 152.) 8. Sept.

(*Testimonium de Matthaeo Osterhusen.*)

In epistolarum quarundam Melanchthonis, quas prior possessor (J. S. Vater) ineditas iudicavit, Indice, qui nunc in Codice Bibliothecae Seminarii theol. Witenbergensis fol. 28—29. continetur, memoratur no. 3.: Testimonium Matthaei Osterhusen. Witt. 1553. die natali Mariae Virginis. Testimonium ipsum in hoc Codice non invenitur.

---

376. No. 5507^b. (Vol. VIII. p. 182.) 30. Nov.

Christianus III. Rex Daniae ad Melanchthonem.

Ex hoc libro: Dänische Bibliothec oder Sammlung Von Alten und Neuen Gelehrten Sachen aus Dännemarck. I. Stück (Copenhagen u. Leipzig 1738. 8°.) p. 50—52.

Christian.

Wir habenn vonn diesenn Botten Scherff euer schreiben denn 30. Octobris negst datirt samt euer antwort uff Stanckari erregt gezenck, irr- und falsche Opinion vom Mitler Christo sampt löblich und christlicher gedächtnus unsers lieben Ohmen Weylandt Fürst Jörgen zu Anhalt letzte Predigt, welche er unß auch neulicher Zeit selbst überschichet, empfangen, und inhalts gnedigst verstanden. Seind euch vor dieselben zu gnedigsten guthen gefallen, und ist christlich und wol gethan, das die irrige schedliche und gotteslesterliche Lahren, Schwermereyen und Fantasmata mit den reinen göttlichen und christlichen Schrifften wiederleget und verfochten werden, dan wie jenes in der christlichen Kirch hochschedlich, so ist dieses hochnöthig und solten die Obrigkeit ein solch verführische schedlich und lesterlige gezenck und disputirens mit nichten gestatten, und den hohen und heiligen artichel unser Rechtfertigung, der von der Apostell Zeiten her bis auf uns GOtt Lob, unum-

---

1) Schmidtius huic nomini adnotavit: Sein Name war eigentlich Steinbrecher; er ist sonst wenig bekannt.

gestosen recht und wahr von uns gegläubet und gehalten, also in gefährlichen und verdamlichen Zweiffel ziehen lassen, so ist solches schrecklich und beschwerlich zu hören. Der Almechtige wolle diesen und allen andern Rotten, Secten und Schwermereien gnediglich wehren, und uns sampt allen rechtschaffen Christen dafür gnediglich bewahren; Es ist uns auch der christlich und selig todesfall unsers lieben Ohmen Weilandt Fürst Jörgen zu Anhalt hoch und schmertzlich, denn ohn Zweiffel die Christliche Kirche an ihme einen teuren Man verloren, der die reine Lehr göttliches Worts treulich getrieben, und wehr zu wünschen, das andere gleiches Standes und Würden als im Ampt sein, ihr Ampt auch also brauchten. Aber es ist zu besorgen, das nicht etwa der Allmechtige die frommen und getreuen Lehrer hinweg nimpt, der ursach, das er der weit undanckbarheit und verachtunge mit falschen und bösen Lehren und Predigen straffen will. Der Allmächtige wolle sein Zorn gnediglich mildern und seine Kirch vor allem, und bey reiner Lehr erhalten und bewaren. Wir schicken euch auch bey dem Botten Scherff funffzig taler euer betagte pension von diesem jare, wollet die zu gefallen haben, wollen euch solches gnedigst hinwieder nicht verhalten und seint euch .... Dat. Colbingen den letzten Nov. 1553.

377. No. 5515 b. (Vol. VIII. p. 188.) (anno 1553.)

Ioanni Placotomo.

In eodem epistolarum indice, cuius supra p. 354. no. 375. mentionem feci, no. 22. memoratur Melanchthonis epistola Ioanni Placotomo 1553. scripta, quae incipit a verbis: „Scio te in consideratione universae naturae.“ Epistolam ipsam nondum inveni.

ANNO 1554.

378. No. 5534 b. (Vol. VIII. p. 218.) 29. Jan.

Senatus Schlaggenwaldiae, urbis Bohemiae, ad Melanchthonem.

Hanc epistolam primum edidit Anton Kohl, praeceptor Gymnasii Pragensis, in libro: *Anzeiger für Kunde der deutschen Vorzeit. Neue Folge. Organ des Germanischen Museums. VII. Band. Jahrgang* 1860. (*Nürnberg.* 4°.) p. 120 sq.

An philippum Melanchtonn zw Wittenberg.

Unser freundtwilligen Dinste mit Wunschung alles guten zuuorr Achtbar vndt hochgeiertter gunstiger her, Wir geben E. u. W. dinstlichen zuuornehmen, das bey vns in der kunigklichen Bergkstadt Schlackenwaldt, Gott lob,

ein stadtliche Jugendt aufferwechst; dieselb sich auch teglichen mereth, welche zum theil, vnseres erachtens, zu studiren vor düglich geacht. Wir spüren vnd sehen aber, daß solche Jugendt eines vorstendigen, gelertten, vnuordrossen vnd vleissigen preceptoris vnd Schulmeisters hochnottorftig, damit aber dieselb zu Gottes ehren, lieb, forcht vnd erkentnus, Zu deme auch in guten kunsten mecht aufferzogen, vndt durch vns nit vorabseumbt werden, So langt an E. u. W. vnser freundtliches vndt dinstliches hochuleissiges bitten, dieselben wollen vns einen gelertten gesellen, der ein gut christlich Schulregiment anzurichten, zw regieren vnd zu erhalten weste, do einer in Wittenberg, als vns nit Zweiffeldt, zu bekommen, vmb der ehre Gottes willen, gunstig Zuweysen vndt befurdern. Desgleichen auch einen guten Cantorem der ein chor versorgen kontte. Dargegen sol ihnen von vns ihrliche besoltbung gegeben, daran sie, vnseres erachtens, benugig sein werden. Vndt das sy sich vor Ostern uff das Wir vns mit ihnen vorglichen, Zw vns gehn Schlackenwaldt verfugen, vndt uff Trinitatis negst hernach, vnsere Schul bezihen wolten. E. u. W. wollen sich des nit beschweren, vordinen wir vmb dieselbten in allem guten, ieder Zeit gantz willig. Gunstige antwortt, vns darnoch haben zurichten, dinstlich bitende.

Actum 29. januarij 1554.

---

379. No. 5568b. (Vol. VIII. p. 243.) 20. Mart.

Theodoro Fabricio, Superintendenti Servestano (?).

Haec epistola, cuius inscriptio deest, primum cum Prolegomenis divulgata est a Clar. Viro Ed. Jacobs in hisce Ephemeridibus ab ipso editis: Zeitschrift des Harz-Vereins für Geschichte und Alterthumskunde. II. Jahrgang 1869. 2. Heft. (Wernigerode. 1869. 8°.) p. 65 sq.

(*Inscriptio deest.*)

S. D. Reverende vir et unice colende.

Hic Augustinus filius est honesti viri Pastoris Ecclesiae dei in oppido Cosswik, et ibi servit Ecclesiae in officio Cantoris biennio. Nunc senex Pastor in Wertlo in vicinia urbis vestrae [tra]dere ei gubernationem suae Ecclesiae decrevit, si et Illustrissimi Principes Anhaltini patroni adsentientur, et vestra accedet suffragatio. Scripsimus igitur ad Illustrissimos Principes, et oramus ut vestra suffragatio accedat. Pater vir honestus est et fideliter servit Ecclesiae. Et hic Augustinus homo modestus est, et summam doctrinae dei, quae est Ecclesiae tradita, recte didicit, ut intelligetis, cum ipsi eum audieritis. Nam et nos prius audire eum voluimus, quam dedimus literas.

Et est pietas Pastorum filiis opem ferre, quos vides in Re-

pub. negligi. Speremus igitur deum fore ipsorum hereditatem. Et ubi possumus nostris eos officiis iuvemus. Bene et foeliciter valete. die 20 Martii 1554.

Philippus Melanthon.[1]

---

380. No. 5576 b. (Vol. VIII. p. 262.) 30. Mart.

Augusto Principi Electori.

Haec epistola ex autographo tabularii Regii Dresdensis a Seidemanno primum edita est in illo libro, quem supra p. 352. sub no. 373. significavi, p. 124 sq. epist. II.

(*Inscriptio deest.*)

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vnsern heiland vnd warhafftigen helffer zuuor, Durchleuchtister hochgeborner Gnedigster churfurst vnd herr, E c f g sende ich hie mit Eingeschlossen mein vnterthenig vnd Einfaltig bedenken, von der Zusammenkunfft mit dem Erwirdigen herrn Johann Brentio, Welches ich also sonderlich geschriben, ob villeicht E c f g mein handschrifft dem Durchleuchtisten hochgebornen fursten vnd herrn, herrn Albert dem Eltern Marggrauen zu Brandenburg, hertzogen zu Prewssen, zc zusenden wolden,[2]) Denn nach dem durch gottes gnad, alle kirchen, die reyne christliche lehr haben, vom Rhein biß In die loblichen konigreich Denmark vnd Sueden, In disem artikel von der versunung, vnd vergebung der sunden, vnd christlicher gerechtikeit, Eintrechtig sind, ist In kheinen weg zu radten, das Jemand In disen landen In dise Zwitracht zu steken sey, Denn wie leichtlich vnruge vnd zerruttung der Einikeit furfellt, ist, leider, vor augen, Darumb bitt ich In vnterthenikeit E c f g wollen dise sach, alß Ein hochloblicher christlicher churfurst bedenken, So ich hoffnung hette, das Einikeit zu machen were, wolt ich selb onerfordert zum herrn Johan Brentzen vnd andern Zihen, Aber wie dise welt ietzund ist, vnd der Trotz vnd freuel grossz ist, acht ich das gut sey, Das diser kirchen In E c f g landen, vnd sunst, Einikeit. Erhalden werde, Doch stelle ich alles zu E c f g weiter bedenken Der allmechtige Son gottes Jhesus christus vnser heiland, der ym gewißlich Ein Ewige kirchen Im menschlichen geschlecht samlet, der wolle E c f g vnd

---

1) In inferiore margine editor haec adnotavit: Zwischen Datum und Namensunterschrift standen, wie schon das Raumverhältniß zeigt, noch einige Worte, mit denen sich M. unterzeichnete. Diese sind aber mit großer Absichtlichkeit wiederholt überkritzelt und völlig unerkennbar gemacht.

2) Hoc Melanchthonis iudicium ab Electore Saxoniae ad Albertum Ducem Prussiae missum esse; ex Bretschneideri Prolegomenis ad No. 5576., quod hoc iudicium continet, intelligitur.

E e f g gemahel, vnd E e f g Jungen herrn, gnediglich bewaren, vnd sterken, Datum 30 Marcij 1554

E e f g

vntertheniger Diener

Philippus Melanthon

[Schedula huic epistolae inclusa continet haecce:] Der Bott hat vff mein antwort gewart biß vff den 31 tag Martij. Ich hab auch das Preussisch buch [1]) noch bey mir, vnd soll wol verwart werden, das es nicht weiter kheme, Denn es wurde Ein grossz gezenk anrichten so es die Duringischen lesen wurden.

381. No. 5580[b]. (Vol. VIII. p. 265.) 13. April.

Eidem.

Hanc epistolam cum iudicio adiuncto Seidemannus in eodem libro ad no. 373. indicato p. 125 sq. epist. ill. primum edidit.

(*Inscriptio deest.*)

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vnsern heiland vnd warhafftigen helffer zuuor, Durchleuchtister hochgeborner gnedigster churfurst vnd herr, E e f g gnedige schrifft an den Erwirdigen herrn doctor Forsterum vnd Camerarium haltend hab ich empfangen, vnd gedachten doctor Forstero zulesen zugestallt, wiewol wir nu die fahrlikeit des Synodi betrachten, so verstehen wir doch das E e f g die selbige versamlung gewilligt, daruff vns geburt gehorsam zu sein, so die pfaltzischen, wirtebergischen vnd Hessen ankhemen, Solte aber da ettwas anders, denn von der antwort vff dem Reichßtag zu geben, furgenomen werden, haben wir sorg es wurde nicht geringes gezenk volgen, denn Osiander hatt viel fragen erreget, da zu mehr leut gehoren, vnd bitten wir In vntertheniktkeit E e f g alß ein hochloblicher christlicher churfurst, wolle yhrer land kirchen Einikeit nicht zerrutten lassen, Der allmechtige Gott vatter vnsers heilands Jhesu Christi, der yhm gewißlich Ein Ewige kirchen Im menschlichen geschlecht samlet durchs Euangelium vnd nicht anders, wolle E e f g vnd E e f g gemahel vnd Jungen herrn, gnediglich sterken vnd bewaren, Datum 13 Aprilis 1554

E e f g

vntertheniger Diener

Philippus Melanthon

Das Bedenken.

Wiewol dise versamlung der predicanten aus wirteberg ꝛc disen namen hatt, alß soll man sich da vnterreden, was vff dem Reichßtag der Relligion halben zu antworten sey, so gedenk ich doch das dise versamlung durch prewssen gevrsacht wirt,

1) Conf. supra p. 353. epistolam no. 373., in qua item huius libri mentio fit.

vnd ob gleich dises nicht ist, so soll man doch von der Prewssischen sach reden, denn die wirtebergischen haben sich eingelassen,

vnd so man nicht davon reden wolt bringt das still sweigen auch Ein verdacht, vnd ist also vff alle weg grösser gezenk vnd trennung zu besorgen, Ich will mich auch nicht einlassen, des Osiandri sach zu fliken, vnd so vil den Reichstag belanget, sind wir entlich bedacht khein andre oder newe Confession zu machen, welche nu Einer gleichen Confession sein wollen, Die mochten vff dem Reichßtag yhr gemut anzeigen,

Auch ist zu besorgen, So diser particular Synodus gehalden wurde, es wurden andre gegen Synodi von andern orten gehalden werden, wie ich vernomen habe, das doctor Morlin Ein Synodum In Brunswig beruffen wolle, vnd ist offentlich, das Zu diser Zeit zu Eintrechtigkeit In disen landen nutzlicher ist, solchen Synodum nicht zusamen bringen

Ich khann auch nicht gedenken wie ehr furzunemen sey, vnd so nicht furstliche rädte Dabey weren, wurden allerley vnordnung volgen,

Doch stell ich dises alles zu E c f g bedenken

---

382. No. 5614ᵇ. (Vol. VIII. p. 298.) 29. Maii.

Petro Martyri.

Huius epistolae, quae in Collectione Simleriana (S. Msc. 82.) asservatur, apographon Clar. Viro Voegelino debeo. — Simlerus adnotavit: „Initium huius epistolae extat in Hottingeri Hist. Eccl. T. IX. p. 527."

Reverendo Viro, eruditione et virtute praestanti, D. Petro Martyri, Theologiae Doctori, fratri suo carissimo. Argentorati.

S. D. Reverende Vir et carissime frater. Quantum vulnus universa Ecclesia acceperit, extincto Rege Angliae Eduardo, scio te virum sapientem et intelligere et magno cum dolore cogitare Hic Rex et Ecclesiis et studiis doctrinarum, si vixisset, opem ferre potuisset. Sed haec fata aspera huius extremae mundi, in qua et propter vetera, et propter recentia magna scelera poenae cumulantur, et duriter quassantur Imperia et Ecclesiae. Sed oremus Filium Dei, ut poenas leniat, nec sinat suam cymbam prorsus opprimi fluctibus errorum, et furoribus Diabolorum, qui prorsus delere veritatem conantur. Quod ex faucibus leonum ereptus es, gaudeo, et Deo gratias ago, qui te et alios clementer servavit. Ac spero, et te et multos bonos et doctos viros habituros hospitium tranquillum in Aristocratica urbe Argentorat. Interea scio dolores de Ecclesiae calamitate assiduos te circumferre. Sed

te oro, ut istic coniunctionem cum iis, qui docent, tuearis. Bene et feliciter vale. Die XXIX Maii. (1554.)

Philippus.

---

383. No. 5632 b. (Vol. VIII. p. 312.) 26. Jun.

Petrus Martyr ad Melanchthonem.

Haec epistola legitur in Martyris epistolis impressis, quas nondum inveni.

---

384. No. 5647 b. (Vol. VIII. p. 324.) 1. Aug.

Melanchthonis Praefatio ad Hieronymum Stauden.

Haec praefatio, quam Clar. Goetze, Praeceptor Gymnasii Seehusiani, ex Guelferbytanae Bibliothecae exemplo benigne mihi descripsit, praemissa est Parti I. huiusce libri: Außlegung der Euangelien, an Sontagen vnd fürnembsten Festen, darinnen die Christliche Lehr fein richtig gefasset, vnd allerley Irrthumb verleget werden. Durch Conradum Cordatum, der heyligen Schrifft Doctor. Sampt einer Vorrede Philippi Melanchtonis. 1 Timoth. 6. O Timothee ꝛc. 2 Thle. Nürnberg, M. D. LVI. 8°. — De Cordato, qui a. 1546. mortuus est, conf. Goetze in XIV. Jahresbericht des Altmärkischen Vereins zu Salzwedel p. 68—77.

Vorrede.

Dem Erbarn vnnd Fürnemen Herrn, Hieronimo Stauden, Landtrichter in der Alten Marck, Meinem gunstigen Herrn, vnd guten freund.

Gottes gnad durch seinen eingebornen Son, Jesum Christum vnsern Heiland, vnd warhafftigen helffer zuuor. Alle menschen sollen dise nötige erinnerung offt betrachten, welche S. Paulus zun Coloss. geschrieben hat, Nemlich: die rede des Herrn Christi, soll inn euch wohnen reychlich in aller weyßheit, Vnd jr solt euch vnter einander lehren vnd erinern. Vnd sind sehr vil heilsamer erinnerung in disen kurtzen sprüchen gefasset.

Erstlich ist angezeigt, das Gott wil durch sein wort, vnd nit anders, erkandt sein. Wie auch inn vilen andern sprüchen gebotten ist, Das wir nit mit eygen gedancken ausser Gottes wort, in Himel steigen sollen, sondern sollen Gottes wesen, willen, zorn, vnd gnad also erkennen, wie er sich in seinen reden, die in der Propheten, vnd Aposteln schrifft gefast sind, geoffenbaret hat.

Zum andern, Mercke das wort WONEN. Die rede des Herrn Christi, sol vns nit ein frembder gast sein, sonder wol bekand, vnd teglich vnd allzeit bey vns sein, vnd sol damit teglich das hertz zu besserung, zu Gottes forcht, zu sterckung des glaubens, zur anruffung, zur dancksagung, zur gedult, keuschheit, vnd andern tugenden erweckt werden. Vnd ist gewißlich war, Wo das eusserlich geschriben wort, in ernstlicher bekerung, vnd mit rechtem glauben

vnd anruffung zu Got, angenommen wirt, im selbigen hertzen wohnet, vnd ist warhafftigklich gegenwertig Gott selb. Der ewige son Gottes tröst das hertz durchs Euangelium, vnd zeiget den Vater, der vater liebet dich, vnd gibet durch den Son den H. Geist, der dein hertz stercket vnd treibet zur anruffung, vnd zu Götlichen regungen, wie er selb ist. Vnd bewaret Gott dise seine wonung, vnd wil ernach sichtiglich in dir in ewiger seligkeit wonen. Dises alles ist vleissig zubetrachten, so Paul. spricht: Die rede des Herrn Christi sol in euch wonen, vnd ist diser hohe trost auch gefasset in disem spruch Johannis 14. Wer mich liebet, der bewaret meine rede, Vnnd mein Vatter wirt jn lieben, vnd wir werden zu jm kommen, vnd wonung bey jm machen. Item, Ephes. 3. Das der Herr Christus in ewern hertzen wone, durch den glauben. Dises geschihet durch betrachtung des eusserlichen vnd geschribnen worts, vnnd nicht anders. Vnnd sol sich niemandt durch Stenckenfelt vom geschribnen wort abfüren lassen.

Zum dritten, Ist auch darzu gesetzt: In aller weißheit. Dise warnung ist wol zu mercken. Denn die Teuffel treiben für vnd für gifftige, freuele, auffrürische menschen zu verblendung der Göttlichen reden, alß zu allen zeiten grobe Exempel gewesen sindt, vnd noch sein, vnd sein werden. Bald nach den Aposteln sind vmbgeloffen teuffelhafftige rotten: Martion, Manichey, vnd andre, die haben geschrien: Alle güter vnnd Weyber sollen gemein sein, 2c. Vnd haben grossen anhang gehabt, Wie zu disen zeyten die Widertauffer, vnd vil auffrürischer leut mancherley angericht haben, vnd noch anrichten. Darumb ist dise fürsichtigkeit hochnötig, das wir Gotes wort in seinem einigen vnd reinen verstandt behalten. Von diser weyßheyt sagt allhie Paulus, Das man nicht Gottes wort zerreyß, mit falschen deutung vnd glosen, wie allezeit durch die Ketzer geschehen ist.

Wider solche verfurische glosen, gibet auch der Son Gottes für vnd für etliche rechte lehrer, die Gottes wort rein predigen vnnd der Ketzer vnflat dauon abstreichen, wie Sanct Paulus spricht Ephe. 4. Der Son Gottes sitze zur rechten hand des ewigen Vatters, vnnd gebe seine gaben der Kirchen: Propheten, Aposteln, Euangelisten, Hirten, vnd lehrer, Damit wir nicht in irrthumb stecken bleiben. Also hat der Son Gottes zu diser zeyt, den Ehrwirdigen Herrn Doctor Martinum Luther zu disem hohen werck erweckt, die lehr widerumb zu reinigen, durch welchen vil zu rechter erkandnuß des herrn Christi kommen sindt, Denn der son Gottes samlet jhm gewißlich durchs Euangelion, vnd nit anders, ein ewige kirchen im menschlichen geschlecht. Vnd wiewol dises heufflein gegen der Gottlosen welt zu achten, nicht groß ist, dennoch ist es ein versamlung viler personen, wie der Herr spricht: In meines Vaters hauß sind vil wonungen. Vnd Gott wil das rechte lehr etliche zeugen habe wider die teuffel vnd verfolger, vnd die Christen zustercken. Also hat Gott der Kirchen durch den Herrn Doctorem Martinum Luther,

ettlich seine zuhörer zum Predigtampt beruffen, Vnter welchen auch der Ehrnwirdig Herr D. Conradus Cordatus gewesen ist, der treulich gelert hat, vnd hat mit Christlichen sitten, vnd rechter bestendigkeyt in mancherley verfolgung, gefencknis, vnd andern leiden der warheit zeugnuß geben, Biß in Gott auß disem tödtlichen leben, in die Himelische kirchen erfordert hat. Vnnd damit meniglich sein leben vnd bekandnuß wisse, will ich kurtzlich sein Historien anzeigen, welche dienet andre in rechter lehr zusterckеn.

Vnd ist diser Conradus Cordatus in Osterreich geborn, vnd hat inn seiner jugent, in der löblichen Vniuersitet zu Wien studirt, die zeyt, da der hochgelert vnd berhümbt mann Conradus Celtis ein Regent da gewesen ist, von welchem er sich inn Lateinischer sprach etwas gebessert hat. Ernach ist er in Italien gezogen, vnnd hat ein zeitlang die Doctores Theologie zu Ferraria gehört, ist auch in der selbigen Vniuersitet Doctor worden. Nu hat er nit alleine Thomam vnnd dergleichen verwirte Scribenten gelesen, sonder hat auch darneben Gersonem vleißig angesehen, der etlich grobe jrrthumb von menschen satzungen gestrafft hat, vnnd den leser zu vernunfftigen tugentlichen wercken gewisen. Solche lehr hat er hernach alß er widerumb inn Osterreich kommen ist, gepredigеt.

Alß aber ernach der Ehrnwirdig Herr Doct. Martinus Lutherus vil mehr, vnd grössere jrrthumb im Babstumb gestrafft hat, vnd Doctori Cordato die groben jrrthumb etwas bekand gewesen sind, vnd jm bey sich vil betrübniß gemacht haben, ist er gen Wittenberg Anno 1523 kommen, vnd hat da vleissig Lectiones vnd predig, des Ehrwirdigen Herrn Doctoris Martini gehört, Vnd vil mit jm selb von allen artickeln Christlicher ler geredt. Nach zweyen jarn, ist Doctor Cordatus in Hungern gezogen, Vnd als er da Christliche ler gepflantz hat, Hat jn ein Bischoff verräterlich fahen lassen, vnd ein zeitlang im gefencknuß gehalten, Vnd jhm Vierhundert Hungerisch gulden genommen. Vnd wiewol des Bischoffs Beuelchhaber hart in jn gedrungen haben, von Christlicher lehr abzufallen, vnd der Bischoff Abgötterey zu bestettigen, vnd haben jm gedrowet das leben zunemen, Hat jn doch Gott gesterckt, das er bestendig in der warheit blieben ist. Vnd als jm die Schlangen im Turn vil angst gemacht haben, hat jn der Wechter, der solcher sachen ein verstand gehabt hat, disen rath geben: Er wolte jhm eine katzen in den thurm herunter senden, derselben solt er erstlich zu essen geben, so offt er gespeiset würde, dar nach auch den Schlangen, So wurde die Katz die Schlangen, in seinem schlaff abtreyben, welches also geschehen ist. Denn so er geschlaffen hat, ist die katz vmb jn gangen, vnnd hat gebrommet, vnd keine Schlange zu jm gelassen. Ernach hat jm Gott durch disen Wechter außgeholffen.

Als er nu widerumb gen Wittenberg kommen, ist er zur Lignitz Lector Theologie, vnd prediger gewesen, da hat er zugleych mit Papisten, vnnd Stenckfelt, vnd desselbigen anhang vil streit gehabt, vnd die Kirche vnter-

wiesen: Das Gott trost vnd leben wirckt, durch betrachtung des geschribnen, vnd eusserlichen Euangelij, durch den glauben. Der durch dise betrachtung, den Herrn Christum anschawet, vnd also sich auff jn verlasset vnd auff jm rüget, vnd das man nit ausser dem geschribnen wort eigne verzuckung 2c. suchen solt.

Nu ist die selbige angefangene schul zur Lignitz nit erhalten worden, darumb er widerumb zum dritten mal gegen Wittenberg kommen ist, da er hernach Pastor der kirchen zu Nimeck vnd darnach zu Zwicka, vnd entlich zu Stendal worden ist, vnd hat in allen disen Kirchen treulich gedienet, Wie nit allein dz volck in disen Stetten, sondern auch die Herrschafft weiß, das er Christliche ler rein gepredigt hat, vnnd hat ein großen ernst erzeygt, wider alle falsche lehr, vnnd wider alle auffrürische fürnemen. Darumb auch der Durchleuchtigst Hochgeborn Fürst vnnd Herr, Herr Joachim der ander dieses namens, Marggrafe zu Brandenburg, vnnd Churfürst 2c. Ein gnedigs wolgefallen an seinen Diensten gehabt hat, Auch jn erfordert Doctores in Theologia, in der löblichen Vniuersitet zu Franckfort an der Odern zu Promouirn. In derselbigen reiß ist er kranck worden, als ein alter Mann von grosser kelt. Vnd hernach in Christlichen trost auß diser sterblichen welt, zu der ewigen kirchen in Himel abgeschieden.

Seiner lehr Summa ist zufinden in disen seinen predigen, darin er zeugnuß gibet diser ler, die in den kirchen diser land, laut der Confession, die hochlöblicher gedechtnuß der Churfürst zu Sachsen 2c. Zu Augspurg im 1530. iar Keyserlicher Maiestat vberantwortet hat, gepredigt wirdt. Vnd dieweil gedachter Herr Doctor Cordatus dise lehr auch in der verlegung bekandt hat, mögen sich andre mit seinem zeugnuß stercken. Vnd sollen wir alle betrachten, das nützlich ist, das viler Christlicher menschen bekandtnuß vnd zeugnuß in gedechtnuß bleyben, wider die Teuffel, vnnd alle Gotteslesterer, vnd zusterckung viler schwachen.

Auß diser vrsachen sind dise predigten, des trewen mans Doctoris Conradi Cordati außgangen. Vnnd dieweil euch Erbarer günstiger herr Hieronime, sein ler vnd leben bekant gewesen ist, vnd jr von wegen seiner Christlichen Tugenden, sein guter freund gewesen seyt, vnd selb Christliche ler recht erkennet vnd bekennet, vnd Got recht anruffet, vnd zu guter regierung treulich dienet, habe ich dise schrifft an euch gestellet, euch zugleich auch als einen zeugen rechter Christlicher ler andern fürzustellen. Vnd bitt den allmechtigen son Gottes, Jesum Christum, der jm gewißlich ein ewige kirchen im Menschlichen geschlecht durchs Euangelium, vnd nit anders, samlet, er wölle dise kirchen vnd land, euch vnd die ewrn allezeit gnediglich regiern vnd bewaren. Datum Anno 1554. Auff den 1. tag Augusti, Auff welchen tag Eßdras widerumb auß Babylon zu Jerusalem einkommen ist, im 457. jar vor der geburt Christi, auß der Junckfrawen, Vnd so man 33. jar des herrn

Christi, biß zu seinem leiden vnd aufferstehung dazu thut, hat man 490. jar. Dises sind die 70. wochen Danielis, vnd bringt dise zal, in allen Reichen grosse verenderung, Wie auch das Teutsch reich, das Hungerisch, vnd Polnisch, nu dise zal vollendet haben. Gott gebe selige regierung.

Philippus Melanthon.

---

385. No. 5656[b]. (Vol. VIII. p. 334.) 27. Aug.

Io. Calvinus ad Melanchthonem.

Haec epistola legitur in Calvini Operum Amstelodami editorum Tom. IX. in altera parte Epistolas atque Responsa continente p. 82., et in eius Epistolarum et Responsorum Editione 3., quae Hanoviae 1597. 8°. prodiit, p. 333—335. epist. 179. — In anglicam linguam translata exhibetur in Letters of Iohn Calvin compiled from the original manuscripts and edited with historical notes by Dr. Iules Bonnet. Vol. III. p. 61—63. epist. 359. — Huius epistolae pars quaedam germanice versa affertur in Henry Leben Joh. Calvins Bd. III. Abth. II. p. 102 sq.

Calvinus Melanchthoni S. D.

Quanquam meis ultimis literis abs te non fuisse responsum doleo et valde miror: fastidio tamen vel contemptu id esse factum, quum nihil minus in naturam moresque tuos cadat, suspicari nequeo. Itaque nuntium hunc nactus, qui suam mihi in literis tibi reddendis operam obtulit, tentandum rursus putavi, num forte quid possem elicere. Ego vero non de tuo erga me amore dubitans, qui semper immodicus fuit, ita loquor: sed quia silentium tuum, ut Ecclesiae Dei noxium esse iudico, ita merito triste molestumque mihi esse debet. Scribebam nuper de illo doctrinae capite, in quo magis sensum tuum dissimulas, quam a nobis dissentis. Quid enim aliud de homine acerrimi iudicii, caelestisque doctrinae peritissimo arbitrer: quum neminem mediocriter in sacris versatum lateat, quod ipse quasi ignotum tegis? Et tamen funditus perit gratuitae Dei misericordiae cognitio, nisi hoc tenemus, mero Dei beneplacito a reprobis discerni fideles, quos in salutem eligere voluit: nisi et hoc deinde constat, fidem ab arcana Dei electione manare: quia Spiritu suo illuminat, quos eligere, antequam nascerentur, ei visum est, et adoptionis gratia in familiam suam inserit. Hanc doctrinam a summo Theologo convelli quam absurdum sit, pro tua prudentia expende. Manifestum certe dissidium in scriptis nostris notari, pessimi exempli esse vides. Nec vero hanc tollendae discrepantiae legem praescribo, ut tu mihi assentiaris: sed ne pudeat nos sacris Dei oraculis subscribere. Quaerendae vero conciliationis quaecunque tibi pla-

euerit ratio, eam libenter amplectar. Ecce nunc homines indocti, et turbulenti, bellum Sacramentarium a parte vestra innovant; quos etiam ipsos tua taciturnitate foveri, boni omnes gemunt et queruntur. Quantumvis enim audax sit inscitia: nemo tamen dubitat, si liberius profiteri quod sentis, in animum induceres, quin tibi facile sit eorum intemperiem aliqua saltem ex parte sedare. Nec vero ita humanitatis oblitus sum, quin et mecum reputem, et aliis quoque ostendam, quo cum hominum genere tibi negotium sit: quam te anxium perplexumque teneat ista rerum perturbatio: quam multa circumspicere tibi necesse sit, quae tuum cursum impediunt ac morantur. Sed nihil tanti est, ut furiosis hominibus tua dissimulatio ad turbandas et dissipandas Ecclesias frenum laxet. Taceo iam, quam pretiosa nobis esse debeat ingenua sanae doctrinae professio. Scis annis plus triginta defixos in te fuisse innumerae multitudinis oculos, quae nihil magis cuperet, quam se tibi docilem praebere. Quid? an hodie ignoras, plurimos ab ambigua illa, in qua te nimis timide contines, docendi forma dubios pendere? Quod si tibi sincere, solideque testari quod esset utile cognitu, liberum non est, saltem danda erat opera, ut frenares istorum intemperiem, qui de nihilo importune tumultuantur. Quid enim, obsecro, sibi volunt? Clamavit tota vita Lutherus, non alia de re se contendere, nisi ut suam Sacramentis virtutem assereret. Convenit, non inanes esse figuras, sed re ipsa praestari quicquid figurant. In Baptismo adesse Spiritus efficaciam, ut nos abluat, et regeneret. Sacram Coenam spirituale esse epulum, in quo vere Christi carne et sanguine pascimur. Ergo in sedando tumultu, quem denuo concitant praeposteri homines, causa magis videtur favorabilis, quam ut invidiae metu cessandum sit: cuius tamen varias agitationes in isto gradu effugere non potes. Danda solum opera est, ut aheneus ille bonae conscientiae murus non eas modo, sed quamlibet violentos totius mundi impetus fortiter sustineat. Nam dum ab Osiandri patronis et flexibilem, et profanae magis philosophiae deditum, quam caelesti doctrinae, vocari audio, gravius me vulnerat probrum illud, quam si vel malevoli, vel protervi homines obiicerent, quod non modo fateri honestum esset, sed etiam magnifice iactare gloriosum. Vale charissime vir, et frater mihi in primis observande. Dominus te praesidio suo tueri, Spirituque regere pergat usque in finem. Genevae, 6. Calendas Septembris. M. D. LIV.

Ioannes Calvinus tuus.

386. No. 5678ᵇ. (Vol. VIII. p. 365.) 24. Oct.

Augusto Principi Electori Saxoniae.

Hanc epistolam cum iudicio subsequenti additisque duabus schedulis primum edidit Seidemannus in libro supra p. 352. ad no. 373. indicato p. 126—129. epist. IV.

(*Inscriptio deest.*)

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum unsern heiland und warhafftigen helffer zuuor, Durchleuchtister hochgeborner Gnedigster churfurst und herr, E c f g sende ich In unterthenikeit mein Einfaltig bedenken In beygelegter Zettel, dabey ich aber E c f g weiter anzeige, das ich dise sorg habe, solten die wirtebergischen predicanten, und wir andre zusamen khomen, und sie wurden yhre vorige antwort schutzen wollen, die villeicht die Sechsischen anfechten wurden, so wurde grösser uneinikeit volgen, Item so die Sechsischen und Turingschen nicht dabey weren, und wurde ettwas concludirt, das yhnen nicht gefellig were, so wurden sie noch mehr gezenkes anfahen,

So habe ich auch vernomen, das die Rädte zu weimar dise antwort vor diser zeit geben haben, Der Kelser habe sie gesichert der relligion halben, wie sie ietzund sind, so sie sich nu mit andern einlassen wurden, zu den Synodis zu schiken, wurde der keiser solches verstehen, alß wolden sie ettwas anders furnemen etc. Darumb wollen sie zu solchen Synodis niemand senden, Dises bericht ich unterteniger meinung, und bedenkhe E c f g khonne dadurch die schikung abschlagen, das zu vormuten sey das andre fursten und Stend nicht geneigt sind Synodos zu halten, Doch stelle ich dises alles In E c f g hoher bedenken, und will mich gehorsamlich halden, In unterthenikeit

E c f g sende ich In unterthenikeit Ein Buch von den keiseren, mit Contrafact die vleissig gemahlet sind und nach gemacht auß den alden guldin und silbern muntzen

Item Dabey, die heubtartikel christlicher lehr, newlich widerumb getruckt, darinn die lehre vonn den Personen der Gottheit trewlich erkleret ist, Der allmechtige Son Gottes Jhesus Christus der yhm gewißlich Ein Ewige kirchen Im menschlichen geschlecht, durchs Euangelium und nicht anders samlet, wolle E c f g und E c f g gemahel, und den Jungen herrn gnediglich erhalden In gesuntheit, Zu gutem der christenheit, Datum 24 Octobris 1554

E c f g

unterteniger diener

Philippus Melanthon

Das Bedenken

Der Durchleuchtist hochgeborn furst und herr etc der hertzog zu Preussen schreibt selb, Das particular versamlungen viel unruge bringen, welches ich alle Zeit bedacht habe, und habe derhalben die unterrede mit Brentio und

andern wenigen, guter meinung abgeschlagen, so ich doch gern sunst mit Brentio vnd ettlichen andern gottforchtigen vnd gelarten von vielen sachen reden wölt,

Zum andern, wie wol gut were das sich ettlich alde gottforchtige gelerte menner von Ettlichen Hochwichtigen sachen vnterreden, so ist doch dabey zu bedenken, so viel Personen zu samen khomen, das sie vngleich sind, vnd das die verbitterung ietzund grossz ist, dadurch newe spaltungen mochten verursacht werden, vnd so viel Osiandrum belanget, wurden gewißlich wider Osiandrum vnd Funken scherffere decreta gemacht werden,

Zum Dritten. Es khann Ein gantzer oder grosser Synodus nicht one vorwissen vnd bewilligung der chur vnd fursten Grauen vnd Stet, die gleicher christlicher Confession sind, furgenomen werden, So man nu aller gemut erkunden wirt, wirt man befinden das wenig da zu geneigt sein werden, So es denn Ein solcher Synodus werden solt, wie In disem Jahr 1554 mense Maio zur Nawenburg[1]), so wer wenig damit außgericht,

Es wurden auch ettlich Eben darumb außbleiben, das sie ernach macht hetten, dagegen zu schreyen, wie man sihet das viel muttwilligen Zank suchen,

Wenn aber der keisarlich Reichßtag angefangen wurde, dweil one zweifel der keisar abermals von der Religion ettwas wirt fürtragen lassen, were sere gut, das alß denn die chur vnd fursten, grauen vnd Stedt, die gleicher christlicher Confession sind, Ein Eintrechtige christliche antwort geben,

Mochten auch alß denn, die herrn selb, zuuor yhre Redte vnd Predicanten da von reden lassen, ob ettlich Zwispalt vnter vns weren, die selbigen vorhin vffzuheben,

So man nu fragt, wie khann denn den secten gewehret werden, so man nicht Synodos halden khann, Daruff ist antwort, So den fursten vnd Regenten In den Stedten ernst ist, Ein gut kirchen regiment zu halden, bleiben sie bei Einer gewissen Confession, vnd halten, Ein ieder In seinen gebieten, verordnete Consistoria, vnd haben Ein vffsehen vff der Priester ordinatio, dazu wirt gott gnad verleihen,

Wirt aber Ein Zusamen schikung vieler oder weniger person beschlossen, vnd ich werde auch erfordert, soll der mangel an mir nicht sein, so doch ettlich auch[2]) andern landen auch geschikt werden, als, Turingen, Hessen, vnd Sechsischen Stedten

So viel die Executio In Preussen belanget, nach dem ietzund Ein abschied Im truck außgangen ist, bedenke ich das neben dem Superintendente Ein Consistorium mit gutem radt von gottforchtigen vnd sittigen predicanten verordnet werde, welchen die Executio beuohlen werde, die christliche maß vnd

1) Inde a d. 20. Maii.

2) auch] sic h. l. calami errore scriptum est pro: aus

lindikeit balden, das auch Funken nicht gestatt werde, mehr vneinikeit zu erregen,

Manu propria Philippi Melanthonis.

Prior schedula epistolae inclusa:

So Ein Conuentus ettlicher Predicanten solde gehalden werden, acht ich das man primo Maij zu Frankfurt oder zu Marpurg Einkhomen sollt,

Altera schedula ei inclusa:

In Hungarn ist die Bergstatt Novum solium außgebrant, vnd Ein Slossz dabey Eingenomen, ist die Rede, Es sey geschehen vom Peterwitz des konig Johannis Sons Capitaneo, vnd Turken, vnd hatt der Turkisch keisar bey dem konig von Poln gesucht, das ehr helffen soll den Jungen Son konig Johannis In das konigreich zu Hungarn Einsetzen.

---

387. No. 5710[b]. (Vol. VIII. p. 399.) (anno 1554.)

Inscriptio.

Haec inscriptio fere eadem est, quae in Corporis Reform. Vol. VIII. p. 60. sub no. 1. inter epistolas anni 1553. legitur. Continet Epiphanii dictum, cum brevi enarratione, quod Melanchthon a. 1553. solebat inscribere libris, quos amicis donabat. Etiam 1554. idem inscripsit exemplo auorum *Locorum theologicorum Lipsiae* 1552. *editorum*, quod Ioh. Andreae Schoenbachio iuniori donabat. Ex hoc libro, qui nunc in Bibliotheca Seminarii theologici Herbornensis est, Clar. Prof. A. Nebe illa verba a Melanchthone inscripta affert in sua dissertatione: Zur Geschichte der evangelischen Kirche in Nassau. Zweite Abtheilung, quae exhibetur in Guil. Ottonis Denkschrift des Herzoglich Nassauischen evangelisch-theologischen Seminars zu Herborn für das Jahr 1864. (Herborn 1864. 4°.) p. 3—75. Inscriptio h. l. afferenda ibi legitur p. 65 sq. nota 6.

Epiphanius.

πάντα τὰ θεοῦ ῥήματα οὐκ ἀλληγορίας δεῖται, ἀλλὰ ὡς ἔχει. Θεωρίας δὲ δεῖται καὶ αἰσθήσεως εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως τὴν δύναμιν.

Doctrina Ecclesiae est comprehensa in libris propheticis et Apostolicis quorum Nativa sententia retinenda est iuxta linguarum phrasin. Nec lex moralis, et promissio gratiae, et articuli symboli transformentur in allegorias, quia oportet certos esse fontes divinitus traditos. Sed cur ait opus esse Epiphanius speculatione et sensu? Speculationem nominat dialecticum ordinem membrorumque doctrinas, videlicet definitiones, distinctiones, consequentias necessarias. quia necesse est considerari quae membra ubi in scriptis propheticis et Apostolicis tradita sint, et haec ordine ad docendum accommodato recitanda sunt.

Ait item sensu opus esse, quia ad intelligenda vocabula opus est experientia. Non intelliguntur[1]) haec nomina, Poenitentia, timor, fides, consolatio, patientia, spes, sine experientia id est sine exercitiis in corde. Quare Epiphanius apte haec tria coniunxit, lectionem librorum propheticorum et Apostolicorum, sensum quo vocabula intelliguntur et speculationem, quae est forma doctrinae iuxta metas dialecticas.

Manu Philippi. 1554.

ANNO 1555.

388. No. 5715[b]. (Vol. VIII. p. 408.) 1. Jan.

Iustus Ionas ad Melanchthonem.

Haec epistola ex autographo, quod in Bibliotheca Walleubergiana exstat, primum edita est a Theod. Presselio in libro: Justus Jonas. (Elberfeld, 1862. 8°.) p. 140—142. nota 97.

(Inscriptio deest.)

Gratiam et Pacem Dei per Christum filium Dei dulcissimum Immanuel. Reverende in Christo, clarissime vir, praeceptor clarissime. Verissimum plane hoc esse statuo: **ὁμιλία ἔτεκε τὰς τέχνας.** Quid enim est humanitas, quid tota vita mortalium, sine collatione indiciorum? Cum homines ad societatem conditos esse ne Turcae, ne Scythae quidem infitiari possint, cum etiam scholae patriarcharum Adami, Seth, prophetarum Helisaei similium 2. Reg. 6. item gymnasium Iohannis Baptistae testentur, Deum in Ecclesia pie, placide, candide et fraterne voluisse fieri collationem **περὶ τῆς διδαχῆς.** Satis memini, quam multae olim deliberationes in conventibus publico privatimque vera ingenuitate animorum et **τῇ συμφωνίᾳ** voluntatum inter nos habitae sint. Quam saepe recordor illos Vittebergenses dies non sine magno gemitu, cum annis XXV aut XXVI (Hallae enim etiam videbar esse vobis cum) magno omnino dono Dei in interiori vita syncerissimo cordi patri DD. Luthero ac tibi conversatus sim et quotidie hauserim

---

1) intelligenda vocabula opus est experientia. Non intelliguntur] horum loco in illo autographo, quod in Corp. Ref. Vol. VIII. p. 60. no. 1. typis est descriptum, lacuna est.

ex dulcissima ὑγιαινούσης διδαχῆς scaturigine, cum et ἡ φιλία ἡμῶν, synceritas et puritas necessitudinis nostrae fuerit et sit instar translucidi et amoenissimi laticis. Video, quam misere variis ruderibus sordibus σκυβάλοις vivi et suaves rivuli asperrimorum temporum iniuria foedati, spurcati turbatique sint, et quibus limpidissimis fontibus immissi apri. Quidam ἰδιοβουλεύοντες omnia itinera mutui candoris et liberalis communicationis obstruendo videntur sibi de Republica bene meriti esse. Quod attinet ad articulum de usuris, video, quomodo reverendus et charissimus pater Lutherus in libro περὶ τῶν τόκων multis gravibus locis circumspectissime et prudenter addit mitigationem. Et si vir ille Dei hodie viveret (ut novimus virum sapientem, fortem et integerrimum), nullo modo fuisset probaturus consilia et insanias gloriam alieno labore partam in se transferentium et captantium τῇ φραγμικῇ παῤῥουσίᾳ. indico quod doleat. Discrimen faciendum esse inter officiosas mutationes et damnosas, plane sentio. Sereniss. Regis Daniae cancellarius haud dubie ex gravibus etiam causis responsionem tuam in tua illa incude fabre factam praetulit aliis. Ter quater relegi tuum consilium transmissum Senatui Ratisp. et quo attentius consideravi, eo mihi placuit impensius. Video deliberationem accurate et prudenter scriptam. In eandem sententiam, qua tu, mi pater, mones de Consistoriis, et ego rescripsi Senatui Augustae, et sapienter et prudentissime hoc cogitatum est adversus eos, qui praecipitatis et subito (in transactione magnorum negotiorum) tornatis sententiis sibi eo plus placent, quo pauciores adhibent συμφράσμονας, ne gloria rabiosa cupiditate quaesita (etiam ruente Republica) aliquid detrimenti patiatur. Constituit et Coburgi illustriss. Io. Ernestus dux Saxoniae consistorium, in quo usitate praesident tres Theologi, tres Iureperiti, tres bonae famae Nobiles, et durat haec εὐταξία nostrum diem; volunt enim nostri illustrissimi tres principes hanc phragmicam ditionem bene constitutam ut superstite Ernesto, D. Walrodus Ecclesiam et Rempublicam iuvat ex animo quantum potest, et illustres principes de Heunebergk deliberarunt etiam de consistorio digno. Viri sapientes et pii ac graves ideo optant sarcta tecta conservata consistoria, ne in unius ἰδιοβουλευόντων potestate sint omnia, ne unus liberator aut aliquis morosus figat refigat pro libito. De articulo gravi usurarum, de quo multa disseruerunt Eruditi in explicatione Decalogi in cathedris nostris, in Ethicis etc., secutus sum tuum et reverendi Lutheri sententiam, et ut reverendus pater D. Lutherus moderatur sapienter asperiorem sententiam, ita passim

in meis τοῖς ἐνθυμήμασι[1]) non Unius sequendum, sed aliquot vere piorum et eruditorum graviter ac diligenter quaerendum esse consilium meditatissimum. Magna fieret iniuria multis honestis viris, si a quolibet imperito, indocto liberatorculo audire cogerentur Usurarius. Reverende D. Praeceptor, magnam tibi habeo gratiam, quod rogatu meo mihi tuae sententiae missae ad Senatum miseris exemplum. Librum reverendi P. D. Lutheri latine post redditum rogo, cum ex urbe Parthenope redierint typographi, cures typis excudi cum praefatione ad Regem sub meo nomine, ut ego celeriter meam praefationem mittam. Rex serenissimus ante paucas hebdomades ad me clementer scripsit et petiit translationem hanc latine edi. Rogo propter amicitiam, propter meam ingravescentem aetatem et nunc ad LXX annum tendentem canitiem in hac re digneris, mi Philippe, navare tuam operam et rescribere hoc tabellario, quid mihi certo expectandum sit. Auctoritas tua isthic facile nutu apud typographos impetrat haec. Si autem typis excudere hoc scriptum recusabunt, et hic tabellarius (ut res cogit hinc) retulerit exemplar, cogar meo sumptu meaque magna molestia mittere Francofurtum aut Norimbergam. Nam labor certe aliquis fuit transferendi in linguam latinam nostra germanica, et Serenissimi Regis petitioni ut obsequar, moveor causis pietatis Herois. M. Ionas filius inde ab eo die, quo cum Luterbecko Vittebergae fuit, nihil ad me scripsit, neque ex Lipsia de rebus suis communicavit, δεινὸς ἀνήρ. In parente ostendit τὴν δεινότητα. Haud scio, an socrus et mulierculae eum contra me incitent. Det Iehova, ut paulo suaviori ratione (uti nunc scribis) sit mihi consolationi, si non voluptati. Si, mi pater, mitti vis, quod ego Senatui rescripserim, mittam, iam non fuit ad manum; commodatum dederam cuidam amico nobili, et scriptum non satis elaboratum tibi tali viro mittere suppuduit. Vale feliciter in domino, qui te Ecclesiae et Reipublicae diutissime servet cum omnibus tuis. Memor sis, mi pater, mei et liberorum meorum. Benedicat Immanuel inclytae academiae et vobis omnibus uberatissime. Saluta D. doctorem Pomeranum, D. Melechium, M. Paulum Eberum, d. doctorem Vendium, d. doctorem Vitum Winphemium, tuum generum doctissimum Peucerum, omnes dominos et amicos. Datae sabbat. post Thomae, anno domini 1554. Obsignavi litteras anno domini 1555.

1) ἐνθυμήμασι] sic scripsi; apud Presselium legitur ἐνθυμήματοις.

389. No. 5742 b. (Vol. VIII. p. 435) 19. Febr.

N. Comitissae Westerburgi et Leiningae.

Ex autographo, quod in tabulario illo comitiali exstat, hanc epistolam descripsit et mihi dono dedit Rev. Superintendens Fulda, amicus meus carissimus.

Der Edlen Wolgebornen Grevin und Frawin Fraw N. Grevin zu Westerburg und Leiningen gebornen Grevin zu Stolberg, meiner gnedigen Grevin.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Son Jhesum Christum unsern heiland und warhafftigen helffer zuvor,

Edle, wolgeborne, gnädige Grävin,

Ew. Gnaden wißen aus christlichem Verstand, daß göttliche Weisheit beides verkündigt hat, nemblich daß in diesem letzten schweren Alter der Welt, größere Unruhe sein werde, denn zuvor gewesen ist, daß aber gleichwol der Son Gottes Jhesus Christus Jhm für und für bis zu Uferwekung der Todten, eine ewige Kirche durchs Evangelium, und nicht anders, samlen will, und will dazu etliche Regiment gnädiglich erhalten, Ehr will auch, daß wir alle, ein ieder nach seinem Stand, zu Pflanzung reiner christlicher Lehre dienen, darumb Ew. Gnaden billich dazu helffen sollen, und wird dieser Ew. Gnaden Gottesdienst Gott wohlgefällig sein,

Nachdem nu Ew. Gnaden begeren, daß ein gottforchtiger, gelerter, züchtiger, friedliebender Mann zum Predigampt angezeigt werde, bericht ich mit Wahrheit, daß Zeiger dieser Schrift, Magister Christophorus Stollberg von Franckenhausen, ein gottforchtiger, gelerter Mann, und hat in rechter christlicher lehr einen guten Verstand, und ist züchtig und friedliebend, darum so ihn Ew. Gnaden hören werden, hoff ich, sie werden an seiner lehr ein Gefallen haben, der allmächtige Son Gottes Jhesus Christus, der Jhm gewißlich eine ewige Kirche im menschlichen Geschlecht durchs Evangelium, und nicht anders, samlet, wolle Ew. Gnaden gnädiglich bewaren, regieren und stärken an Leib und Seel, Datum

19 Februarij 1555

Ewr Gnaden

underthäniger Diener

Philippus Melanchthon.

---

390. No. 5745 b. (Vol. VIII. p. 439.) 5. Mart.

Io. Calvinus ad Melanchthonem.

Hae litterae leguntur in Calvini Epistolis et Responsis. Ed. 3. (Hanoviae 1597. 8°.) p. 379 sq. epist. 203. et in eius Operum Amstelodami editorum Tomi IX. altera parte p. 97. — In anglicam linguam translatae inveniuntur in Letters of John Calvin compiled from the original manu

scripts and edited with historical notes by Dr. Jules Bonnet. Vol. III. (Philadelphia 8°.) p. 157 sq. — In vernaculam linguam omisso initio et fine eas vertit Paul Henry Das Leben Joh. Calvins Tom. III. P. II. p. 104.

(*Inscriptio deest.*)

Literae tuae, clarissime vir, non hoc solum nomine mihi gratae fuerunt, quia mihi charum est quicquid abs te proficiscitur: deinde quia ex illis intelligo, fixum adhuc in animo tuo manere amorem illum, quo me ab initio amplexus es. Sed maxime, quod illic luculento elogio meum in expugnanda Serveti impietate studium commendas: unde etiam coniicio, te simplici mearum admonitionum libertate non fuisse offensum. Hoc defuit, quod pleniores esse optassem. Neque tamen importunius urgeo: sed quoad pace tua licet, etiam atque etiam te rogatum velim, ut tecum de quibus scripsi, tacitus saltem expendas. Sic enim te operam daturum confido, ut de gratuita piorum electione sincerior quam antehac docendi forma inter nos mutuo conveniat. *Περὶ τῆς ἀρτολατρείας* pridem interior animi tui sensus mihi cognitus est, quem etiam non dissimulas in tuis literis. Sed mihi displicet tua ista nimia tarditas, qua non tantum fovetur, sed etiam in dies augetur eorum dementia, quos tam petulanter ruere vides in totius Ecclesiae perniciem. Atque ut tibi non ita facile sit tales bestias frenare: quod tamen vanum esse arbitror, si modo auderes: scis tamen a spe successus officia nostra minime pendere, quin praestare nos etiam in summa desperatione oporteat quod Deus exigit. Nec vero illa mihi excusatio satisfacit, malevolos, qui te oppressum cupiunt, hinc captare plausibilem materiam. Quid enim facturi sunt servi Christi, nisi spreta invidia, contemptis sinistris rumoribus, posthabito etiam discriminum metu, quaecunque obstacula ingerit Satan, victrice constantia superent? Certe quantumvis in te insaniant, nihil tibi durius ab illis impendet, quam ut migrare istinc cogaris. Quod tibi, meo iudicio, complures ob causas sponte optandum foret. Verum ut timenda sint extrema quaeque, tibi semel statuere necesse est, quid Christo debeas, ne ingenuam veritatis professionem supprimens, ad eam opprimendam quasi tacitum patrocinium improbis hominibus accommodes. Ego ut eorum tumultus compescerem, summam doctrinae nostrae rursus brevi compendio complexus sum. Subscripserunt omnes Helveticae Ecclesiae. Tigurini etiam mirifice probarunt. Nunc iudicium tuum avidissime expecto: quid etiam reliqui vestrates vel sentiant, vel loquantur, scire vehementer expeto. Quod si

tumultuari non desinant, qui tam hostiliter nos traducunt, nos operam dabimus. ut nostros clamores totus mundus exaudiat. Vale clarissime vir, et mihi semper in primis observande. Dominus te Spiritu suo gubernet, praesidio tueatur, ac virtute sustineat, nosque simul contineat in sancto consensu, donec in caeleste suum Regnum colligat. 3. Nonas Martii. M. D. LV.

---

391. No. 5788 b. (Vol. VIII. p. 486.) 21. Maii.

Martino Chemnitio.

Hanc epistolam primum edidit R. Baxmann in Ephemeridibus Zeitschrift für die historische Theologie anni 1861. Fasc. IV. p. 622 sq. epist. X. et denuo Frid. Koldewey cum annotationibus in iisdem Ephemeridibus anni 1872. Fasc. I. p. 10 sq. epist. 2.

Venerando viro, eruditione et virtute praestanti, D. Martino Kemnicio, docenti Evangelium in ecclesia Dei in inclyta urbe Arce Brenni [1]), fratri suo carissimo.

S. D. Venerande vir et carissime frater. Oro Deum, conditorem generis humani, fontem sapientiae et omnium virtutum, qui castitatis leges sanxit et dulcissimum foedus coniugii instituit, ut faciat, ut coniugium tuum sit faustum et felix et fecundum. De pecunia, quam adhuc Sabini nomine debeo, scias me iam in aula accepisse, quod Sabino promissum erat. Quare vel hic numerabo, cui voles, vel istuc mittam per eos, per quos voles mitti; teque oro, ut mihi significes, quid fieri velis. Inter bonos bene agier, olim dictum est [2]); id Deo iuvante a nobis quoque fiet. Et vellem cito tibi satisfieri [3]). Bene vale. Die 21. Maii.

Philippus.

Salutem opto vobis omnibus, socero [4]) et aliis.

---

392. No. 5789 b. (Vol. VIII. p. 486.) 22. Maii.

Senatui Francofurtano.

Hanc epistolam primum ex autographo tabularii civitatis cum prolegomenis divulgavit Rev. Dr. theol. Georg Eduard Steitz in libro suo benigne mihi donato: ***Die Melanchthons- und Luthersherbergen zu Frankfurt am Main: Claus Brommen Haus, Lisa's von Rückingen Haus, Wolf Parente's Haus:*** (***Frankfurt a. M.*** 1861. 4°.) p. 65.

---

1) i. e. Brunsvigia.
2) Cic. de officiis III. c. 15, 61.
3) Conf. quae Koldewey l. l. p. 17. adnotavit de hac re pecuniaria.
4) Hermanno Jeger, Licentiato iur., vide Koldewey l. l. p. 17 sq. not. 6.

Den Erbarn, weisen, fornemen herrn Burgermeistern vnd Radt der loblichen keiserlichen Stadt Frankfort, meinen gunstigen herrn.

Gottes Gnad durch seinen Eingebornen son Jhesum Christum, vnsern heiland vnd warhafftigen helffer, zuuor. Erbare, weise, forneme, gunstige herrn. Ewr Erbarkeiten als christliche hochverstendige Regenten wissen, das Gottliche weißheit selb dieses beides verkundigt hatt, nemlich das in diesem letzten swachen alder der welt viel grössere vnrug sein werde, denn zuuor gewesen ist, das aber gleichwol der allmechtige son gottes Jhesus Christus jhm fur vnd fur bis zu vfferweckung aller menschen aus dem todt gewißlich ein ewige kirchen durch's Euangelium, vnd nicht anders, samlen will; will auch dazu ettliche ehrliche Regiment erhalden, vnd will, das wir alle ein ieder nach seinem stand, zu vflantzung christlicher lehr dienen. Disen hochnotigen trost sollen wir in dieser betrubten zeit zu hertzen fassen vnd nicht vnterlassen den kirchen vnd studijs hulff zu thun. Nu bericht diser Georgius Dimpel [1]), eins armen burgers son in der loblichen Stadt Frankfort, das jhm Ewr Erbarkeit dises Jar mit zwentzig fl. hulff gethan haben, vnd erkennet sich zu dankbarkeit schuldig; dweil ich denn befind, nachdem ich jhn gehört hab vnd habe seine schrifften gesehen, daran ich ein gut gefallen habe, das ehr wol studirt, vnd mit gottes gnad in kirchen oder schulen andere zu lehren nutzlich zu gebrauchen sein wirt, bitt ich Ewr Erbarkeiten wollen jhn nicht verlassen, vnd so es seiner Eltern vermogen nicht ist, selb Vater sein, vnd jhm hulff thun, das ehr fundamenta christlicher lehr vnd anderer notiger Kunsten also lerne, das ehr nutzlich zu der lehr dienen moge. Dagegen wird gott die loblich stadt Frankfort, Ewr Erbarkeit vnd die Ewrn des gnediger bewaren, vnd will georgius Gott ernstlich fur sein vatterland anruffen. So bitt ich auch sampt Ewrn christlichen versamlungen, Gott wolle die lobliche stadt Frankfort, Ewr Erbarkeiten vnd die Ewrn alle zeit gnediglich bewaren. Dat. 22. May 1555

Ewr Erbarkeiten

willigter
diener

Philippus Melanthon.

---

393. No. 5811 b. (Vol. VIII. p. 506.) 8. Jul.

Martino Chemnitio.

Haec epistola a Buxmanno edita legitur in Ephemeridibus sub no. 391. indicatis anni 1861. Fasc. IV. p. 623. epist. XI., iterumque edita a Koldewey in iisdem Ephemeridibus anni 1872. Fasc. I. p. 11. epist. 3.

---

1) De hoc viro docto editor in prolegomenis p. 64. plura refert.

Venerando viro, eruditione et virtute praestanti, D. Martino Kemnicio, docenti evangelium in ecclesia Dei in inclyta urbe Brenni[1]), fratri suo carissimo.

S. D. Venerande vir et carissime frater. Meministi vetus illud: Inter bonos bene agier[1]). Fuit igitur mihi curae, ut bona fide tibi pecunia debita mitteretur, sicut promiseram. Schramius[2]) attulit Naoburgum unum et quinquaginta Joachimicos et narrat se civi vestro, a quo tuas literas accepit, tradidisse. Te autem valde oro, ut me cura liberes ac significes, an tibi pecunia illa numerata sit. De Antonio Medico[3]), etsi ipsi migratio ad coelestem ecclesiam gratulanda est, ubi cernet ideam opificii naturae in filio Dei, tamen doleo nos tali collega studiorum orbatos esse. Tuas literas exspecto. Pagellas tibi mitto, in quibus attigi venturi anni significationes in Ariete. Turcica bella metuo. Nam certum est Turcorum tyrannum[4]) ex Asia in Europam rediisse et parare bellum, ut Iohannis filio[5]) tradat patris ditionem. Scito et Matthiam Lauterwalt[6]) mortuum esse in oppido ad Carpathum Eperies. Bene vale et rescribe. Die 8. Julii.

Philippus.

Salutem opto reverendo D. doctori Ioachimo[7]) et collegis.

---

394. No. 5814[b]. (Vol. VIII. p. 508.) (fere med. Jul.)

Eidem.

Hanc epistolam Baxmannus l. l. p. 623 sq. epist. XII. et Koldewey l. l. p. 12. epist. 4. typis describendam curarunt. De tempore, quo scripta sit, Koldewey l. l. p. 19. not. 12. haec refert: „Daß dieser Brief ebenso wie Nr. 2. 3. 5. in den Sommer 1555 gehört, ist nach dem Inhalte unzweifelhaft. Fraglich ist jedoch, ob er vor Nr. 3. [vide epistolam proxime praecedentem no. 393.] oder nachher geschrieben ist. Offenbar ist er die Antwort auf eine Einladung zur Hochzeit. Auch Caspar Peucer und Bugenhagen waren zu der Hochzeit geladen. Da nun die Antwortschreiben derselben

1) Conf. supra p. 374. not. 1. et 2.

2) Koldewey l. l. p. 18. not. 7. putat, hunc esse Christophorum Schramium, bibliopolam Wittebergensem.

3) De hoc Antonio Nigro (s. Nigrino) vide Koldewey l. l. p. 18. not. 8. Mortuus est Brunsvigae d. 5. Junii 1555.

4) Solimanus II.

5) Iohanni Sigismundo, filio Iohannis Zapolyae, regis Hungariae, vid. Koldewey l. l. p. 18. not. 9.

6) De hoc legas, quae Koldewey l. l. p. 19. not. 10. refert.

7) Ioachimo Moerlino, inde ab a. 1553. Superintendenti Brunsvigiae, vide Koldewey l. l. p. 19. not. 11.

vom 10. und 15. Juli datiren, so möchte dieser Brief Melanthons auch in diese Tage zu verlegen sein. Aus diesem Grunde steht er hier hinter dem Briefe vom 8. Juli." Baxmannus autem epistolae tantum haec adscripsit: „Vor dem 19. Aug. 1555."

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Martino Kemnicio, fratri suo carissimo.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Nihil cogitari aut dici maius potest de coniugii foedere, quam hunc verum amorem typum esse amoris in filio Dei erga naturam adsumptam et erga nos surculos ipsi insertos. Huius foederis cogitatione nos consolemur. Oro autem ipsum filium Dei, custodem ecclesiae suae, ut vos omnes protegat et gubernet et faciat, ut coniugium tuum sit faustum et felix. Si potero hinc exspatiari, veniam ad sacrum nuptiale. Libenter enim istuc cognatam tuam, filiam Sabini, adducerem. Interea mitto significationem animi, fausta vobis optans, teque oro, ut sponsae meo nomine hoc munus γαμήλιον exhibeas. De Ioachimicis uno et quinquaginta scribe, an acceperis. Nam Schrammius [1]) ait se dedisse vestro civi. Bene vale.

Philippus.

Socero [2]) et vobis omnibus salutem opto. Sabinus mittitur legatus ad regem Polonicum.

---

395 No. 5826[b]. (Vol. VIII. p. 520.) 19. Aug.

Eidem.

Haec epistola edita est a Baxmanno l. l. p. 624. epist. XIII. et a Koldewey l. l. p. 12 sq. epist. 5.

Venerando viro, eruditione et virtute praestanti, D. Martino Kemnicio, pie docenti evangelium Dei in ecclesia in inclyta urbe Brunsviga, fratri suo carissimo.

S. D. Venerande vir et carissime frater. Hanc epistolam scripsi eo ipso die, quo in sacro coniugali publice vota fecistis et sponsa tibi ad aram copulata est. Quo et mea vota cum vestris coniungo et oro, ut Deus aeternus, pater domini nostri Iesu Christi, conditor generis humani et autor dulcissimi foederis coniugum et castitatis amans, tribuat vobis coniugium felix et faustum. Saepe autem cogitans de coniugali amore, simul cogitato de copulatione duarum naturarum in filio Dei et de ardenti eius amore erga massam humani generis, quam gestat. Accessissem

1) De hoc conf. supra p. 376. not. 2.
2) Vide supra p. 371. not. 4.

ad vos, nisi collegae mei abessent. Meus gener [1]) et Antonius [2]) profecti sunt ad Rhenum. Forsterus [3]) et Paulus [4]) occupati sunt inspectione ecclesiarum vicinarum. Scito Sabinum iter ingressum esse cum ceteris legatis ad regem Polonicum, et recta ad ducem Borussiae proficiscuntur legati. Salutem opto reverendo D. doctori Ioachimo [5]) et collegis et senatori Theodorico [6]) et vobis omnibus. Bene et feliciter vale. Die 19. Augusti.

Philippus.

---

396. No. 5829 [b]. (Vol. VIII. p. 525.) 22. Aug.

Henricus Bullingerus ad Melanchthonem.

Haec epistola, quae in Epist. T. 2. p. 334. loculo C. Arch. Eccl. Tigurinae exstat, per manum Ludovici Lavatheri, amanuensis Bullingeri scripta est. Eam mihi describendam Clar. V. Voegelinus benigne curavit.

Philippo Melanchthoni Henricus Bullingerus.

S. D. Pietati tuae et humanitati confisus, piissime et doctissime Philippe, Domine colendissime et frater carissime, mitto ad te hunc meum filium Heinrychum, et per ipsum Dominum nostrum te obtestor, ut velis illi esse pater, illumque in tuas aedes, in victum et in tutelam tuam recipere. Numerabo tibi, quod aequum fuerit et alii coaequales eius tibi appenderint. Praeterea me tibi tuisque obstringo et omne meum officium vicissim defero. Quod si tibi omnino commodum non fuerit illum in aedes tuas recipere, saltem illi auxilio esse velis, consultorque bonus, ut honestum vel sanctum nanciscatur hospitem, et ut tu interim eius sumas patrocinium. Nemini erit oneri, nemini erit molestus, cum nemine contendet. Sibi, Deo, et literis vivet. Te sequitur, te sibi deligit praeceptorem, et audire cupit: ego cupio, ut pacifice apud vos agere, et bonas pariter ac pias literas discere possit. Deo enim et bonis literis hunc consecravi. Deo et literis si hunc una mecum applicare contenderis, scis, te proemium accepturum a munifico Domino et Deo nostro. Praeterea me et meos tibi tuisque prorsus devincies. De rebus omnibus satis diligenter scribet aliquando dilectissimus frater noster Cal-

---

1) Caspar Peucer, vide Koldewey l. l. p. 19 sq. not. 13.
2) Antonius Walther, prof. philos., vide Koldewey l. l. p. 20. not. 14.
3) De Iohanne Forstero conf. Koldewey l. l. p. 20. not. 15.
4) Paulus Eberus, vide Koldewey l. l. p. 20. not. 16.
5) De Ioachimo Moerlino conf. supra p. 376. not. 7.
6) Theodoricus Preussen (?), vide Koldewey l. l. p. 20 sq. not. 17.

vinus, ea de causa sum brevior, sciens, te multis esse occupatum. Mitto tuae pietati tres sermones Germanicos, quos hoc anno et praeterito edidi, et postremum maxime contra Schuenkfeldianos. Dominus Iesus servet te diu incolumem anima et corpore afflictissimae suae Ecclesiae. Salutant te fratres et symmystae. Tiguri XXII Augusti 1555.

Heinrychus Bullingerus,
Tigurinae Ecclesiae minister, tuus ex animo.

---

397. No. 5829ᵉ. (Vol. VIII. p. 525.) 23. Aug.

Io. Calvinus ad Melanchthonem.

Calvini Epistolae et Responsa. Ed. 3. (Hanoviae 1597. 8°.) p. 394. epist. 210. Eius Operum Ed. Amstelodam. Tom. IX. P. II. p. 100 sq. — In anglicam linguam translata legitur in Letters of John Calvin compiled from the original manuscripts and edited with historical notes by Dr. Jules Bonnet. Vol. III. (Philadelphia. 8°.) p. 219 sq. — In linguam vernaculam versa (extrema parte excepta) exhibetur a Paulo Henry in libro: Das Leben Joh. Calvins Tom. III. P. I. p. 336. not. 1., ubi autem pro 23. Aug. falso adscriptus est „Septbr."

Calvinus Melanchthoni.

Recte quidem et prudenter admones, ornatissime vir, id sibi unum nostros antagonistas proponere, ut se theatro venditent. Quanquam autem sua opinio longe eos, ut spero, et credibile est, frustrabitur: tamen ut totius mundi plausum referant, eo nos maiore studio ad caelestem ἀγωνοθέτην, sub cuius oculis certamus, intentos esse decet. Quid? an sacer Angelorum consessus, qui et suo favore nos excitant, et viam strenue agendi praemonstrant suo exemplo, pigrescere vel cunctanter pedes movere sinet? Quid totus sanctorum patrum chorus? an nullos addet stimulos? Quid porro Dei Ecclesia quae in mundo versatur? quum eam scimus et votis nobiscum pugnare, et exemplo nostro animari, an nihil apud nos valebunt eius suffragia? Meum vero sit hoc theatrum, cuius approbatione contentus, quamvis me totus mundus exsibilet, animo nunquam deficiam: tantum abest, ut insulsis clamatoribus invideam, si mustacea gloriola in obscuro angulo ad breve tempus fruantur. Quid plausibile sit mundo vel odiosum, me non latet. Sed mihi nihil pluris est, quam praescriptam a magistro normam sequi. Nec dubito quin haec ingenuitas piis et sanis gratior tandem futura sit, quam flexibilis et mollis docendi ratio, quae inanem metum prae se ferat. Quod te Deo et Ecclesiae debere agnoscis, obsecro te ut quamprimum solvas. Neque in hanc

rem insisto, quod partem invidiae in te exonerans, tantundem me levatum iri confidam. Quin potius, si liceat, quicquid in te oneris iam incumbit, pro meo in te amore atque observantia, paratus forem in meos humeros suscipere: sed tuum est expendere, ut ego monitor non accedam, nisi dubitatione pios homines qui te respiciunt, mature liberes, te vix unquam solvendo fore. Adde etiam quod nisi serum hoc et vespertinum gallicinium te expergefaciat, pigrum merito omnes clamabunt. Vale praestantissime vir, et mihi ex animo venerande. Christus fidelis suorum custos tibi semper adsit, te regat et tueatur, Amen. D. Camerarium, et si qui praeterea istic sunt amici, meo nomine saluta. Genevae, 10. Calend. Septembr. M. D. LV.

398. No. 5881 b. (Vol. VIII. p. 619.) 29. Nov.

Leonhardo Tuchero.

Haec epistola ex autographo descripta invenitur in Cod. MS. 4°. (fol. 42.) Bibliothecae Seminarii regii theol. Witebergensis, quem Rev. Vir Dr. Schmiederus benigne mecum communicavit.

Dem Eruvesten Erbarn vnd weisen Herrn Leonart Tucher, Pflegern im newen Hospital, In der lobl. Keiserlichen Stadt Noriberg, meinem günstigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum, vnsern Heiland vnd warhafftigen Helffer, vnd ein new fridlich frölich Jar zuvor, Erbarer, Weiser, Fornemer, günstiger Herr,

Ewr. Erbarkeit wissen auß christlichen Verstand, das Göttliche Weisheit selb beedes verkündigt hat, nehmlich, das in disem letzten Alder der Welt grössere Zerrüttungen vnd Vnruh sein werde, Denn zuuor gewesen, das aber gleichwol der allmechtige Son Gottes Jhesus Christus Jhm gewißlich für vnd für, biß zu Vfferweckung aller Menschen auß dem Tod, Ein Ewige Kirchen, durchs Evangelium, vnd nit anderst, samlen will, vnd will dazu Ettliche Regiment gnedigtlich erhalten, vnd hat dabey ernstlich beuolhen, das wir alle, Ein ieder nach seinem Stand, zu Pflanzung rechter Lehr dienen sollen, Darzu Er selb krefftigtlich helffen wirt, Derhalben Gott der löblichen Stadt Noriberg vleis vnd Arbeit In Erhaltung christlicher Lehr vnd guter Zucht gefellig ist, der wolle allezeit E. Erbarkeit, vnd die gantze Stat gnedigtlich bewarn, vnd zur Regierung Hülff thun, Nachdem nu Ein Erbar Stadt den Wolgelarten ehrlichen Mann Magistrum Johannem Bart, Zur Schul-Regierung im Hospital beruffen hatt, vnd Er als Ein gehorsamer Im Vatterland am liebsten dienen will, vnd diesem Bericht zu volgen be-

dacht ist, bitt ich, Ew. Erbarkeit woll Ihr Ihn lassen beuolhen sein, vnd wolle sein Patron vnd Vater sein, Die weil Ehr auch vor dem künfftigen Leiptzcker newen Jars Mark nicht abziehen khan, denn Ehr zu Bestellung der Jungen Knaben, die Ihm beuolhen sein, noch so lang verzichen muß, bitt ich, E. Erbarkeit wollen dieses Verzugs halben Gedult haben, vnd wollen Ihm Ernach in Betrachtung seiner guten Sitten vnd guten Geschicklichkeit auch bey Einem Erbarn Radt vätterliche Fürderung thun, das die Unterhaltung auch gebessert werde, Ich hoffe auch Durch Gottes Gnad, diser Magister Johannes werde mit der Zeit dem Vatterland In Kirchendiensten noch nutzlicher dienen, Der allmechtige Gott, der gewißlich Ihm ein ewige kirchen Im menschlichen Geschlecht samlet, durchs Euangelium, vnd nit anders, wolle die Lobliche Stadt Norimberg vnd E. Erbarkeit vnd die Ewren allezeit genediglich bewaren vnd regirn. Datum 29 Novembris, Anno 1555.

Ewr Erbarkeit

wtlliger
Diener
Philippus Melanthon.

---

399. No. 5904 b. (Vol. VIII. p. 648.) (anno 1555.)

(Iudicium.)

Ex apographo, quod Rev. Superintendenti Fulda debeo.

Philip. Melanthon et Georgius Maior ad quaestionem Domini M. Christoph. Fischeri de ordinatione, et vino residuo in calice post administrationem coenae dominicae.

In Pomerania de publico ritu ordinationis, sicut apud nos servatur, magna contentio orta est. Frederus scripsit: Impositionem manuum in sacerdotio Levitico necessariam fuisse, nunc esse adiaphoron, et omittendam, ne confirmentur Adiaphoristae. Alii sentiunt: Vocationem, Examen, publicationem approbationis, et precationem, res necessarias, et non omittendas esse. Illud verum esse: quod hic ipse gestus impositionis manuum sit res non necessaria, sicut olim in eo ritu hic gestus fuit: Librum Evangelii imponere capiti eius, qui ordinabatur. Sed astutia non est approbanda, quod hoc praetextu totus mos examinis, et approbationis, et precationis tollitur, quia hic gestus non sit necessarius, ut si quis tolleret totum ministerium Evangelii, quia non sit necessaria observatio certi diei. Discernenda sunt ea, quae sunt necessaria et iuris divini, et retinenda sunt: Ut, vocatio, examen, publicatio approbationis, precatio. Et sit candor in talibus disputationibus iudicandis. Edentur acta synodi Pomeraniae.

Nunc de tua quaestione respondeo. Cum illi, qui nunc sunt in ministerio, sunt vocati, et iudicio vocantium approbati, etiamsi non accessit publicus ritus ordinationis, si sunt idonei, h. e. si recte docent, valet eorum ministerium, et non sunt cogendi ad recipiendum publicum ritum ordinationis, ne adducantur ecclesiae in dubitationem de eorum ministerio. Tu modo consideres, qui sint idonei, h. e. qui recte doceant, et non vivant in manifesta turpitudine. Illos vero, qui non recte docent, et quorum mores sunt turpes, necessarium est removeri a ministerio propter hanc ipsam causam, quia non recte docent et turpiter vivunt. Sed cum ecclesiae vestrae iam habeant inspectionem, deinceps nullus admittatur sine examine et publica approbatione. Et hanc fieri decet usitato ritu, qui etiam fuit usitatus apostolis, ut deinceps veteri ecclesiae, imo credo usitatum fuisse inde usque a primis patribus. Et hic ritus sine superstitione servari potest.

De alia quaestione. Nihil dubito asseverare: Nihil habere rationem sacramenti extra usum institutum. Nec Eccius Ratisponae contradicere potuit. Ideo vinum, quod superest, posset tradi aedituo ad domesticum usum, sicut olim existimo panes et vinum copiose ad aram apposita esse. Sed quia non multum vini post communicationem in ecclesiis superesse solet, minus offensionis est, si detur iis, qui iam in communicatione fuerunt, sicut apud nos fit.

Ubi non satis fuit in calice: An sint iteranda verba consecrationis? Si stetit cantharus cum vino in altari, non est necesse repeti verba consecrationis, quia intentio directa est ad totum usum. Si autem aliunde afferretur vinum, vellem repeti totam narrationem Christi: postquam coenavit, accepto calice, cum gratias egisset etc. Et repetitio non est prioris consecrationis improbatio. Nam certe assidue haec verba sumentibus cogitanda sunt, ideo mihi non displicet tota repetitio, etiamsi vinum in cantharo appositum fuit. Iudicentur haec pie et sine cupiditate contendendi et cavillandi. Anno 1555.

ANNO 1556.

400. No. 5918[b]. (Vol. VIII. p. 669.) 25. Jan.

Gasparo a Nydbruck.

Haec epistola exhibetur a Josepho Chmel in hocce libro: *Die Handschriften der k. k. Hofbibliothek in Wien.* (2 *Bde.* *Wien* 1840. 1841. 8°.) Tom. II. p. 235. epist. 6.

(*Inscriptio deest.*)

S. D. Clarissime et Integerrime Domine. Et debeo et habeo Tibi gratiam, quod et benevolentiam erga me Tuam non sinis extingui et saepe eam literis declaras. Ego quia tabellarios ad te certos non saepe habeo, scribo rarius. Sed memoriam virtutis tuae et amorem erga te meum, nulla temporum diuturnitas, aut fortunae mutatio extinguet. Semper enim virtus diligitur. Mitto tibi exiguum libellum, qui et studia nostra, et voluntatem erga Ecclesiam ostendit. Ac Dei beneficio mediocris est Ecclesiarum in his vicinis regionibus tranquillitas et studia doctrinarum in vicinis Academiis mediocria sunt, quae ut Filius Dei λόγος aeternus Patris gubernet et adversus Turciam tyrannidem et contra aliorum barbarorum furores protegat, toto pectore eum oro. Quia profecto Ecclesia Dei non servatur humanis praesidiis, etsi Deus praecipit Imperiis, ut eam regant, sicut scriptum est: Reges erunt Nutritores Tui. Bene vale. Vir optime. Die Conversionis Pauli 1556.

---

401. No. 5946 b. (Vol. VIII. p. 694.) 13. Mart.

Henricus Bullingerus ad Melanchthonem.

Haec epistola invenitur in Epist. T. 2. p. 336 a. loculo C. in Arch. Eccl. Tigur. ex copia per Lud. Lavaterum, Bullingeri amanuensem. Apographon Clar. V. Voegelino debeo.

Clarissimo Viro, D. Philippo Melanchthoni, in celebri Saxonum Schola Vuitenberga pie et fideliter pias et bonas literas docenti, Domino honorando et fratri colendissimo suo.

S. D. Amantissimas et gratissimas mihi literas tuas, doctissime et piissime Philippe, Domine colendissime, et frater honorande atque carissime, accepi, et ago maximas tuae humanitati gratias pro illa tua in me benevolentia. Scripsit praeterea ad me filius meus, quam amanter exceperis, quam paterne tuearis, et ipsi consulas in omnibus. Quo nomine iterum gratias tibi ago, oroque, ut illum docere, admonere et tueri pergas. Efficiam, ne in ingratum contuleris beneficium. Non aliud in votis est, quam ut hic filius meus pius et doctus aliquando ad me redeat, ut patriae prodesse, et Deo in veritate servire possit. Deo ergo et patriae quoque nostrae inservieris, si ipsum diligenter institueris. Doleo, mi Pater, recruduisse pugnam Sacramentariam. Coacti sumus vel inviti quorundam acerbis respondere libellis. Exemplum meae apologiae ad te mitto, carissime

frater. Pugno quidem, sed ita interim, ut offeram pacem, quam mallemus omnes quam bellum. Vera dico coram Domino. Si quid igitur potes, potes autem plurimum, tuam interpone autoritatem ac compesce furores quorundam. Si aliter fieri non potest, quin scribere velint, omittant convitia et criminationes, et agant rationibus piis ac modestis et perspicuis scripturis. Satius multo esset, si mutuum toleraremus, utcunque per omnia convenire non daretur. Noxium est Schisma fratrum. Confirmantur hoc communes hostes nostri et offenduntur graviter infirmiores. Nos quidem, licet inviti pugnemus, tamen causam instam deserere non possumus. Natura abhorreo a contentionibus, pietas interim iubet tueri locum in acie datum a Domino. Tuam ergo, oro, autoritatem interponas, piissime Philippe. Vides nos non impia aut absurda docere. Exhibebit tibi praeterea filius meus summam religionis verae scriptam a me Germanice. Complexus sum in hac omnia dogmata vel potissima fidei nostrae. Non puto, vel te, vel alios pios et modestos viros illum meum laborem improbaturos. Si vero vel tibi, vel aliis piis aliquid displiceat in illis, obsecro, ut liberrime indicetis. Libenter enim piorum iudicia de meis lucubrationibus audio, ut admonitus deinceps sim prudentior. Fratres et Symmystae mei salutant te omnes, et benedictionem imprecantur a Domino. Ama nos frater, tui certe amantissimos. Filium meum rursus ut tuum tuae pietati commendo. Vale aeternum. Tiguri XIII Martii 1556. Laelius te salutat.

Bullingerus tuus.

---

402. No. 5947 b. (Vol. VIII. p. 695.) 16. Mart.

Iohanni Hokelbusch.

Hanc epistolam e Professoria Van de Velde Apparatu Melanchthoniano primum edidit Aug. Scheler in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 8. p. 114. epist. 15.

Den ernvesten und gestrengen Johans Hokelbusch, meinem gunstigen junkheren.

Gottes gnad durch seinen eingebornen son Jhesum Christum, unsern heiland und warhafftigen helffer zuvor. Ernvester gestrenger junkher. Der angezeigte gesell von Hertzberg ist nicht widerumb anher gekomen. Darumb ich ein andern angesprochen des ehrwirdigen herrn Justi Menil son, Timotheum, der die kunfftige woche volgen wirt. Er ist eins frommen vaters son, und ist wol gelart und zuchtig. Gott bewar euer ernvest und die eueren. Datum 16. Martii 1556.

Philippus Melanthon.

403. No. 5953 b. (Vol. VIII. p. 699.) 24. Mart.

Martino Chemnitio.

- Hanc epistolam et subsequentem ediderunt Baxmann in Ephemeridibus: Zeitschrift für die historische Theologie anni 1861. Fasc. IV. p. 624 sq. epist. XIV. et XV. et Koldewey in iisdem Ephemeridibus anni 1872. Fasc. I. p. 13 sq. epist. 6. et 7.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Martino Kemnicio, docenti evangelium in ecclesia Dei in inclyta urbe Brunsviga, fratri suo carissimo.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Scripsit ad me recens vir doctus ex carcere haec verba: *Τὰ ὄντα λαλῶ, οἶδεν ὁ θεός.* Vox angeli mihi audita est. Brevi ruinam videbis regni Pontificii. Etsi hic de praesentibus rebus vaticinatur, tamen, undecunque sunt haec praesagia, novos motus significant. Oro autem filium Dei, dominum nostrum Iesum, ut ecclesiam suam servet, quae variis modis periclitatur. Nos quoque maiore studio coniunctionem nostram tueamur et bona ingenia foveamus. Comperi autem huius Zachariae Becmanni mores honestos et pios esse, et Latine et Graece erudite scribit, et ecclesiae doctrinam amat et recte discit. Cum autem ecclesia vestra sumptus ei praebuerit liberalitate publica hoc biennio, reverenter orat adiici rursus biennii sumptus. Spero eum vobis usui futurum esse, praesertim cum ad eruditionem adiungat singulari cura modestiam. Quaeso, ut eum adiuves apud eos, qui praesunt. De cometa [1]) velim te mihi scribere vestras observationes, pro quibus et nostras mittam. Pingi enim curabimus. Bene et feliciter vale. Die 24. Martii, quo filius Dei ante annos 1522 [2]) in agone suo pro nobis precationem ardentissimam [fecit], quam assidue in arcano consilio aeterni patris repetit.

Philippus.

Mitto pagellas et peto, ut interdum ad nos scribas, nec sinas exstingui in animo tuo memoriam meae amicitiae.

---

404. No. 5964 b. (Vol. VIII. p. 733.) 16. April.

Eidem.

Vide prolegomena praecedentis epistolae.

1) De hoc cometa vid. Koldewey l. l. p. 21. not. 19.

2) H. l. annum 1556. indigitari ostendit Koldewey l. l. p. 21. not. 20.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Martino Kemnicio, docenti evangelium in ecclesia Dei in inclyta urbe Brunsviga, fratri suo carissimo.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Quid potest dulcius esse collatione iudiciorum de doctrinis, de dictis divinis et de mirandis operibus in natura. Quare delectati sumus officio tuo, quod pagellam de cometa misisti, tibique gratiam habemus. Curabit edi picturam meus gener, cuius exempla vobis mittemus. Legimus ante Hussitica bella cometam in Libra accensum esse, quo in loco et hic cometa, qui adhuc ardet, accensus est, et simile iter fuisse. Precamur autem filium Dei, ut mitiget poenas et servet ac gubernet ecclesiae suae reliquias. Nunc et hoc officium a vobis peto, ut medicus Doctor Gervasius significet nobis iudicium suum de fonte vobis vicino, cuius scaturigo scribitur esse ἐν τῇ ὤχρᾳ. Scis fuisse fontem ad Cyrenen, nocte calidissimum, interdiu gelidissimum. Celebratur a Pindaro et aliis multis scriptoribus, ac nomen urbi a fonte factum est. Κὺρ urbs, Ἐνὶ fons. Sed vester fons multo dignior est, qui celebretur. Quare te valde oro, ut descriptiones petas a medicis.[1]) Salutem vobis omnibus opto. Bene vale. Die 16. Aprilis, quo adhuc ardentem cometam vidi ante duas horas, qui iam ab Andromedae humero descendit propius eclipticam.

Philippus.

---

405. No. 5987 b. (Vol. VIII. p. 756.) 19. Maii.

Georgio a Plaunitz.

Hanc epistolam e Professoris Van de Velde Apparatu Melanchthoniano primum divulgavit Aug. Scheler in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 8. p. 121. epist. 27.

Dem edlen, ernvesten und gestrengen Herrn Georgen Edlen von der Plaunitz, meinem gunstigen Herrn.

S. D. Saepe viri excellentis nobilitate, sapientia et virtute, patris tui sermones de republica cogito, in quibus multa de iis rebus quae postea acciderunt, vaticinabatur; quae, si vixisset pater, ipsius consiliis aliqua ex parte mitigata essent. Sed postquam haec sic acciderunt, agnoscamus et causas poenarum et Dei boni-

1) Legantur quae Koldewey ad h. l. annotavit l. l. p. 21. not. 21.

tatem, qui poenas mitigavit. Verissime enim hoc dicimus: misericordiae Domini est quod non consumpti sumus. Cum autem patris erga me benevolentia eximia fuerit, facerem iniuste si non venerarer universam familiam singulari studio. Optarim etiam posse me officiis maioribus declarare meam erga vos et vestros reverentiam. Geneses mitto et oro Deum naturae conditorem, ut vos et vestros servet incolumes et gubernet. Magis nunc consulo, ut in hac tenera aetate filii valetudinem recte regatis, ut vires confirmentur. Mittam epitaphium patris. Nunc mitto exemplum commentarii de Epistola ad Romanos. Bene et foeliciter valete. Die 19. Maii 1556.

Philippus Melanthon.

406. No. 6010[b]. (Vol. VIII. p. 778.) (fere 4 — 7. Jun.)

(*Iudicium de colloquio.*)

Hoc Melanchthonis iudicium cum prolegomenis Seidemannus primum edidit in Niedneri Ephemeridibus Zeitschrift für die historische Theologie anni 1859, Fasc. I. p. 129—135. No. V. In Prolegomenon extrema parte de tempore et loco, quo scriptum sit, haec refert: „Das nachstehend mitgetheilte Bedenken muß — in den Tagen vom 4. bis 7. Juni in Dresden niedergeschrieben sein, vielleicht den Freitag oder Sonnabend 5. oder 6. Juni 1556. Zu vergleichen ist das Bedenken Melanthons vom National-Concilio [Corpus Ref. VIII, 778.], welches gleichzeitig zu sein scheint."

Vom Colloquio, vnd wie die forma des colloquii anzustellen.

Dieweil zu Augsburg Anno 1555 der fried also gemacht, das gleichwohl vff vergleichung soll gearbeitet werden, durch ein General Concilium, oder National, oder durch ein colloquium, Ist die frag ob zu willigen sey, das die sachen Im General oder National concilio gehandelt wirden, oder in einem freuntlichen Colloquio,

Antwort, Das Jamerlich Tridentisch concilium, das der Bepstliche hauff Ein General Concilium nennet, ist ein klar exempel vnd Siegel was derBepstlichen general concilien sind, vnd was sie sprechen vnd decerniren,

Offentlich ist, das zu Trident der grosser teil der Richter selb vngelerte, vnchristliche leut gewesen sind, das auch der Cardinal Polus nicht hat vnterschreiben wollen

Vnd sind der mehrer teil decreta von streitigen sachen diser Zeit, zum teil mit Sophisterey vnd zweiffelhafftigen worten verblendet, zum teil offent-

lich falsch, alß da sie den artikel setzen der mensch soll allezeit In zweifel bleiben, ob ehr zu gottes gnaden sey vnd allegiren daruff auß Ecclesiaste Nemo scit an odio vel amore dignus sit,

Item da sie die lehr von der poenitentia stellen, sprechen sie die Erzelung der sunden sey von Gott gebotten Item die canonica satisfactio die voll lügen ist, sey nottig Item sie ferben die Indulgentien Item sie bestettigen die offentlich abgotterey, die anbetung des vmbgetragen brotts 2c.

So hatt auch dasselbig Concilium den herrn Brentium nicht hören wöllen,

Zu dem allen haben die personen des Concilij kheinen artikel dürffen schliessen one des Bapst bewilligung dem sie alle artikel zuuor haben mussen zu senden, Ehe sie ans licht geben sind;

So wurde auch Ein solch general Concilium niemand voces decisivas lassen, denn allein den Bepstlichen Bischoffen 2c.

So nu ein solch general Concilium werden soltt, ist offentlich das wir recht thun, so wir solches Concilium, das partheisch, vnd offentlich vnsere widersacher sind nicht zu richter oder hendler annemen,

vnd ist davon vnser notturfft Inn des Reichs radt, so davon geredt wird anzuzeigen, vnd offentlich zu protestiren, das wir ein solch concilium recusiren, das auch gewisslich war sey, das es zu Einikeitt nit dienlich sein würde,

Weitter vom National Concilio ist dises zu bedenken, Es wurde der Bapst auch Im National Concilio der hohest president sein, vnd wurden die Bischoff allein wollen voces decisiuas haben, vnd wurden doch one des Bapsts bewilligung nichts willigen oder reformiren,

Dazu ist offentlich das wenig Bischoff In Teutschland gelart sind

Item das sie nicht gelarte gottfurchtige leut bey sich haben, sondern wurden monch vnd theologen von Louen vnd Collen fordern, die nicht allein diser sach kheinen verstand haben, sondern auch bluthund sind, vnd täglich In niederland, frome christliche menschen verbrennen vnd sunst ermorden

Dweil denn ein national concilium auch partheisch vnd offentliche widersacher sind, ist solches national concilium auch nicht alß Richter oder hendler zu leiden

Vnd so concilia general oder national etwas machen vnd decernirn wurden, wolden sie, alß autoritate concilij yhre abgotterey vnd Irthumb bestettigen, welches alles nur zu größer vnrug vrsach geben wurde

Auß disem allem volget, das allein diser weg furzunehmen nemlich ein fruntlich Colloquium, darinn von allen artikeln der Confession, ordenlich vnd fruntlich geredt wurde, durch vorstendige vnd Ehrliche menner, In beysein Ettlicher löblicher fursten beides teils, die alß Presidenten, vnnotig gezenk abschnitten, vnd selb die warheit liebten vnd gottes Ehr, vnd gemeine

Einikeit gern furdern wolden, vnd alß lobliche Fursten, gottes ehr hoher achten, denn des Kaisers oder konigs gunst vnd yhren eignen Ruhm,

Aber von solchem Colloquio ist dieses zu bedenken

Erstlich die Bischoff werden khein Colloquium willigen one des Bapsts bewilligung, viel weniger werden sie etwas Endern one Bepstliche autorität, Nu wirt der Bapst gewißlich khein Colloquium zulassen, auch khein Enderung machen lassen, wirt bey seinem Eigensinn bleiben, mann soll solche sachen an die Concilia gelangen lassen, wirt dises Exempel nicht wollen einreissen lassen, das die Nationes fur sich selb ettwas schliessen ꝛc.

So nu die Bepstlichen khein Colloquium halden wollen, vnd vns das general concilium vnd national vnleidlich ist, mag man die sachen Gott beuehlen, vnd so wir selb in vnsern kirchen vleissig vnd eintrechtig sind, ist besser das wir nicht flickwerk mitt andern machen, denn solche handlungen sind fahrlich, wie wir offt erfahren haben, So ist diese welt voll betrugs, vntrew vnd calumnien.

Auch so es an vnß nicht mangelt vnd wir bereit sind vnd hertzlich gern wolden In allen sachen gruntlichen bericht thun, vnd sie vns nicht hören wollen, sind wir entschuldigt, vnd sollen wir doch allen vleis thun, das die andern vnß horen vnd bericht wirden,

So sind vnser schrifften am tag, vnd wirden fur vnd fur dise hendel durch gottes gnad deutlich erklert, das wir entschuldigt sind, so sie die lehr nicht achten, nicht lesen, nicht hören wollen ꝛc.

So aber ein Colloquium mit den Bepstlichen werden solt Ist hoch nottig das wir zuuor vnter vnß selb, Ein christliche Eintrechtikeit In der lehr, vnd Ein christliche fruntschafft haben,

Vnd dises Colloquium mit den Bepstlichen wirde oder werde nicht, so ist dennoch der warhafftigen ganzen christenheit notturft, das wir bedenken, wo die warhafftige kirche sey, vnd waß sie sey, vnd das sie also mit Eintrechtikeit der lehr vffgericht vnd erhalten wirde, das sie zu gottes Ehre zwischen allen vervolgern, mahometisten, Bepstlichen, Anabaptisten, vnd allerley freuelen landleuffern, seruetisten vnd andern, stehe alß Ein schöne Roß zwischen dornen, vnd erkant werde, das verstendige leut merken das man In disem Einigen teil, die reyne warheit vnd gott suchen soll

Nach solcher Einikeit seufftzen vnd sehnen sich alle gottforchtige In allen landen, viel fromer fursten vnd andre,

Offentlich ist das mahometisten, Bepstliche, Anabaptisten, landleuffer, Seruetisten ꝛc. nicht Gottes kirch sind, vnd ist gewißlich war das in vnserm teil die warhafftige Gottes kirch ist, darinn soll vnd muß Eintrechtikeit der lehr Im fundament seyn, das ist in artikeln des glawbens vnd vnterschied der abgotterey vnd rechten anruffung, obgleich vngleicheit In ceremonien Ist, vnd

In vielen schwacheit, vnd ettliche vngegrunte opiniones In vnnotigen sachen bleiben,

Dennoch musz In Fundamento Einikeit sein, vnd dabey solche tugent, das man die Einikeit nicht zerreissz von wegen vngleicheit der Ceremonien, oder ettlicher swacheit, denn wir sind alle arme Elende menschen, vnd khonnen nicht alle köpff ein kopff sein, Einer hat hohern verstand denn der ander, vnd ist gottes Ernstlich gebot das wir mit einander gedult haben zu gemeiner besserung,

Dweil denn gewißlich war ist, das In vnserm teil, die warhafftige kirche gottes ist, sind wir schuldig zu Einikeit vnter vns zu arbeiten

Vnd so die Presidenten vnd theologi zusamen khomen, wurde notig sein, das wir Erstlich Einikeit vnd fruntschafft vnter vns machten vnd darnach bedechten wie der processz mit den Bepstlichen solte gehalden werden

Wiewol nu ettliche mehr sachen erregt sind, so ist doch der Streit de coena Domini die grossist vneinikeit, vnd werden on zweiffel die frembden leut In Steten, galli, Itali vnd Angli begern das man sie höre

Item ob sie gleich nicht dazu khomen wurden, ist dennoch nott, das wir vns erkleren ob wir die bepstliche meinung halden oder nicht halden, was Sacrament sey vnd wie davon zu reden, darnach werden ettlich streiten de Necessitate Stoica, Item von Osiandri Streit, de Iustitia Essentiali, Item von Frederi streit, ob die offentlich ceremonia ordinationis zu erhalden sey, Item von den Adiaphoris, Item de Inuocatione Mediatoris, Item von den Calumniis des Galli zu Regensburg, der schreibt die vnsern haben die lehr de Poenitentia corrumpirt vnd sagt doch nicht, worinn oder In welchen puncten, Item de absolutione priuata, Item von den propositionibus Bona opera sunt necessaria, Item bona opera sunt necessaria ad salutem vnd were seer gut das wir In den hohen artikeln vnß beplissen gleichlautender Reden Im predigen, Schreiben, In kirchen vnd Schulen, vnd In den vniuersiteten,

Von solchen sachen zu reden Ist hoch nöttig, vnd khann nicht wol Ein solche nutzliche vnd fridliche vnterrede vnter vnß gehalden werden, wo nicht ettliche lobliche christliche fursten personlich vndt ettliche Redtt dabey sind,

Vom Colloquio mit den Bepstlichen.

So nu Eintrechtikeit vnter vns gemacht wirt vnd die vnterrede mit den Bepstlichen anzufahen Ist erstlich zu bedenken das man von artikeln zu artikeln laut der Confession procedir, Item das man nicht andre fremde sachen vnd newe disputationes einfuhren lassz,

vnd der anfang werde von vnß oder von Bepstlichen gemacht, so müssen wir doch Erstlich vrsach anzeigen, warum wir sie beschuldigen, vnd das sie schuld haben am Schismate vnd nicht wir, denn nachdem wir erkant, das vnser

lehr die warheit ist, sind wir schuldig gewesen, die warheit nicht zu vervolgen rc., wie geschrieben ist, wer gottes lesterung redet wider den heilgen geist, dieselbige sund wirt nicht vergeben, vnd ist in diser vorrede anzuzeigen welches die rechte kirche sey, vnd ist zu erzelen welche Irthumb bey den Bepstlichen sind, vnd ernach von der verwolgung zu reden, das sie zu den Irthumben, grawsamkeit vben vnd nicht vffhören, mit morden, verbrennen, vnd dergleichen wüterey.

Daruff werden die Bepstlichen Ihr antwortt thun, vnd von den Irthumben zu reden vrsach geben, vnd Ein Anfang machen.

Wo nu die Bepstlichen vff disem ietzigen Reichßtag zu Regensburg[1]) das Colloquium willigen, ist zu reden, von den presidenten, theologis beider seiten, von zeit vnd statt des Colloquii.

Wer bey den Bepstlichen zu Presidenten zu vermogen khonnen wir noch nicht achten, aber zu versuchen ist, ob Trier, hertzog Albert von Baiern vnd der hertzog von Julich dazu zu vermogen weren, vielleicht wirt der churfurst zu Brandenburg sich vff disem teil zu presidenten gebrauchen lassen

vff vnser seiten, churfursten pfaltz vnd Sachsen, oder von wegen des churfursten pfaltzgrauen, Hertzog Wolfgang hertzog zu Baiern, Der Churfurst zu Sachsen, Item der Jungen hertzogen zu Sachsen Einer, Item Marggraue hans, Item Hertzog zu Wirteberg, Item der Landgraff zu Hessen,

vnd sollden gleichwol ankhomen aller diser fursten vnd Stedt der Confession verwanten furneme predicanten oder theologen Auß der Pfaltz, herwieus Stoll prediger vnd legent zu heidelberg, vnd Alexander, Auß des Churfursten zu Sachsen landen Alexander Alesius, vnd Daniel[2]) pastor zu Dresden, Auß der Jungen hertzogen zu Sachsen land Doctor Sneppius vnd Justus Menius, Aus des Churfursten zu Brandenburg land Doctor Musculus, Auß Marggrauen hansen land Doctor Petrus Pretorius pastor zu Königsberg, Auß Marggraff Georg Friedrichs land Georgius Karg, Auß der Pfalz Zweibrück, Cummanus[3]), Auß Wirteberg, Johannes Brentius vnd Doctor Jacobus Bewrlin, Auß Hessen Hyperius vnd Adam oder Pistorius, Auß Pommern Jacobus Rungius vnd Doctor Magerius, Auß Meckelburg, Dauid Chytreus vnd Tilemannus heshusius, Auß holstein . . . . ., von Manßfelt, Erasmus Sarcerius[4]).

von Stedten, predicanten zu Noriberg, zu Augsburg, Vlm, Straßburg, Frankfort, Meidburg, Brunswig, Lubeck, Hamburg, Bremen, _ _

1) Haec comitia Ratisbonensia medio Julio a. 1556. incepta sunt; conf. Seidemanni proiegomena l. l. p. 129.

2) Daniel Greyser, vide Seidemanni annotat. 8. l. l. p. 134.

3) Culmannus.

4) In autographo h. l. legitur: Sarcirius.

diese alle solten sich vff ieden artikel vnterreden vnter sich, vnd das Sechß auß yhnen oder zehen gewelt wurden, welche Ein gleiche meinung allezeit den Beypstlichen solten furtragen, alß nemlich der pfaltzisch Item Daniel, Doctor Snepp, Brentius, der Hessisch Hyperius, M. Erasmus Sarcerius, der Pomirsch Jacobus Rungius, auß Brunswig Doctor Mörlin[1]) vnd ettlich auß andern Stedten, auß Bremen, Doctor Albertus

Was nu vff ieden artikel verabschiedet wurde, das solt In schrifft gefasset werden, das es ernach die presidenten an alle Reichsstend vff einen Reichßtag bringen khonten, vnd ist nicht nottig, gantze disputationes zu schreiben, wie zu Worms geschehen ist,

De loco et tempore ist nach der presidenten gelegenheit zu bedenken, So Trier vnd Julich presidenten sein wurden, were die Stadt Worms villeicht bequem, die auch den chur vnd fursten diser land bequem were.

---

407. No. 6011 b. (Vol. VIII. p. 779.) 14. Jun.

Gasparo a Nydbruck.

Hanc epistolam Chmel exhibet in eodem libro, quem supra p. 382. ad no. 400 recensui, Tom. II. p. 233 sq. epist. 3.

Philippus Melanthon ad Gasp. a Nydbruck.

S. D. Clarissime et Integerrime vir. Plurimum omnino refert, habere consiliorum rectorem, ut scis illud *σύν τε δύο ἐρχομένων*. Etsi igitur non scribam, cum esses Belgici itineris comes, tamen hanc brevissimam epistolam subito dedi viro illustri Excellenti Nobilitate et virtute Andrae Ungnaden, ut si ad Te veniret, te alloqueretur. Hortatus sum, ut tuam amicitiam expetat et tecum familiariter loquatur *συμβουλῇ Ἱερῷ*. Ideo te oro, ut eum complectaris et consiliis, ubi poteris, iuves. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum *λόγον καὶ εἰκόνα ἀϊδίου πατρὸς*, magni consilii Angelum, ut Te et omnes invocantes ipsum regat et protegat. Bene vale, die 14. Iunii 1556. Lipsiae subito.

---

408. No. 6017 b. (Vol. VIII. p. 785.) 18. Jun.

Iohanni Alberto, Duci Megaloburgensi.

Haec epistola e Professoris Van de Velde Apparatu Melanchthoniano primum edita est ab Aug. Scheler in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 7. p. 98. epist. 2.

---

1) Ioachimus Morlinus.

Illustrissimo principi et domino, domino Iohanni Alberto, duci Megalburgensi, principi vetustae gentis Henetae Sucrini, domino Rostochiae, Stargardiae, etc. domino suo clementissimo.

Scio Celsitudinem vestram suo gravissimo iudicio et doctrinarum studia libenter excitare et eruditis opem ferre, tamen et debeo et habeo C. V. gratiam quod scripsit, etiam propter meas literas maiore studio Tilemanum et virum et artificem dignum laude ornatum esse. Nunc etsi scio has interpellationes debere verecundas esse, tamen de Adamo Sibero qui libros carminum C. V. mittit, cur scribam intelliget C. V., cum aliquid horum carminum legerit. Non dubito Celsitudini vestrae et suavitatem venae et elegantiam ac delectum rerum voluptati fore. Existimo notum esse autorem viro clarissimo Mylio. Diu noster hic Siberus utiliter docuit. Et studia moribus honestis ornat. Est et voluntas eius laudanda, quod eam sciat venam Dei donum esse, celebrat praecipue Deum et Dei dona, bonos principes. Scit autem vetus illud[1]) C. V.: *Τιμὴ δὲ τὰ πρήγματα χρέσσονα*[2]) *ποιεῖ.* Talium scriptorum studia incitanda sunt sapientum principum et testimoniis et munificentia. Quare Celsitudini vestrae hunc Adamum reverenter commendo. An viderit Celsitudo vestra veteris sicli figuram dubitabam. Ideo mitto siclum iusti ponderis videlicet *τετράδραχμον* et habentem inscriptionem et symbola quibus illa sapiens aetas delectata est. Virga Aharon doctrinam significat, calix thuris veram invocationem. Utroque igitur symbolo significatum est in uno hoc populo veri dei sacerdotium, veram doctrinam et veram invocationem esse et has summas res a gubernatoribus tuendas esse et venerandas ab omnibus. Haec cum faciat Celsitudo vestra, sperabam etiam gratiorem hunc nummum fore et eius consideratio multis dictis in historia lucem adfert.

Mitto Celsitudini vestrae pagellas ex quibus cognoscet nobis inferri nova bella de invocatione Mediatoris. Magna contentione pugnat.[3]) Pragae cynicus, cuius nomen est Canusius, [dicit] filium Dei non invocandum esse ut Mediatorem, cum tamen Cyprianus dicat: Interpello te, fili dei, ut pro me apud patrem interpelles; sed de hac controversia editurus sum, ipso filio dei invocante, refutationem cynici deliramenti. Oro autem filium dei dominum nostrum Ihesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum, cu-

---

1) Bionis Idyll. XVI, 2.

2) *χρέσσονα*] sic Bion l. l.; in Serapeo h. l. falso legitur *ἠρειοστονα*.

3) pugnat.] legendum esse videtur: pugnatur.

stodem ecclesiae suae, ut Celsitudinem vestram servet et gubernet. Die 18. iunii 1556.

Celsitudini vestrae addictus

Philippus Melanthon.

Nota. Siclus est nomen ponderis et monetae. Pondus est quatuor drachmarum. Moneta fuit argentea τετράδραχμος. Exodi 30 praecipitur, ut quotannis singuli nati annos viginti penderent tabernaculo dimidium sicli. Inde est disputatio in Evangelio, an Romanis danda sint δίδραχμα quae lex attribuerat templo. Symbolum est in uno latere Virga Aharon quae significat legem seu doctrinam. Et ibi sunt verba inscripta Sancta Ierusalem. In altero latere est Symbolum Calix thuris, qui significat oblationem, id est veram Invocationem. Inscriptio est Siclus Israel.

---

409. No. 6022 b. (Vol. VIII. p. 789.) 30. Jun.

Gasparo Peucero.

Haec epistola legitur apud Chmel in libro supra p. 382 sub no. 400. laudato Tom. II. p. 233. epist. 2.

Philipp. Melanthon ad Gasparum Peucerum.

S. D. Carissime fili. Si Caspar a Nydbruck ad vos intra triduum venerit, dicas, ut recta ad nos Lipsiam accedat, meque in aedibus Camerarii quaerat, ubi etiam si interero examini, tamen indicari ei poterit, ubi quaerendus sim. Si veniet die Iovis, istic me expectet. Nam hoc triduo, Deo iuvante, duas operas absolvemus. Mitto vobis nuces Myristicas, uti iussistis. Deus vos et nos protegat. D. Wolfgangus astabat haec scribenti et flagitat tuum promissum περὶ σήψεως, idem flagitabat filius Ioachimus. Nam pater Cygneam profectus est. Eius reditus V die expectatur. Bene vale. Pridie Calendas Iulii Zinstag 1556.

---

410. No. 6024 b. (Vol. VIII. p. 790.) 4. Jul.

Maximiliano Aemiliano, Regi Boiemiae.

Haec epistola a Chmello e Cod. MS. 10364. Fol. 22. exhibetur l. l. Tom. II. p. 235 sq. epist. 7.

Inclito et Serenissimo Principi ac Domino D. Maximiliano

Aemyliano Regi Boiemiae Archiduci Austriae et Domino suo Clementissimo.

Philippus Melanthon.

S. D. Inclyte et Serenissime Rex, Domine Clementissime. Mirabiliter et colligit et servat Filius Dei Dominus noster Iesus Christus Ecclesiam aeternam inter imperia horribiliter tumultuantia, in hac vita. Et interdum addit Ecclesiae salutares Reges et Principes, ut propagatio doctrinae magis fieri possit. Tales fuerunt David, Salomon, Iosaphat, Ezehias, Iosias, Cyrus, Constantinus, Theodosius et alii quidam. Huic coetui, qui et Deo carus est in tota aeternitate, et salutaris fuit Ecclesiae, ut et Regiam M. Vestram adiungat Filius Dei, toto cum pectore oro. Sic in Psalmo concionatur Deus Regibus: „Et nunc Reges intelligite. Aperite portas Principes vestras." Omnino iam opus est Europae Domino, qui in tantis tenebris Pontificum, de Ecclesiae salute cogitet, et multorum mentes intuentur. Oro autem ipsum Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis, et resuscitatum Custodem Ecclesiae suae, ut M. V. semper gubernet, et protegat, et faciat, ut M. V. sit organum salutare universae Ecclesiae ad posteritatem. Idem veris gemitibus et precibus petere multos pios homines non dubito. Bene et feliciter valeat Celsitudo Vestra. Die 4. Iulii 1556.

---

411. No. 6055b. (Vol. VIII. p. 826.) 24. Aug.

Comiti N.

Huius epistolae apographon a Conrado Ulmero ex autographo Melanchthonis factum et fere decimo anno post auctoris mortem literis ad Bullingerum missis insertum est. Has Conradi literas, quae in Collectione Simleriana Tigurina (S. Msc. 88.) asservantur, mihi describendas Clar. Voegelinus benigne curavit.

Epistola Conradi Ulmeri Schaph. ad Bullingerum.

Venerande in Christo pater.

Cogitanti mihi de Colloquio Theologorum instituto, forte incidit Epistola D. Philippi Melanthonis piae memoriae, praeceptoris mei, ante decennium ad comitem mihi notissimum scripta, in qua haud obscure suam de Eucharistia sententiam et de colloquio spem explicat. Eam tibi, sicut ex autographo descripsi, in praesentia mitto. Verba sunt:

Illustri Domino N. Sapientia et virtute praestanti, Domino suo reverenter colendo.

S. D. Illustris Domine N. Non, si tantum fundere lacrymarum possem, quantum aut Albis noster aut Rhenus undarum voluit, exhauriri meus dolor posset, quem circumfero annos plus viginti, praecipue propter unam controversiam, cuius impeditur explicatio, non propter obscuritatem, sed propter alias caussas. Ceterae controversiae ita diiudicatae sunt, ut quaerentes veritatem, nihil ambigant. Nec obscura est sententia veteris Ecclesiae in illa controversia, de qua inter se adhuc dimicant nostri. Quare scripsi Illustri viro, Domino Laski, sperare me, Principes convocaturos esse conventum docentium. Id si non fiet, tamen privato officio convenire debere multarum Ecclesiarum Doctores, ut moestissimae Ecclesiae Dei vulnera, quantum possunt, sanare studeant. De his ipsis rebus spero me vobiscum coram colloculurum esse. Bene et feliciter valete. Die Bartholomaei 1556.

Philippus Melanthon.

---

412. No. 6064 b. (Vol. VIII. p. 835.) 1. Sept.

Matth. Flacius Illyricus ad Melanchthonem.

Haec epistola, de qua disserunt Christ. Aug. Salig in libro Vollständige Historie der Augspurgischen Confeßion. P. III. p. 226 sq., G. J. Planck in l. Geschichte der Entstehung, der Veränderungen und der Bildung unseres protestantischen Lehrbegriffs. Tom. VI. p. 30 sqq., et Guil. Preger in l. Matthias Flacius Illyricus und seine Zeit. Tom. II. p. 24 sq., nondum edita est, conf. Planck l. l. p. 40. not. 34.: „Der vom 1. Sept. datirte Brief ist noch nicht gedruckt, aber Salig, der ihn unter den Akten dieser Vergleichshandlungen in der Wolfenbüttlischen Bibliothek fand, hat einen Auszug gegeben.“ Saligius l. l. p. 226. not. i. haecce adnotavit: „Epistola Flacii ad Phil. Melanchthonem missa d. 1. Sept. 1556. per quendam Scholasticum Vol. MSto 64. 11. Extr. f. 133. incipit: Cogitanti mihi de impedimentis cet.“ Fortasse continget mihi, ut hanc ineditam epistolam in Appendice huius libri edam. — Melanchthonis epistola, qua illi d. 5. Sept. respondit, exhibetur in Corp. Ref. Vol. VIII. p. 839 sqq.

---

413. No. 6074 b. (Vol. VIII. p. 848.) 17. Sept.

Io. Calvinus ad Melanchthonem.

Hanc epistolam ex autographo, quod in Collectione epistolarum Landeshutiana invenitur, primum edidit Dav. Schulz in Illgenii Ephemeridibus:

Zeitschrift für die historische Theologie anni 1832. Fasc. II. p. 224—226. — In anglicam linguam translata legitur in Letters of John Calvin compiled from the original manuscripts and edited with historical notes by Dr. Jules Bonnet. Vol. III. p. 293 sq. — Media eius pars (Dum hic sum — — quibus cordi est ecclesiae tranquillitas.) germanice versa affertur a Paulo Henry in libro: Das Leben Johann Calvins des großen Reformators. Tom. III. P. II. p. 106.

Clariss. et reverendo viro, D. Philippo Melancthoni, fido ecclesiae doctori, et amico apprime honorando.

S. Huc me traxerunt dissidia, quibus ecclesiolam linguae nostrae, quae hic est, iam toto fere biennio laceravit Satan: ut iam ultimum fere discrimen instaret, nisi quam citissime allatum esset remedium. Ex quo urbem sum ingressus, nulla respirandi data est libertas. Quasi vero parum mihi esset in hac re negotii, insanus quidam Velsius[1]), ad quem bis scripsisti, novis tricis nos implicuit. Sed eius importunitati tantum biduum dedimus: in sedandis illis discordiis, quae diuturnitate temporis altas radices egerunt, assidue adhuc distringor. Itaque brevitati literarum ignosces, quia, dum ad coenam venirem, mihi dictum est, cras mane nuntium discedere. Quamquam de petenda venia minus laboro, quod ex silentio tuo colligo, non adeo abs te meas literas expeti. Et tamen ita persuasus sum non modo de tua aequitate, sed de amore erga me vero . . (*ac*?) sincero, ut officium meum tibi in hac parte iucundum esse nen dubitem. Dum hic sum, ex quibusdam tuis ad amicos literis intellexi, quantopere te excruciet immanis istorum ferocia, qui non sine exitiali ecclesiae iactura rixis et contentionibus pascuntur. Quamvis autem quidam te privatim exerceant, tamen pro tua pietate communibus malis te gravius affici et diutius torqueri arbitror. Ergo ne diutius tanta intemperies impune grassetur, remedium, quod tibi placere gaudeo, mature adhibendum erit. Ac vobis conventus eo magis expetendus est, quo pertinacius eum repudiant, imo quo furiosius ab eo abhorrent. Principum quidem partes erant, illos pertrahere, quia sponte nunquam descendent. Sed dum principes aliis forte rebus nimis occupati cunctantur, alios etiam forte invidiae metus retardat, bene tu et prudenter privatis consiliis instituendum esse colloquium censes: modo cordate, quod scribis, exequamur. Neque vero expectandum est, dum multi se adiungant: sed, ubi signum ostenderis,

1) De hoc Iusto Velsio vide Saligii librum supra p. 396 ad no. 412. laudatum Tom. II. p. 1140 sqq. not. x.

convenient, quibus cordi est ecclesiae tranquillitas. Utinam ad Palatinum venisses, quem bonis sanisque consiliis initio regi, magnopere interfuit. Ac si qua se offerat occasio, praestat sero quam nunquam. Quidquid tamen statueris, rogo te et obtestor, ut me quam primum certiorem facias. Vale, praestantiss. vir et mihi semper ex animo venerande. Dominus te semper virtute sua sustineat, spiritu gubernet, praesidio tueatur. Saluta amicos, si qui isthic sunt.

Francofurti, 17. Septembris 1556.

Ioannes Calvinus tuus.

---

414. No. 6074[b]. (Vol. VIII. p. 848.) 18. Sept.

Ioannes a Lasco ad Melanchthonem.

Ex Epistolis ad Camerarios MSc. in Bibliotheca Cl. Meisteri Pastoris Küsnac. Apographon Clar. Viro Voegelino debeo. — Haec epistola in Collectione epistolarum Ioannis a Lasco, quam Cl. Gerdesius in Scrinio Antiquario edidit, desideratur.

(Inscriptio deest.)

S. In communi nostro dolore satius fore putarem, Vir sanctissime, si nostra vulnera placide et amanter contractemus, quam permittamus callum illis nostro silentio obduci: quod difficiliorem forte postea reddat illorum curationem. Etsi autem dolorem augeat fere quaecunque tandem vulnerum contrectatio: praestat tamen illa curari, et contrectationis dolorem perferre, quam pus in illis alere. Nihil dubito tibi dolere hanc Ecclesiarum dissociationem, mi Philippe (cui enim bono non doleat?), sed quid prodest doluisse, nisi quaeramus remedia? Quare gaudeo abs te proponi remedium: et te testari, quod (etiamsi alii cessent) tuo in hac in parte officio deesse (?) nobis. Assentior autem tibi, nullum esse posse aptius remedium malo huic, quam moderatum aliquod piorum ac doctorum hominum colloquium. Nam de communibus Synodis (ut nunc sunt tempora) cum Nazianzeno plane sentio. Idem sentit et Calvinus, qui hic iam nobis adest, suoque se officio defuturum hic non esse pollicetur. Nec sunt defuturi plures huic negotio, si modo procedat. Sed tuum erit, illud promovere. Hoc est, de loco et tempore colloquii habendi statuere. Nostri quidem optarent, id hic haberi posse propter Helveticas, et illis adiunctas Ecclesias: quibus alibi vix tuta essent itinera, huc vero commodius pertrahi possent. Sed

et locum et tempus tibi statuendum permittimus. Hessum nihil dubito approbaturum esse nostrum hoc consilium, et plerosque alios nobis hic vicinos Comites, quorum non postremus est Erbaccensis Georgius: qui mihi tuas ad se literas transmisit, et ego illi meas vicissim. Palatinus Elector, Vir alioquin bonus, nobis propemodum abreptus est ab iis, qui τὸ πανταχοῦ εἶναι τὸ σῶμα acerrime propugnant. Quod ad me attinet, optarim accelerari posse Colloquium, priusquam me in Patriam conferam. Multum enim ea res Patriae quoque meae prodesse posset. Et posteaquam nuntius meus nondum rediit, vereor ne hanc hiemem adhuc hic haerere cogar. Vale, et oro, ut me de tuo animo facias primo quoque tempore certiorem.

Dominus det nobis Spiritum resipiscentiae (qua parte peccamus,) et impertiat[1]), ut pariter omnes errata nostra agnoscamus, corrigique patiamur. Doctrinae dissidia, per eius gratiam, componamus omnia, et abalienatos aliorum ab aliis animos amice conciliemus. Utque per nos hic omnes aliud non quaeratur, quam gloria Dei, Regni Christi in eius Ecclesia propagatio, et incrementa mutuae inter nos dilectionis ac caritatis Christianae. Amen.

Raptim Francofurti d. XVIII. Sept. 1556.

I. a Lasco
manu propria.

---

415. No. 6086[b]. (Vol. VIII. p. 861.) 1. Oct.

Thomas Blaurerus ad Melanchthonem.

Haec epistola, quam Blaurerus ad Melanchthonem per Onophrium Hurnsiom misit, invenitur in Mscr. Vol. VIII. p. 251a. Tabularii Hottingeri Bibliothecae Carol., in Epist. Mscr. Vol. VIII. p. 103. Bibliothecae Sangalleusis Civicae per amanuensem scripta. Eius apographon Clar. Voegelinus benigne ad me misit.

Thomas Blaurerus D. Ph. Melanchthoni.

S. Nunquam non versatur mihi in oculis vel candor ille in me tuus olim obortus iuventuti meae, vel illud venerandum nomen Philippi nostri, quod gerebamus in labiis commune sodalitio literario eius aetatis, cuius me recordatio etiam nunc oblectat et senescentem iam reficit. Et haec quidem memoria repetens originem crebro solicitat animum renovare consuetudinem meam ad te aliquid subinde scribendi, ne vel oblitus videar tuorum in me

---

1) impertiat,] in autogr. legitur: pars:

longi temporis beneficiorum, vel memor etiam cum ulla animi offensione, quae enim nuper ad te scribebam fortasse non consentanea vestrae Scholae, in Ecclesiarum publicam tranquillitatem, non ut essent adversa tibi, submonebam. Ausus etiam sum poematibus meis testari et declarare velle meum in te studium, quasi id esset officioli aliquid, cum gratias agere debeant Musae, si a doctis vel legantur. Velim igitur tale quid esse Literas meas, quae ad te dantur; nam legi illas abs te volo, ut honori ducant, nec importunius exigunt responsum; tuas enim tametsi avidissime iam diu expecto non tamen provoco ad certamen, sed ut amicas nostrique vicissim memores desidero. Fortasse exilii istius voluntarii mei locum ignoras, qui situs est in Tigurinorum agro solitarius propemodum, et commodus privato iam mihi agriculturae et Sacris Literis dedito, ibique meditor de pace et concordia Electorum Dei, quae si vita superstite absolvantur, sic edam, si tibi ceterisque luminibus non displicuerint. Tuis autem Literis si me ut olim fueris dignatus, ad Bullingerum illas dabis, quem viso interdum, Virum dextrum et valde studiosum tui, cui si multi ex praeclaris essent similes, nulla gravis simultas esset in Christi candidatis, qui nunc mutuo zelo se rodunt capitum doctrinae pietatis summam posthabentes elementariis superstitionibus suis admodum adversis Christi et Mosaicae primori tabulae. Quorum ineptam vehementiam etiam nunc te per servatorem communem, Philippe, rogo, ut mitiges apud eos, qui te venerantur et colunt. Venit mihi nuper in manus Elegidion tuum, quo me olim iubebas memorem tui inspecto pinace, quem dabas, commendare Philippum divinae Christi pietati. Id quo studio fecerim et pergam facere opto, ut sentias, meque mutuis votis ut apud eundem insinues. Vale mi observande et dulcis amice. Datum in fundo meo secus patriam urbem, unde exhausta vindemia revertar ad meos. Calendis Octobris 1556.

Te saluto Ambrosii fratris nomine, Christum praedicantis apud Biennam, quam Bielam vocant.

Thomas Blaurerus tuus.

---

416. No. 6087 b. (Vol. VIII. p. 866.) 5. Oct.

Francisco Dryandro.

Ex Io. Fechtii Historiae ecclesiasticae Seculi XVI. Supplemento (Francofurti et Spirae 1684. 4°.), ubi in Epistolarum theologicarum Parte II. (ab a. 1550. usque ad a. 1560.) p. 59 sq. no. XL. haec epistola legitur.

Viro optimo, D. Francisco Dryandro, Fratri suo carissimo, Augustae vel Argentorati.

S. D. Carissime Frater. Meministi dulcissimam vocem: Circumvallat Angelus Domini timentes eum. Hic Angelus Filius ipse Dei aeterni Patris, et te et tuam domesticam Ecclesiam proteget, et texit hactenus. Saepe aspiciens meas parvas filiolas, et gravidam filiam, cogito, ut vagantibus in Iudaea petulantissimis militibus, Syriacis, Aegyptiis, Arabicis, Parthicis, tamen Deus texit Mariam, sororem eius, et multas forma, sapientia, virtute praestantes, cum praesidia humana nulla haberent; ita et nunc Ecclesiae reliquias in his nostris exiliis et miseriis custodiri, cum quidem his turbulentis temporibus tueri nos leges politicae non possint. Tuas literas avide expecto et flagito. Post Baltici Gorgiae *ἀσέλγειαν καὶ σοφιστομανίαν* nunc senex Italus, Stancarus, novos tumultus excitat. Contendit, Christum tantum humana natura Mediatorem esse, *καὶ ἔχει ἄλλας τινὰς κουφολογίας*. Heri de ipso ad Electorem Marchicum scripsimus. Sed me ab his rixis brevi mors liberabit. Prius tamen colloqui tecum cupio. Et non despero colloquium. Nunc retineor novi belli Saxonici initio, quod adhuc est *Μυομαχία*. Sed metuo maiores motus. Comes Mansfeldensis, Alberti filius, indixit bellum Episcopo Magdeburgensi. Bene vale et rescribe. Die 5. Octobris, Anno 1556.

Philippus.

---

417. No. 6099 b. (Vol. VIII. p. 876.) 18. Oct.

Martino Schellingio, Martini filio.

In Codice MS. Bibliothecae Seminarii regii theologici Witebergensis continetur (fol. 22a—27b) no. 3. Index epistolarum Melanchthonis variis libris insertarum. In hoc fol. 24a no. XI. epist. 101. memoratur hicce liber: Mart. Schellingii parentia de praesentia corporis et sanguinis Christi in eucharistia institutionum libri III. Wittebergae 1576. 8°, in quo pl. B. fol. 1. 2. legitur haec Melanchthonis epistola ad Mart. Schellingium M. filium Witt. die Lucae 1556. data, incipiens a verbis: „Si axiatimabis, fratri dandas". Hunc librum nondum inveni.

---

418. No. 6111 b. (Vol. VIII. p. 894.) 1. Nov.

Henricus Bullingerus ad Melanchthonem.

Haec epistola invenitur in Epist. T. 2. p. 335. loculo C. in Tabulario Ecclesiae Tigurinae ex copia per Ludovicum Lavaterum amanuensem Bullingeri. Apographon Clar. Voegelino debeo.

Ad Philippum Melanchthonem.

S. D. Reverende vir et colende carissimeque frater Grati simae mihi fuerunt literae tuae[1]); cum quod ex animo te diliga et magni te merito faciam, et ea de causa non possint non cari sima mihi esse tua omnia, tum quod intelligo, quantopere dilig filium meum Heinrychum, quem modis omnibus iuvare satagns[2] Praedicant hoc sane de tua humanitate filii mei ad me litera praedicat id ipsum plenissime egregius iuvenis magister Collin Proinde gratias, quas possum maximas tuae pietati ago, et cu tantum beneficium rependere non possim, Deum Patrem omniu bonorum remuneratorem ex animo oro, ut tibi et familiae tu benedicat. Si quid tamen mea mediocritas unquam mereri poter et me ipsum et omnia mea tibi et tuis offero. Ac tuam pietate obsecro, ut digneris porro filii mei pater esse ipsumque fidelit instituere, ut non tam doctus, quam integris moribus et modest aliquando in patriam redeat. Cum autem intelligam, illi gradu non posse obtingere (quod et te suspicari video) absque molesti et calumniis multorum, malo illum sine gradu doctum, tuo imp mis aliorumque doctorum virorum testimoniis ornatum, ad nos r dire. Tanti hoc fecero, quanti totius Scholae (licet hanc mag faciam) testimonium. Proinde vix credas, quantum in animo m dolorem tui moerores excitarint, ex quorundam male gratoru pravis concepti[3]) studiis. Dominus compescat bellaces illas me tes, prohibeatque, ne in senio eiiciaris in exilium, satius tam fuerit eiici in exilium, quam tantillum cedere veritatem Chris adulterantibus. Moses, insignis Dei servus, potius elegit mult affici simul cum populo Dei, quam temporariis peccati commod frui, maiores arbitratus divitias, probrum Christi, quam Aegypti rum thesauros. Ac scimus in exiliis, nec Mosi, nec Patriarchi nec Prophetis, nec ipsi Domino nostro defuisse quicquam. Nih et ego optarem magis, quam videre te, et colloqui tecum suav ter. Dominum Iesum Christum oro, ut, quod salubre est suae E clesiae, fiat. — Damnamus hic modis omnibus Cynici illius Pr gensis[4]), falso Iesuitae dicti, dogma impiissimum, Christum Iesu nunc non esse intercessorem in coelis. Credimus, et mordicus r tinemus, quod nos, hac in re, dilectus Domino Apostolus Ioann

---

1) Has literas d. 16. Sept. datas vide in Corp. Ref. Vol. VIII. p. 817 s

2) satagas] sic pro: satagis?

3) concepti] sic scripsi; apographon mendose: conceptis.

4) Simlerus adnotavit: Canisii.

docuit in sua canonica prima, capite secundo. Neque aspernando arbitramur, quae S. Aurelius Augustinus in ea verba scripsit. Placent denique, et probamus, quae tu ex Scripturis, ex Cypriano et Eusebio consignasti in chartam, pro qua tibi maximas ago gratias. Oremus sedulo Dominum, ut is pacificare et conservare dignetur Ecclesiam, quam suo sanguine redemit, et sibi ceu peculium consecravit. Commendat se tibi clarissimus vir D. Petrus Martyr tui amantissimus. Salutat te D. Laelius, cuius parens hac aestate mortuus est. Salutant te amicissime D. Theodorus Bibliander, tres mei generi, Zwinglius, Lavatherus et Simlerus, Gualtherus item affinis, D. Collinus senior et reliqui fratres et Symmystae. Ardet Italia bellis a Pontifice excitatis. His se implicat Rex Galliarum. Distracta est tota Italia factionibus, ut magnae hinc sint calamitates metuendae. Dominus Iesus proturbet tandem truculentam hanc bestiam e sede pestilentiae, et colligat dispersas suas oviculas. Vale aeternum, vir reverende, et frater carissime. Dominus benedicat tibi, et familiae tuae.

Tiguri prima Novembris 1556.

Bullingerus tuus ex
animo totus.

---

419. No. 6132 b. (Vol. VIII. p. 921.) die brumae.

Ioanni Gudeno.

Hanc Melanchthonis epistolam primum editam in J. D. Koehleri libro: Die besonderen Verdienste Herrn Christophs von Steinberg (Göttingen 1743. 4°) p. 14. denuo Frid. Koldewey recudendam curavit in Ephemeridibus Zeitschrift für die historische Theologie anni 1872. Fasc. IV. no. XIII. p. 542—545. addita longiore annotatione, in qua de Joh. Gudeno et Christophoro a Steinberg disserit.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti D. Iohanni Gudeno, docenti Evangelium in inclyta urbe Brunsviga, fratri suo colendo.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Ut vestra interpretatio[1]) quam primum prelis nostrorum commendetur, non solum vobis, sed multo magis ipsis typographis et iis, qui sumptus prae-

1) Lutheri in Genesin commentarii latine scripti prior pars a Basilio Fabro, altera a Gudeno in vernaculam linguam translata. Hoc opus fere exeunte anno 1558. primum prodiit.

bent,[1]) prodesset. Ac scripsi nuper ad nobilem virum et virtute praestantem *Christophorum Steinbergium* me allocutum esse eos, qui sumptus praebent. Nunc quoque praesente tuo filio eos allocutus sum. Respondent se tradituros prelis vestras lucubrationes statim post mercatum Lipsicum, ac vellent de munere vobis dando coram cum utroque aut altero colloqui. Ego pacisci cum eis non soleo. Operas quantum possum adiuvo et adhortor, ut rationem habeant laborum, quos sustinent autores lucubrationum, quo in genere profecto aliqui ex nostris mediocriter officiosi sunt. Sed temporum miserias videtis. Ero tamen hortator, ut pietatis significationem ostendant.

Filio tuo, Deo iuvante, quam primum erit occasio, trademus locum docendi. Bene vale. Die brumae 1556.

Philippus Melanthon.

---

420. No. 6133 b. (Vol. VIII. p. 922.) 12. Dec.

Balthasaro a Zaschwitz.

Haec epistola exhibetur in Clar. Viri Emilii Friedbergi libello: *Aus der protestantischen Eherechtspflege des sechszehnten Jahrhunderts. Mit ungedruckten Briefen und Bedenken Melanchthons.* [*Besonderer Abdruck aus der Zeitschrift für Kirchenrecht. Jahrg. IV.*] (*Tübingen* 1864. 8.) p. 6 sq.

Dem Edlen Ernuesten und gestrengen Balthasar von Zaschwitz meynen gunstigen Junkern ꝛc.

Gottes gnade durch seynen eingebornen Sohn Jesum Christum unsern heylandt und wahrhafttigenn helfer und eyn kunfftiges newe frolich jar, Edler, ehrnuester und gestrenger Jungker, Ew. Ehrueste weiß, das ich vor dieser Zeitt dieses alleyn alß eyn geringes erinnertt habe, das die Ehe nicht soll getrennett werdenn, so gleub ich auch, das die Trennung in keynem wege vorgenommen wirtt, was aber die straf belanget, ist mein vorbitt vorgeblich, darumb ich den Wolgebornen und Edlen Grauen und Herrn, Grauen Heynrychen, Grauen zu Stolbergk ꝛc. geschrieben habe, das man durch herren, alß durch den durchlauchtigen, Hochgebornen Fürsten, Fürst Wolfgang zu Anhalt oder andere Fürsten und Grauen bitten sollt; weitter geburtt nichts zu

---

1) In privilegio d. d. 3. Aug. 1558. huic interpretationi praefixo nominantur Barthel Voget, Conrad Rhüel et Christoph Schram.

thun, Der Allmechtige Gott wolle die sach zu gutten ende bringenn, und Ew. Ehrnest bewahrenn.

dat. 12. December 1556.

E. Ehrnest williger

Philippus Melanthon.

---

421. No. 6133 c. (Vol. VIII. p. 922.) 13. Dec.

Ioanni Sturmio.

Hanc epistolam ex apographo Seculi XVII. primum edidit Rev. Vir Car. Schmidt in Niedoeri Ephemeridibus: Zeitschrift für die historische Theologie anni 1846. Fasc. III. p. 440 sq. epist. 12.

Phil. Melanth. Ioanni Sturmio.

Etsi seni cum coniuge et filiabus orbatis matre filia mea, procul proficisci aerumnosum est, tamen ego quidem si ad vos accederem, non iudicarem me in exilium ire. Quid enim mihi dulcius esset, praesertim in hac senecta, quam in illo pulcherrimo coetu[1]) tot virorum praestantium sapientia, eruditione, virtute, luce divina, quotidie audire sermones gravissimos, et vere γηράσκειν πολλοῖς διδασκόμενον? Quare gratias vobis omnibus habeo, qui me ad vos accersitis. Etsi autem quotidie exilium expecto, tamen nunc quidem iudicii expectatione retineor. Principes quidam, postquam audiverunt me publico scripto refutaturum esse Flacianas calumnias, ostenderunt se dirempturos esse hanc litem; διαιτητὴς est Anhaltinus senior. Meministi me olim scribere impendere mihi Theraminis fatum qui a collegis interfectus est. Etsi . . . [2]) multa vetera exempla cogito, tamen domesticum Capnionis mihi magis in conspectu est. Si talis erit huius concilii exitus, ut discedere cogar, bene mecum agi cogitabo. Si quid accidat durius, oro Filium Dei, ut me gubernet et protegat. Hac in re nunc et hoc incommodum accidit, quod ***Camerarius*** et meus gener ***Peucerus*** absunt expatiatum Noribergam; sed spero redituros ante diem iudicii. Cum ergo me his compedibus retineri intelligatis, alium quaeretis lectorem theologum; nec puto apud vos esse[3]) alios magis idoneos quam ego sum. Qui mei la-

---

1) scil. Colloquii Wormatiensis.

2) Vox h. l. in apographo scripta ab editore legi non potuit.

3) esse] Schmidt suspicatur pro eo esse legendum: non esse.

bores, quae voluntas fuerit in explicatione multarum controversia rum, quas ex magna caligine et confusione, Deo iuvante, non sin periculis evolvi, tibi et aliis multis doctis viris iudicandum re linquo, ac Dei beneficio tranquillo animo sum, conscientiae mea testimonio et vestris iudiciis confirmatus. Et Filium Dei oro u me regat, et Ecclesiam sibi apud omnes colligat ubi est studiu veritatis. Hunc tabellarium meo sumptu ad vos misi, et quia ant scripsi me missurum esse, et quia vobis notas esse meas aer mnas tanquam synceris amicis volui. Bene vale et rescribe. Di Luciae 1556.

ANNO 1557.

422. No. 6143ᵇ. (Vol. IX. p. 5.) 1. Ja

Christophoro Iulio.

Hanc epistolam e Professoris Van de Velde Apparatu Melanchthonia primum edidit Aug. Scheler in Naumanni Serapeo anni 1867. No. p. 115. epist. 16.

Clarissimo viro, sapientia, eruditione et virtute praestanti Do mino Christophoro Iulio, doctori iuris, patrono suo colendo.

Extat apud Clementem Alexandrinum vetus iustitiae definiti et dulcissima, si recte intelligatur. Iustitia est societas, qua s Deus nobis communicat et est aequalitatis conservatio; *δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεοῦ μετὰ ἰσότητος*. Duas iustitiae partes con plectitur; alteram quae est lux, qua Deus et agnoscitur et se nobis communicat, alteram vero quae est ordinatae aequalitatis i ter homines conservatio. Utramque autem cum et intelligas habeas, non dubitavi ad te scribere de causa iusta amici Nost viri docti, qui et studiis doctrinarum utiliter servit et multoru virorum opitulatur, Viti Winshemii Doctoris Medici. Debetur annua pensio iusta emptione constituta vivo bono principe ma chione Georgio in praefectura Hohenek in pago Lenkersheim. E praefectura cum postea pervenerit ad Marchionem Albertum, bel impedita est pensionis numeratio, qua quidem praecipue alen fuerat mater D. Viti in ultima senecta. Etsi magnis detriment adfecta est respublica vestra, tamen ut initio necessariae defensi nis causa iusta arma sumpsistis, ita nunc quoque post bellu

scimus vos non velle populum ex iustis possessionibus excuti, sed velle belli finem esse pacem et supplicum conservationem. Orat igitur doctor Vitus, ut amplissimi senatus Noribergensis sententia perficiatur, ut rursus sibi debita pensio numeretur. Eamque rem ut consilio et autoritate tua . . . . valde Te oramus. Causa iusta est et Deo grata et . . . haec pietas reddere pensionem, ut et vidua mater ali et filii procedere in doctrinarum studiis possint. Haec officia te virum eruditum et iustum libenter adiuvare non dubito. Bene et feliciter vale. Cal. Ianuarii anni 1557, qui utinam faustus et foelix sit ecclesiis et earum hospitiis et Tibi et tuis.

Philippus Melanthon.

---

423. No. 6165 b. (Vol. IX. p. 35.) 21. Jan.

Franc. Hotomannus ad Melanchthonem.

Ex hocce libro: J. F. A. Gillet, Crato von Crafftheim und seine Freunde (2 Theile. Frankfurt a. M. 1860, 1861. 8°) P. II. p. 466 sq. No. 10. ex apographo.

Clarissimo viro, venerando Parenti meo, Dno Philippo Melanchthoni Witebergae
Franc. Hottomannus S. D.

Venerande Pater, Gratiam tibi pro singulari tuo in me beneficio habeo, quantam possum maximam, habebo quoque dum vivam Vix dici potest, quantam voluptatem mihi testimonium hoc de familia nostra tuum attulerit. Quod si spes, quam de tuo adventu mirificam omnes concepimus, nos fallat, non diffido, quin aliquando istuc sim, tum tui salutandi tum Otmannorum nostrorum visendorum caussa, excursurus. Si qui tamen literati essent et verae religionis cultores, ad eos ego lubenter, si mihi autor esses, scriberem interea quasique aditum ad eorum amicitiam tentarem. Quanquam ut ad nos venias, quod ardentibus votis expectamus, quum ex te plura de iis audiero et ex clariss. praestantissimoque viro, genero tuo, quem tecum exoptamus, nomina sedemque primariorum cognovero, vix tamen teneri potero, quin ad illos evolem. Bartholomaeum tuum commendationibus onustum una cum comitibus suis in viam deduxi eique Gallum utriusque linguae peritum comitem adiunxi. Eum tamen antea monui, scriptum mihi Lutetia fuisse, Regio edicto sancitum, ut peregrini omnes e regno intra certos dies demigra-

rent. Tanta foederis istius quinquennis fuit constantia. Verum sanire illos sinamus, dum spartam, quam Dei beneficio nacti sun tueamur. Mi praestantissime et charissime Pater, intelligo, te ris modis ab istis χρεωφάγοις vexari. Vindica te, quaeso, tan aliquando in libertatem et hunc postremum aetatis tuae divin exactae actum omnium efficito praestantissimum. Habiturus es in civitate Senatum omnium clementissimum et liberalissimum, legas et scholasticos tui observantissimos. Enitere quaeso, tandem istis tragoediis finis aliquis imponatur, quae tam mis Helveticas et Germanicas ecclesias disiungunt. Auctoritas a Principes nominis tui permagna est; in te uno secundum De posita haec spes est. Incumbe igitur in hoc negotium, ut facis priusquam ad patris coelestis complexum conscendas, hoc illi offic praestato. nihil in istiusmodi hominibus aeque mihi displicet, qu quod universam suam religionem hac sola in re collocant. Diss tiat aliquis, quamvis integre et sancte partes omnes caeteras r gionis colat, anathema est. Contra, qui consentiat, omnibus e flagitiis connivetur. Genevensis ecclesiola, unde innumeri qu die martyres in Gallia nascuntur, pro exsecrabili sentina nume tur. Quod ego, nisi verissimum vel nuper magno in negotio ploratum habuissem, non scriberem. Sed hic dolor meum anim exulcerat. nam multis in locis Galliae nocturni piorum conven seminaria martyrum redundantia, disciplinam ex illa ecclesi suam hauserunt. Te igitur, venerande et observande pater, sanguinem D^ni nostri Iesu Christi, cui tu tam diu fideliter ac f titer inserviisti, obsecro atque obtestor, ut his malis remedium quod primo quoque tempore, quoad poteris, adhibeas et eam vi quam puto esse compendiariam, te scilicet in libertatem vindicar ineas. Mi colendissime ac venerande pater, vale meque tuis precibus commendatum habeto. Uxor et filioli duo tuam Ampli dinem reverenter salutant. Si verum est, quod illa suspicat spero me non modo in te patrem, verum etiam compatrem he turum. Iterum vale et salve cum excellentissimo domino, gen tuo, atque universa familia. Argentorati. XII. Cal. Febr. 1557.

---

424. No. 6233^b. (Vol. IX. p. 143.) 20. April

Balthasaro a Zaschwitz.

Hanc epistolam ex autographo primum edidit Clar. Friedberg in lib supra p. 404. no. 420. recensito p. 7 sq.

Ew. Edlen Ernuesten und gestrengen Balthasar von Zaswitz, meinen gunstigen Junkherrn, zu eignen handen.

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum unsern Heiland und warhafftigen helffer, der ihm gewißlich Ein Ewige Kirchen im menschlichen geschlecht, durchs Euangelium und nicht anders, samlet, zu vor, Edler, Ernester gestrenger Junkher, Ewer Erenuest gesante schrifft hab ich gelesen, und ist mein Einfeltig und treues bedenken dieses,

Erstlich das Ewer Erenuest sich zur straff erbeut, wie solches in Ewer Erenuest schriffte gemelt ist,

Darnach das gleichwol unterthäniglich gebeten worden, das unser gnedigster herr rc. wolle gnedigiich den kunfftigen kindern zu Ehren, Ein Dispensatio willigen, die s. c. f. g.[1]) mochte mit radt anderer auch verstendigen stellen lassen, denn ich auch in dieser meinung binn, das s. c. f. g. dieses, nach der Ehestifftung thun mogen, und das solches dem gewissen zu trost und den kindern zu Ehren zu thun sey, also auch das s. c. f. g. in betrachtung der personen gewissen, und Ehren, in solchem sich gnediglich erzeigen werde.

Aber das Ew. Ernest die gestalte disputacio wider die landordnung[2]) einlegen, dieses achte ich fur unfruchtbar, und mochte die sach dadurch weitleufftiger werden und hatt ein schein, alß woll man ein loch machen in die landordnung, sondern ist viel bequemer, das Ewer Ernester Bitt, unser gnädigster Herr, wolle selb gnädiglich bedenken und bedenken lassen, was von der dispensacion unterthäniglich gesucht wirt, denn Ewer gewissen, und Ehren sey daran gelegen, dises alles zeig ich Ewer Ernefte treuer wolmeinung an, und stelle es in Ewer Erenuest und ander den Ewer Erenuest vertrauen weiters bedenken, hab auch nicht schewe das diese schrifft andern verstendigen furbracht werde,

Und wollen Ew. Ernueste ihr gewissen nicht betruben, sondern Ew. Erenueste, und Ew. Erenueste Edle und tugendsame hausfrawe wollen in frohlichen gewissen semptlich Gott anruffen, der allmechtige Ewige Gottes Son Jhesus Christus, der gewißlich ihm eine ewige kirchen durchs Euangelium samlet, wolle Ew. Erenuest und Ew. Erenueste Edle tugendsame hausfrawe an seel und leib sterken, datum 20. Aprilis 1557.

Ew. Erenuest
willliger
Philippus Melanthon.

1) i. e. Seine Churfürstlichen Gnaden.

2) Friedberg ad h. l. haec adnotavit: „*Vom Jahre 1557. datiren auch die Sächs. Generalartikel. Richter Kirchenordnung 2, 178., nach welchen die hier vorliegende Affinität allerdings zu den verbotenen Graden gehört.*

425. No. 6254[b]. (Vol. IX. p. 159.) 24. Maii.

Martino Chemnitio.

Hanc epistolam Baxmann ex apographo Bibliothecae Seminarii Witebergensis in Ephemeridibus: Zeitschrift für die historische Theologie anni 1861. Fasc. IV. p. 625 sq. epist. XVI. et Koldewey ex autographo Bibliothecae Guelferbytanae in iisdem Ephemeridibus anni 1872. Fasc. I. p. 15. epist. 8. ediderunt.

Venerando viro, eruditione et virtute praestanti, D. Martino Kemnicio, docenti evangelium in ecclesia Dei in inclyta urbe Brunsviga, fratri suo carissimo.

S. D. Venerande vir et carissime frater. Sum pater nec omnino ferreus nec ἄστοργος. Ideo cum sciam, quali dolore adficiantur parentes, etiam tua causa doleo. Non enim dubito, quin magnum vulnus fecerit tibi mors filioli[1]). Ac plus millies cogitavi στοργὰς nobis insitas esse, ut sint commonefactrices de aeterni patris στοργῇ erga filium et erga nos. Profecto enim ingens amor est, cum noster sit illius velut ἀντίτυπον. Sed teneamus hanc consolationem veram: Non est voluntas patris, ut pereat unus de parvulis istis. Cumque fontes verarum consolationum tibi noti sint, scribo brevius. Oro autem filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, ut te et nos omnes gubernet. De aliis rebus in hoc tuo luctu scribere nolui. Bene vale. 24. Maii.

Philippus.

---

426. No. 6261[b]. (Vol. IX. p. 165.) 1. Iun.

(*Commendatio.*)

Hanc commendationem ex Gutberti Hugonis apographo, quod in tabulario magniducali Suerini asservatur, primum divulgavit G. C. F. Lisch in Annalibus ab ipso editis: Jahrbücher des Vereins für meklenburgische Geschichte und Alterthumskunde. V. Jahrg. (Schwerin 1840. 8°) p. 250. Nr. 14.

Exemplum literarum, quas D. Philippus Melanthon G. Hugonio Anglo commendatitias dedit.

S. D. Omnibus lecturis has literas. Ante biennium ex Anglia discessit hic Gutbertus Hugonius, patriam deserens, ne aut socius fieret crudelissimae defensionis horribilium idolorum, aut raperetur ipse ad atrocissima supplicia. Postea diu inter alios exules ho-

---

1) Hic filiolus Martinus a. 1556 d. 28. Maii natus, 1557. d. 9. Maii mortuus est, cum per octiduum epilepsia laborasset, vide Koldewey l. l. p. 22. not. 22.

nestos et doctos viros apud nos vixit. Et cum sit eruditus, multa legit, audivit alios, disseruit etiam nobiscum de multis doctrinae partibus. Et mores vidimus esse honestos ac pios. Iudico igitur, hunc Hugonium honestum virum esse et recte invocantem Deum, nec vagari, ut aliis insidietur, sicut nunc multi impostores et stelliones vagantur, sed vere esse comitem exiliorum ecclesiae, quae ex multis regnis crudeliter nunc eiicitur. Oro igitur omnes honestos homines, qui adficiuntur dolore, propter ingentes calamitates ecclesiae, ut praestent huic Hugonio hospitalia officia et ostendant se, ubi possint, libenter fovere membra Christi. Ante paucos annos vir nobilis Schullenburgius, auditor noster, captus a Turcis, cum propter vulnus et famem procedere non posset, a militibus turcicis in proximum tentorium in via introducitur. Ibi tentorii dominus, qui ductor fuerat copiarum, cum videt adolescentem liberali specie, vulnus (infusis remediis) obligat sua manu. Postea et panem et butyrum praebet ac vinum. Simulque gemens ac attollens oculos in coelum, dixit lingua Heneta, quae huic nostro auditori nota est: O Deus miserere populi tui. Inde iudicabat adolescens eum virum Christianum esse. Orat igitur et ipse eadem lingua, ut se commendaret custodibus. Quod ille fecit. Cum igitur et turcica castra habeant exempla misericordiae, quanto magis nos decet, membris Christi lenire calamitates, cum quidem sciamus hac de re et mandata Dei et promissiones. Datae Cal. Iunii anno 1557.

Philippus Mel.
manu propria.

---

427. No. 6264 b. (Vol. IX. p. 167.) 13. Iun.

Senatui Francofordiensi.

Hanc epistolam ex duobus apographis Seculi XVI. latinis, in quorum fine legitur: „Scriptum 13. die Iunii", edidit Rev. Vir Car. Schmidt in Niedneri Ephemeridibus: Zeitschrift für die historische Theologie anni 1846. Fasc. III. p. 441. epist. 13. — Bretschneiderus eam germanice exhibet in Corp. Ref. IX. p. 179 sq. No. 6279. ex Pezelii libro: Melanthons Christliche Berathschlagungen vnnd Bedencken (Newstadt an der Hardt, 1600. 8°) p. 490—492, ubi in fine legitur: „13. die Iulii."

Philippus Melanthon ad Senatum Francofordiensem.

Si Gallica et Anglica Ecclesiae quae in urbe vestra sunt, foverent errores ***Serveti*** aut ***Thammeri***, vel alias blasphemias contra symbola fidei nostrae, aut anabaptisticum quid sentirent contra

baptismum, magistratumve et similia: tunc suaderem ego et severus hortator essem, ut quamprimum ex urbe expellerentur. Nam ad magistratum civilem pertinet blasphemiis et tumultibus huiusmodi obviam ire et delinquentes punire. Verum scio utramque Ecclesiam de omnibus articulis symboli catholici pure sentire, atque ab omni anabaptistico errore alienos esse; et quod amplius est, audio ipsos confessioni nostrae, quam Repetitionem confessionis exhibendae Tridentinae synodo vocamus, in omnibus capitulis adstipulari eamque amplecti, nisi quod in unico tantum verbo ***substantialiter*** sub titulo coenae Domini haereant ac quodammodo a nobis discrepent. Quapropter suadeo et rogo ne eiiciantur. Idem suasi et petii a senatu Vesaliensi. Nam licet aliquid hic sit controversiae, christianum tamen est et pium, ipsos prius instrui ac doceri, quam in exilium mittantur. Ipsos quoque audio id ipsum petere, et, ut ex aliis locis, civitatibus ac ditionibus, quae a piis regantur principibus, docti ac pii viri ad hoc negotium convocentur. Manifestum etiam est, in hac causa colloquium et disputationem esse necessariam. Homines enim nostri obscuris et peregrinis circa eam rem verbis utuntur. Necesse est igitur, ut ii, qui rebuspublicis praesunt, in id invigilent atque elaborent, ut syncera et uniformis ratio in declaratione coenae Domini tradatur. Constat etiam nonnullos principes in hoc nunc occupatos esse, ut christianus fiat principum et doctorum conventus et colloquium. Id licet brevi nec ne fiat, necesse tamen est semel quandoque fiat. Haec enim causa non in uno tantum loco, sed pluribus civitatibus ac regionibus controversa est. Ea propter, patres conscripti, rogo vos et obsecro per Deum immortalem, ut patienter homines illos peregrinos feratis, donec audiantur, aut donec alii principes et civitates de hoc ipso inter se conveniant. Quod si inquisitio fiat in alios civitatum incolas, quae quaeso turbae et incommoda passim sunt inde extitura! Spero autem, si viri docti ac pii convocabuntur, eos facillime hunc, atque omnes alios articulos, de quibus controversia est, compositeros. Etsi enim nunquam desint homines rixarum et turbarum amantes, extant tamen semper aliqui, qui si bene doceantur, pietatem ac veram religionem ament, sequantur ac revereantur. Multi sunt, qui elevationem atque adorationem approbant; alii eam non admittunt. Haec diversitas multas gignit controversias, ita ut altera pars difficulter ferat adorationem. Quamobrem necesse est rem declarari. Scriptum 13. die Iunii anno 1557.

428. No. 6267 b. (Vol. IX. p. 169.) 18. Iun.

Christianus III. Rex Daniae ad Melanchthonem.

Ex Erichii Pontoppidani libro: Annales Ecclesiae Danicae diplomatici Oder . . . Kirchen-Historie des Reichs Dännemarck. Thl. III. (Kopenhagen, 1747. 4°) p. 350—352.

Christian der Dritte von Gottes Gnaden, König zu Dännemarck ꝛc. Wir haben zwey euer Schreiben kurtz hinter einander empfangen und eure Meinung der hoch beschwehrlichen Irrunge, als des heilsamen Sacraments des Altars und Blutes unsers Heylandes und Erlösers Jesu Christi halben, so zu Bremen erregt ist, verstanden, daß ihr beweget gut zu seyn, daß gottfürchtige gelehrte Männer sich entreden, und eine einträchtige Form fassen mögten, wie von dieser Sachen zu reden, und daß ihr Erbietens schierst euer Meinunge derwegen in Druck ausgehen zu lassen, sammt vernerm Inhalt in eurem Schreiben gemelt. Nun ermessen wir wohl, daß diese Uneinigkeit, als zu Bremen entstanden, hochbeweglich: Wir achten aber, ihr habt dennoch davon guten Bericht, und daß D. Hardenbergers Schwärmerey auf den Zwinglischen Irthum von dem hochwürdigen Sacrament, gestalt derwegen, und weil hinver von dem theuren und seeligen Mann Gottes, Doctor Martin Luthern, und aus der Schulen zu Wittenberg, auch von andern gelehrten Gottsfürchtigen Männern, des Zwinglii und seiner Gesellen Schwärmerey vor öffentlichen Irrthum wiederlegt und verdamt, und auch also mit den Meißnischen und Sächsischen, und unsern Kirchen Gott Lob bis daher vor verdamt gehalten, und durch Gottes Gnade bey dem rechten Brauch und schlechten Worten Christi bleiben werden, kurtz und simpliciter unsrer Kirchen Bekentniß, aus der an euch übersandten Tafel zu ersehen gewesen, darauf wir denn nochmahls euer Bedencken gnädiglich begehren; können wir nicht erachten, zu was Meinung über diesem Artickel von dem hochwürdigen Sacrament des Altars neue oder andere Formulae zu reden solten nöthig seyn, wir wolten denn über unsre vorige bekannte und angenommene Lehre nunmahls erst zweiffeln, ob vorhin davon recht geredet und gelehret wäre oder nicht. Es wolte auch solches, wie wir besorgen, doch bedencklich, und nicht ohne den Schwer der Gewissen abgehen, viel weniger deucht uns gerathen seyn, daß mit den Sacramentern Colloquia über diesem hohen und gewissen Artickel vom heil. Sacrament des Altars des Leibes und Blutes unsers Herrn und Heylandes Jesu Christi zu halten, und solte letzlich wohl dahin kommen, wenn ein jeder hoffärtiger Geist und Polter-Kopf ihm was neues ließ träumen, daß man darüber und sonst was erschwermen könte, allewege Colloquia mit ihnen solte halten, es würden auch der Unterredungen kein Ende seyn, und damit keine Frucht, sondern vielmehr Schadens angerichtet werden, und

ist ohne Noht euch zu erinnern, wie viel gutes auf den Marpurgisch und ander Colloquia gefolgt. Daß die Schwärmer sich allein damit bekleiden zu Stärckung ihrer Irthümer, und nur halstarriger darüber werden, wie dann mit Johann a Laske, hie und an mehr Orten auch geschehen. Dieweil dann nun D. Hardenbergs Irthum auf Zwinglische Meinung gerichtet, wie ihr ohne Zweiffel gnugsam verstanden, auch von der Sachen mit euch, als der Gott Lob, rechte reine Lehre liebet und allewege als ein getreuer Diener Gottes der Kirchen und Schulen gefürdert, in diesem Schreiben zu disputiren von unnöthen, wäre unsers Erachtens christlicher und nützer, daß man solche Irthümer mit einem kurtzen Schreiben begegne, und also den Lermen, der daraus entstanden und noch zu besorgen stehet, damit dämpfe; und könte er ihnen diese Sache durch Gottes Gnade, weil auf euch als einen gottfürchtigen, hoch berühmten gelehrten Mann viel gesehen, viel Irthum, wie wir denn nicht zweiffeln, sondern aus ihnen dann zu euch versehen, daß ihr rechte reine Lehre werdet erhalten, und allen Schwärmern in Zeiten wiederstehen, und wollen euch solches hiemit, wiewohl wir wissen, daß ihr über Vermögen mit Arbeit sehr beladen, dennoch in euch nochmahls gäntzlichst gesonnen und begehret haben, damit dem Schwärmer Doctor Hardenberg, in Zeit wiederstanden werde. Wir haben auch an die von Bremen Christliche Schreiben und Vermahnung thun lassen, und wird der Allmächtige Gnade geben, daß recht Evangelische Christliche reine Lehr, ohne allen Zusatz und Verfälschung erhalten werde. Wir haben auch gantz gerne und mit Erfreuen gehöret, daß durch Gottes Gnade, in euren Kirchen der Lande Einigkeit ist, und daß die zugleich bey der Confession ohne fremde Disputation bleiben. Der Allmächtige erhalte auch uns und unsre Kirchen in Gleichniß, und werden auch allhie keine Disputationes gegen die Confession und unsre angenommene und bekante reine Lehre gestattet, damit viele Irrunge abgeschnitten. Der barmhertzige ewige Gott und Vater unsers Herrn und Heylandes Jesu Christi, wolle seine Kirche vor allem Irthum und falsche Lehre, durch seinen einigen Sohn unsern Herrn, gnädiglich bewahren.

Wir schicken auch euch hineben bei Sturg-Kopff die 50 Thaler euer Pension, die werdet ihr von ihm empfahen. Wir hätten sie euch auch längst geschicket, es hat aber Sturg-Kopff, seines Buch-Handels halben, biß daher verzogen, das wir euch gnädigst nicht wollen verhalten, und befehlen euch dem Allmechtigen, und uns und die unsern in euer Christlich Gebet: sind euch mit Gnaden und Guten geneigt. Copenhagen den 18. Iuny 1557.

429. No. 6270[b]. (Vol. IX. p. 172.) 26. Iun.

Martino Chemnitio.

Hanc epistolam Baxmann in Ephemeridibus: Zeitschrift fur die historische Theologie anni 1861. Fasc. IV. p. 626. epist. XVII, et Koldewey in iisdem Ephemeridibus anni 1872. Fasc. I. p. 15 sq. epist. 9. ediderunt. — Uterque eam, quae anni numero caret, recte ad annum 1557. referunt, conf. argumenta a Koldewey l. l. p. 22. not. 23. allata.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Martino Kemnicio, docenti evangelium in Ecclesia Dei in inclyta urbe Brunsviga, fratri suo.

S. D. Venerande vir et carissime frater. Heri nobiscum fuit D. Sabinus, qui cum sciret me ad te scripturum esse, iussit, ut suis verbis tibi amanter salutem optarem. Pagellam[1]) tibi mitto, in qua narratio de anonymo defensore Stenkefeldiani furoris[2]) etiam ostendit, quantum prodesset nos coniunctiores esse ad communem defensionem et ad discernendos hostes et cives. Id cum saepe dicam, tamen accidit mihi, quod sibi accidere Demosthenes queritur, cuius verba quae[3]) ascribam, quia scio tibi gratissima fore. *Παρακαλῶ μὲν εἰς ταῦτα, οὐ τυχὼν τοιαύτης φιλανθρωπίας. ἀλλὰ οὐ δῆ*[4]) *(δεῖ?) μίγνυσθαι ἰδίαν ἔχθραν, εἰς τὰ κοινὰ συμφέροντα.*[5]) Hunc Matthiam reverendo viro D. doctori Ioachimo et tibi commendo. Excellit ingenio et mores sunt casti et pii. Quaeso ut eum commendetis et amplissimo senatui et nobili viro *Steinbergio.*[6])

---

1) Haec pagella est Pauli Eberi scheda academica d. 21. Iunii 1557. edita, quae legitur in Scriptis Publ. Acad. T. III. p. 88., vide Koldewey l. l. p. 22. not. 24. et Corp. Ref. IX. p. 170. not. 1.

2) Haec spectant ad hunc libellum: Theophyli Agricolae Apologia für Hr. Caspar Schwenckfeldten von Ossing &c. 1557. 4. vide Koldewey l. l. not. 24. et Corp. Ref. IX. p. 174. not. 1.

3) cuius verba quae] sic autographon a Koldewey editum; Baxmann ex apographo exhibet: cuius haec verba quae

4) οὐ δῆ] sic Koldewey exhibet et indicat δῆ pro δεῖ scriptum esse; Baxmann habet οὐδὲ.

5) Integer primae epistolae Demosthenis locus, qui h. l. tantum breviter multisque modis mutatus a Melanchthone memoriter adscriptus est, ab eo in epistolis ad H. Besoldum d. 1. Iul. et ad Ge. Agricolam d. 12. Iul. 1557. datis affertur, vide Corp. Ref. IX. p. 174. 178. et Koldewey l. l. p. 22. not. 25.

6) De hoc Christophoro a Sternberg vide Koldewey l. l. p. 22 sq. not. 27.

Anno superiore dedit ei senatus eleemosynam, qua frugaliter usu est. Bene vale. Die 26. Iunii.

Philippus.

Salutem vobis omnibus opto.

---

430. No. 6288 b. (Vol. IX. p. 187.) 23. Iul.

Alberto Duci Prussiae.

Hanc epistolam ex apographo eiusdem temporis, quod in tabulario secret Regiomonti asservatur, primum divulgavit Max Toeppen in libro supr iam saepius laudato: *Die Gründung der Universität zu Königsberg* etc p. 310 sq. epist. 6.

Illustrissimo Principi et Domino, Domino Alberto Marchion Brandenburgensi, Duci Borussiae, Pomeraniae etc. Et Burg gravio Noribergensi etc. Principi et Domino suo clementissimo

S. D. Illustrissime et Clementissime Princeps. Cum vir Cla rissimus Doctor Andreas Aurifaber Celsitudini V. expositurus si ea quae hic comperit de nostro itinere Wormatiensi scribo brevius Iussus sum iter ingredi, ut Wormatiam veniam die octavo Augusti ut ante Congressum cum Papistis inter nos de nostris dissensio nibus deliberemus. Etsi de periculis multa cogito, tamen obtem perabo mandatis Principis nostri, Deo iuvante, et oro Deum u Ecclesiam et me gubernet. Non dubito virum optimum Brentiun mecum etiam de vestris Ecclesiis locuturum esse.

Pagellas in quibus est summa doctrinae Ecclesiarum vestrarun perlegi diligenter et tradidi D. Andreae exhibendas Duci August Electori. Iussus enim eram, ut prius iudicium meum Duci August ostendi curarem, quam in Prussiam mitteretur. Nunc oro filiun Dei dominum nostrum Iesum Christum ut et servet Cels. V. inco lumem et det Prussiae pacem Ecclesiarum et politicam. Datae di Iulii 23. Anno 1557.

Cels. V.

Servus

Philippus Melanthon.

---

431. No. 6295[b]. (Vol. IX. p. 192.) 8. Aug.

Io. Calvinus ad Melanchthonem.

Haec epistola legitur in Calvini Operum Amstelodami editorum Tomo IX. P. II., quae eius epistolas et responsa continet, p. 115. et in eius Epistolis et Responsis Hanoviae 1597. 8° tertio editis p. 444—446. epist. 242. — In anglicam linguam translata invenitur in Letters of John Calvin compiled from the original manuscripts and edited with historical notes by Dr. Jules Bonnet. Vol. III. p. 335—338. no. 465. — Germanice versa exhibetur a Paulo Henry in libro: Das Leben Johann Calvins. Tom. III. P. II. p. 107—109.

Philippo Melanchthoni S.

Qui factum sit ut toto iam triennio nihil ad meas literas responderis, nescio: quia tamen ex tam longo silentio coniicere merito licebat non adeo tibi fuisse gratas, atque etiam meum studium abs te repudiari, nihil nunc scribere ausus essem, nisi ab hoc optimo sene certior factus essem eodem te semper erga me esse animo: quod alioqui creditu difficile erat. Nunc collecta nova fiducia, quia te hoc mense Wormatiae fore confido, quo literae meae et tutius et maturius ad te pervenient, occasionem hanc praetermittere nolui. Tantum cuperem mihi laetius offerri argumentum. Et tamen si partem veteris erga me amoris retines, hoc quicquid est molestiae facile vorabis, quod curas et dolores meos familiariter in sinum tuum exonero. Vicinos tuos tanta in me intemperie bacchari, non dubito quin pro modestia tua et humanitate valde tibi displiceat: imo quum non hominem unum, sed pios omnes, nec privatam unius doctrinam, sed communem fidem oppugnent, tibi causae societas non vulgarem moerorem afferre debet. Caeterum, quando semel in hanc arenam protracto, liberum non est pedem inde cito retrahere, truculentas vero bestias humano more tractare absurdum fuisset, dabis vehementiae meae veniam, quae in tanta indignitate a me cohiberi non potuit. Si quid te privatim offendet, non longa excusatione opus fore arbitror. Quia subinde fallendis imperitis fucum ex tuo nomine videbam facere adversarios, ne viderer in re tam clara tergiversari (quod minime ingenuum erat) fidem tuo testimonio saepius deferre non dubitavi. Hac in re culpam, de qua me purgare operae pretium sit, adeo non agnosco, ut iure optimo conqueri de tua cunctatione liceat: etsi a turbulentis certaminibus abhorres, scis tamen quid suo exemplo Paulus omnibus Christi servis praescribat. Certe maior tibi quam in eo spectata fuit, moderationis laus non est appetenda. Quum ergo

ille summa lenitate praeditus, per seditiones intrepide transiei nec eadem nobis molesta sit hodie conditio. Ac tibi omnino it videndum est quidem mature, ne tibi apud posteros dedecori : nimia taciturnitas. Quod si, dum suis telis undique te confodia hippocentauri isti, expectas, timendum rursus ne parum opportu censeatur confessio, quam tanta necessitas extorserit. Quid mors occupet? Nonne ut tibi decedat omnis auctoritas, fidesq abrogetur, serviliter timidum fuisse clamabunt? quam infamiam abs te extergere festines, non es plurimis verbis monendus. pacificandi ratio quaeritur, una spes erat in colloquio, quod quidem expetere non dubito: tantum cuperem animosius flagita Nam quum videas Principes non modo cessare, sed etiam alio suis doctoribus retrahi, colligis haud dubie clausos esse adit omnes, nisi aliis instar freni, aliis vice stimuli sit tua auctorit Nuper audivi, quod minime speraveram, Ducem Wirtebergens sponte iam huc propensum esse: imo si ea fuisset, quae esse c bebat humanitas, oblata erat quam semper optavimus occasio: s quia multorum animis insidet prava suspicio, magis alienatos es a nobis animos Principum, quam ut placide audiamur, congress omnes formidant. Addunt etiam illud, non nisi praefractos hou nes te uno excepto venturos, qui imperiose praescribant ne a su placitis discedatur. Neque tamen eorum qui sic loquuntur ta est morositas, quin libenter venturi sint si vocentur: hoc nunc te onus recumbere existima, ut tua oratione persuasi Princip nostros ad colloquium invitent: vel Argentorati, vel Tubingae, Heidelbergae, vel etiam Francfurti commodus esset locus: tant si hoc impetres, ut ad placidam disceptationem utraque pars d scendere parata sit, meliorem fore spero exitum, quam divin multi suspiciosi homines. Quod si te hoc negotio infecto iter in Saxoniam recipis, vereor, ne sero te poeniteat, exitialibus is tuis non allatum fuisse tua opera remedium. Ac nunc memine non tam votis hic tibi esse agendum quam strenua sollicitudi ut ad satagendum paulo ferventius quam mores tui ferant, inte tus sis. Iam vero si non tam flexibiles erunt Principes, non tam negligendum erit, quod anno superiore amicis quibusdam scripsis te operam daturum, ut cum piis, integris et moderatis hominib ipse convenires. Ex eorum numero si me unum esse censes, qua cunque aliunde urgeat necessitas, hoc tamen in praecipuis vo est mihi, antequam Dominus in Regnum suum coeleste nos col gat, quo alacrius ad mortem properem, iucundissimo tuo conspe semel adhuc in terra frui, et mala quibus mederi non possum

apud te deplorando aliquid levationis sentire. Vale, praestantissime vir, et mihi ex animo semper observande. Dominus te semper suo Spiritu gubernet, praesidio tueatur, et ad hanc actionem te sancta prudentia, invictaque fortitudine instruat, tuosque pios conatus benedicat. 3. Nonas Augusti. M. D. LVII.

---

432. No. 6332b. (Vol. IX. p. 258.) 4. Sept.

Hieronymus Zanchius ad Melanchthonem.

Haec epistola legitur in Hieron. Zanchii Operum theologicorum Tom. VIII. P. II. Epistolarum libros duos continente p. 147 sq.

Hieronymus Zanchius Philippo Melanchthoni.

Quanti te semper fecerim, doctissime atque optime Pater Philippe, quantaque observantia prosecutus sim, ab eo tempore quo tua coepi legere (coepi autem iam olim in Italia) idque propter tuam et singularem pietatem, et variam perfectamque eruditionem, non est operae pretium, multis verbis explicare: praesertim quoniam summopere odi adulationis vitium, quod cum a Christianis omnibus, tum imprimis ab Evangelii Professoribus alienum esse debet. Hoc tantum dicam, Locos tuos illos priores, fuisse mihi primum ad perfectam Christi cognitionem paedagogum, quantum autem quisque debeat suis primis praeceptoribus, illis praesertim qui nos in vera Christi cognitione catechisarunt: tu optime nosti. Te igitur observari a me, et fieri quam maximi, potes ex hoc uno colligere.

Quod vero ad te, quem tantopere iam pridem observo, nihil hactenus nisi iam scripserim: in caussa fuit nihil aliud quam pudor quidam, qui me a scribendo huc usque retardavit. quis enim ego, ut ad talem tantumque virum scribere auderem? Etsi vero non fui ausus literas dare; ausus tamen fui per nonnullos fratres et postremo per Doct. Marbachium, te salutare. Nunc cogor pudorem illum tandem deponere, offertur enim mihi argumentum quod vel solum me ad scribendum impellit. Illud autem est huiusmodi. Multis abhinc mensibus, docui in Schola nostra, quoniam sic locus quem interpretabar exigebat: ***Christum, qua Deus est, secundum divinam naturam, ubique locorum esse: eundem vero, qua homo, id est secundum humanam naturam, non posse ubique***

simul[1]) ***esse.*** hoc enim proprium esse divinae naturae. Doctrin
hanc et autoritatibus Scripturarum multis, et testimoniis antiqu
et clariss. Patrum circiter quatuordecim, adiecto ad calcem te
monio et rationibus sanctae memoriae M. Buceri : dilutis eti
rationibus aliquot eorum qui contrarium docent: sed modeste[2]),
mineque nominato: satis superque comprobavi. Caeterum qu
iam sunt nonnulli ita certis hominibus addicti, ut nec rationil
nec autoritatibus Scripturarum, nec testimoniis Patrum, nisi suor
etiam doctorum testimonium accedat, permoveantur : Icciroo c
nuper ad manus meas pervenissent quaedam ante in Schola Wi
bergensi in tertium caput ad Colossenses de hac re, Christia
dictata: ea fideliter in Schola nostra, idque haud extra propc
tum (quendam enim locum Iustini de hac re ex libro de fide T
nitatis, explicabam) recitavi. Id vero feci, non quod doctrina
tea a me tradita, non fuisset satis superque confirmata et cc
probata: sed quod optime sciebam tuum testimonium plurimum
eam auditoribus quibusdam persuadendum et iure quidem valitur
Neque vero putavi, me in hac re tibi ullo modo rem ingratam fac
rum: nempe si in Schola Argentinensi fideliter recitarem, qua
te in Schola Witebergensi piissime et doctissime dictata fuerant. '
rum quid inde contigerit, non dicam ego. Scio D. Marbachium aeg
rime tulisse: sed iniuria. An vero tu aegre tuleris: quod mihi p
suadere non possum, nescio. Haec itaque a te doctissime atque opti
Philippe, etiam atque etiam peto et rogo, primum rescribas, ***utr***
ista fuerint a te dictata necne: copiam enim et exemplum n
to. Alterum, ***an aegre tuleris, quod ea hic recitarim, nec***
Tertium, ***Si et dictasti, et me illa recitasse, non inique tul***
animo, optasque ut vera doctrina promoveatur, agas cum
Marbachio, rem melius et diligentius examinet. Postremo,
tibi visum fuerit, agas etiam cum D. Brentio, quem novi quid
e suis scriptionibus doctissimum virum: audio vero etiam hu
nissimum et optimum Christi servum esse, ne silentio suo in t
errore multos retineat. multi enim ab eius autoritate pend
Clarissime D. Philippe, commendo tibi caussam Christi. piorum omni
ni te uno spes est collocata hoc tempore, ne tot tantorumque pior
spem defraudes, rogo. Tu iam senex es, migraturi sumus br
omnes ad Dominum, ne ergo praesentem hanc occasionem, c
potes et debes strenue, ut te facturum confidimus, Evangelii v

1) simul] sic scripsi; apud Zanchium typ. errore legitur: semel.
2) modeste] sic scripsi; in illo libro legitur: moleste

tatem tueri negligas. fac ne ubi venerit hora tua, poeniteat te tacuisse. heroicum te esse, fortiterque contra omnes hostes pugnare, si unquam antea, nunc certe necesse est. Non dubitant pii de tua eximia eruditione et singulari pietate: tantum hoc precamur omnes, donet te virum alioqui fortem, maiori etiam spirltus fortitudine Deus. Vide quam familiariter ego omnium minimus, tui tamen inter omnes observantissimus, tecum loquar, eximie et doctissime Philippe. Dabis hoc tum pietatis studio, quo aliqua ex parte afficior, tum singulari tuae humanitati, quae tantum mihi dedit animi, ut id ausus fuerim. Cupivissem te et videre coram et amplecti: sed quando hoc mihi non est in praesentia concessum, contentus ero hasce nunc primum ad te dedisse literas. Cum meis vero, habebis et Caelii soceri mei epistolam. Vale et me in amicitiam tuam recipias, rogo. Adsit tibi Dominus suo Spiritu: et te diu ad Ecclesiae utilitatem servet incolumem. Saluto autem reverenter D. Brentium et Doct. Marbachium. Argentina 4. Septembris 1557.

---

433. No. 6333[b]. (Vol. IX. p. 259.) 6. Sept.

Augusto Principi Electori Saxoniae.

Haec epistola, quam nondum vidi, memoratur in hocce libro: Dänische Bibliothec oder Sammlung von Alten und Neuen Gelehrten Sachen aus Dännemarck. 4. Stück. (Copenhagen u. Leipzig 1743. 8°) p. 178. in annotatione k. epist. 15.

---

434. No. 6337[b]. (Vol. IX. p. 263.) 8. Sept.

Io. Calvinus ad Melanchthonem.

Hae literae 6. Id. Sept. 1557. datae, quae, teste Paulo Henry in l. Das Leben Joh. Calvins Tom. III. P. I. p. 347. not. 1., incipiunt a verbis: „Nuper intra paucos dies ad te bis scripsi, nec vero nova iam materia erat", et finitur verbis: „Haec tanquam otiosus ad te scribo ut vicissim aliquid eliciam.", in MS. (apogr.) Bibliothecae Parisiensis, Coll. Dupuy. Tom. 102, p. 28. exstant. In illis Epistolarum Calvini editionibus Hanov. et Amstelod. non inveniuntur, sine dubio autem in Calvini operibus Corporis Reformatorum proximo tempore latine edentur. — In anglicam linguam translatae exhibentur in Letters of John Calvin compiled . . . by Dr. Jules Bonnet. Vol. III. p. 355 sq. no. 473.

---

435. No. 6386[b]. (Vol. IX. p. 355.) 27. C

Henricus Bullingerus ad Melanchthonem.

Apographon huius epistolae exstat in Tom. 45. Bibliothecae Carol. Co tum est (a Simlero) cum autographo ipsius Bullingeri in Epist. T. p. 260. in Tabul. Eccl. Tigur. et Epist. T. 2. p. 336 b. loculi C. in Ta Eccl. Tig. Apographon eius Clar. Voegelino debeo.

Reverendo Viro, pietate et omnigena doctrina clarissimo Philippo Melanchthoni, Domino suo colendissimo et fratri charissimo Henricus Bullingerus S. D.

Reverende Vir, domine colendissime, et frater charissime. T nas hisce diebus a tua humanitate literas accepi, rebus quibus praestantissimis pretiosiores et chariores. Primis significas, XX. Sept. meam Apocalypsim benigno accepisse animo, ac ins xisse locum de Gog et Magog, mox etiam consideraturum, q modo seriem totius libri accomodem ad tempora, et ad Eccles diversa certamina. Ego vero mihi ipsi non mediocriter gratu quod non tantum viro tanto fecerim rem gratam, submisso hoc bro meo, sed etiam lectorem consequutus sim, qui inter legend haud dubie ea diligenter observavit, quae videbantur amice an et fratri esse indicanda. Oro etiam te, frater charissime, ut lib mihi perscribas de laboribus illis meis tuum iudicium, praeser de cap. IV. et V. de IX. de XIII. XVII. et XX. cap. Nolim t alioqui occupatissimo, hic ullam exhibere molestiam, neque p lixas exspecto literas, sed breves duntaxat, quibus animi tui s tentiam paucis explices. De filio meo Henrico, de quo vis me tibi s bere, nihil certi habeo, nisi quod Viennam Austriae profec audio. Unde ipsum scriptis literis revoco domum. Tuae vero p tati pro beneficiis ipsi praestitis immortales ago gratias.

Posterioribus literis [d. XXIII. Sept.] commendabas mihi o mum virum D. Tilomannum Mumerium[1]) Coloniensem, quem, potui humanitate excepi et quod potui, ipsi praestiti, cum pro charitatem hospitalitatemque, quam a nobis requirit Christus minus, tum propter tuam commendationem, quam merito ma facio. Dolet autem, me non potuisse ampliora in ipsum conf officia. Reliqua ipse exponet. Postremis [V. Oct.] narras mihi sane infelicem, fratres videlicet nostros, collegas tuos, depo

1) In Melanchthonis epistola (in Corp. Ref. IX. p. 296) nominatur T *mannus Mumius.*

apud Collegii praesidem damnatione Ecclesiarum nostrarum, seiunxisse se a vobis ac discessisse. Equidem damnatio illa, qua nos illi damnarunt, non admodum nos reddit solicitos, ut qui coram Domino, Deo nostro, et coram sancta eius Ecclesia, bene nobis sumus conscii, illud magis dolet, imprudentia illa sua et pertinacia inflexibili et infelici, maximis certaminibus etiam inter vos ipsos, nisi prohibuerit Dominus, infausta posuisse initia, hostes item nostros et exhilarare et confirmare, infirmas praeterea multorum conscientias sauciare graviter. Tibi vero ac reliquis fratribus agnoscimus nos permultum debere, ac agimus vobis gratias immortales, qui nolueritis in nostri nostrarumque Ecclesiarum condemnationem exemplo carentem, consentire.

Recipimus nos Scripturas Canonicas omnes, et sensum ipsarum catholicum et orthodoxum. Recipimus Symbolum Apostolorum, Nicenum quoque atque Athanasii, Constantinopolitanum item, Ephesinum et Chalcedonense. Execramur omnes haereses, et haereticos autoritate Scripturarum ab Ecclesia damnatos. Invocamus unum solum Deum Patrem per unigenitum filium eius[1]) Iesum Christum, mediatorem et intercessorem generis humani apud patrem unicum. Hunc solum adoramus et colimus: ab omni autem superstitione et idololatria abhorremus. Omnes homines peccato originis corruptos et damnationi obnoxios esse, sola autem Dei gratia per sanguinem Iesu Christi liberari et sanctificari fatemur. Credimus sola fide, non ullis operibus nos iustificari: sicut Deus peccata nostra nobis non imputet, iustitiam vero filii sui nobis imputet. Opera vero vere bona, nec inutilia nec reprobanda esse dicimus, si a sanctis fiant ex fide, tametsi interim iustificationem eis minime attribuamus. Coetus sacros, ministerium legitimum, lectionem sacrarum literarum, preces publicas et privatas, poenitentiam et disciplinam cum Catechismo et Scholis in Ecclesiis nostris retinemus. Magistratum bonam et nobis necessariam Dei ordinationem esse agnoscimus: et ab omnibus seditionibus et tumultibus abhorremus. Coniugium sanctum esse credimus: Monachismum vero et omnes immunditias execramur: Sacramenta Christi, sanctum Baptisma et mysticam Domini nostri Coenam fatemur esse symbola Divinae per Evangelium annuntiatae gratiae et obsignationes iustitiae fidei, quae et alios habeant fines, alias a nobis expositos. Et quamquam oppugnaverimus hactenus et oppugnemus adhuc τὴν ἀρτολατρείαν, et corporalem illam adeoque papisticam pretiosi corporis et sanguinis

1) eius] autogr.: suum.

Domini Iesu Christi, in pane praesentiam et manducationem promiscuam in Coena sacra: nunquam tamen negavimus, Christum suis fidelibus legitime Coenam celebrantibus esse praesentem, nunquam symbola asservimus inania atque profana, nunquam ipsam carnem Domini veram, et sanguinem eius verum negavimus, verum esse cibum et potum, quae spiritualiter, vera fide percipiantur a sanctis ad vitam aeternam. Ad haec nunquam eo devenimus pervicaciae, ut meliora ex scripturis audire et discere et recipere noluerimus. Et quamvis inter nos et Saxones quosdam quaedam fuerint certamina, sicuti libri utrinque editi testantur, nunquam tamen illis amicitiam et fraternitatem renuntiavimus, nunquam illos ut hostes repudiavimus ac persecuti sumus. Quod autem contra ipsos scripsimus, necessitate quadam adacti scripsimus. Neque in Ecclesiis, quibus nos ministrare voluit Dominus, vel piae memoriae D. Lutherum, vel Saxoniae Ecclesias, aut etiam harum ministros, pro concionibus publicis (ita ut apud ipsos contra nos receptum esse audimus) persequimur, accusamus atque condemnamus. Honorificam potius eorum mentionem facimus, cum per opportunitatem datur, ac testamur dolere nobis ex animo, quod contentio illa Sacramentaria excitata sit, quam mallemus Christiane sopitam: ac si aliud impetrari non possit, illud saltem obtentum optaremus, ut utrimque pax servetur atque colatur, donec maiora melioraque dederit Dominus. Quid itaque boni illi fratres nostri damnant in nobis? Cur persequuntur amicos suos? Cur adiungunt se hostibus communibus? Te per Christum oro, mi Domine et frater, ut cum, pro eximiis donis tuis a Deo acceptis, intelligas, quorsum fratrum nostrorum tendat iniquitas et protervia, tua autoritate, quae apud pios maxima est, interposita, piis et sanctis, qui unice hoc a te expectant, exponas palam et diserte, quid in hac contentione sequantur, ne multi per imprudentem zelum se polluant, dum nihil mali meritos, et vera asserentes, et oderunt, et aversantur, atque etiam prosequuntur. Non piguit Mosen, magnum in domo Dei virum, se afflictis et periclitantibus coniungere fratribus. Breve restat tempusculum, quo adhuc in hoc seculo victuri sumus. Instat nobis Dies illa Domini: nec deerit unquam potens et bonus Dominus iis, qui recto sunt corde, et Dominum invocant in veritate.

Utinam vero obtineamus, ut te optime Philippe, priusquam redeas in Saxoniam, videamus Tiguri et amplectamur, ut inquam nos, tui amantissimos, invisas. Hoc a te petimus et contendimus votis omnium maximis. Veni, veni, exoptate frater, deducemus te aliquo usque versus tuam patriam. Dominus tueatur te et bene-

dicat vobis omnibus: id quod ab ipso perpetuis precibus flagitamus. Dominus servet vos in medio nationis pravae. Vive et vale semper felix. Salutant te fratres et symmystae omnes, Gualtherus, Wolphius, Bibliander, Martyr, Gessnerus, Lavaterus, Hallerus, Vuiccius, Zwinglius, Simlerus, Frisius, Ammianus, Collinus, et ceteri omnes. Commenda nos nostris fratribus, collegis tuis, D. Brentio, Pistorio, et reliquis omnibus, quos salutabis singulos amicissime.

Tiguri XXVII. Octobris anno 1557.

Has literas misi Vuormatiam per D. D. Ioannem Eewych, Iuliacensem Doctorem Medicinae, Patavio venientem et per D. Tilomannum Munerium, Coloniensem, qui literas a Philippo attulerat.

---

436. No. 6393[b]. (Vol. IX. p. 361.) 4. Nov.

Ioannes Wolphius ad Melanchthonem.

Ex Msc. T. VI. p. 535. 536. Tabularii Hotting. in Bibliotheca Carol. ex autogr. Apographon Clar. Voegelino debeo.

Clarissimo Viro, Domino Philippo Melanchthoni, Domino et Praeceptori suo observando.

S. D. Sumpsi hoc mihi pro mea erga te observantia, quam animo comprehensam constanter fovi, ex quo cum libros tuos primum legi, tum vero te Lipsiae et Vitebergae ipsum vidi: ut ad te, quasi tibi notus ac bene de te meritus essem, sic familiariter et amice literas darem. Sed id, Philippe doctissime, eo libentius feci, quod qui hasce ad te perfert Dominus Lelius [1]) amicus meus summus et syncerus in Iesu Christo frater: promisit sè, pro eo ac potest atque etiam volet, quae verbis ego meis efferre non possum, coram tibi de mea summa erga te benevolentia tibi commemoraturum esse. Itaque tibi primum ingentes gratias ago atque etiam habeo, quod et amori erga Ecclesiam nostram tuo, et conservandae Germanicarum Ecclesiarum concordiae tantum in hoc conventu dedisti: ut nos a quorundam et iniquo nostri odio insanientium, et praesentia tempora parum considerantium morsibus atque ictibus, tam egregie, pie, constanter vindicares. Etsi enim nobis, si illi tentatam condemnationem obtinuissent, propterea nec

---

1) Laelius Socinus.

aquae nec ignis usu interdictum fuisset, suamque ipsi vesaniam potius quam salutem nostram prodidissent: tamen quanti referat, hanc ipsam rem, bonitate et prudentia vestra declinatam esse: tu, D. Brentius, D. Pistorius, et quicunque vobis nos Zwentibus affuere, melius potestis existimare. Iam vero peto, ut tuam erga nos, et multis antea haud obscuris indiciis probatam, et hoc ipso facto spectatam benevolentiam tantae nobis existimes voluptati fuisse, ut quanto possumus studio de referenda gratia cogitemus. Atque utinam et D. Lelius hoc precibus efficeret, ut velles: et tuae nobis occupationes darent, ut posses: quo te cum hic in urbe Tigurina coram colloqui possemus, ac liceret quae sit erga te benevolentia nostra aliquo modo tibi comprobare. Cetera D. Lelius coram melius referet. Quid enim te maiorum rerum cura gravatum ego diutius detineam? Extremum hoc est, ut quam animo diu comprehendi, nunc brevibus literis utcunque tester, meam summam erga te benevolentiam, in optimam partem accipias: tum D. Lelium de ea coram audias: meque vicissim ames. Vale. Datae Tiguri IV. Novembris 1557.

T. Obs.
Ioannes Vuolphius, Verbi divini in Ecclesia Tigurina administer.

---

437. No. 6414 b. (Vol. IX. p. 385.) 1. Dec.

Christophorus Dux Wirtembergiae ad Melanchthonem.

Hanc epistolam (d. d. Urach den 1. Decbr. 57.) affert Henr. Heppe in libro suo: Geschichte des deutschen Protestantismus in den Jahren 1555—1581. I. Band. (Marburg 1852. 8°) p. 266 sq. not. 1.

(*Inscriptio deest.*)

Es ist gewis nicht ohne, daß der Satan nicht feiert, — welchem meines Verstands nicht baß zu begegnen, denn daß die Vorsteher Gottes Worts mit allem Ernst und Fleiß sich bearbeiten, daß sie einträchtig mit einander seien und falsche Lehre nicht einschleichen laßen, daß auch politicus magistratus in dem auch eifrig und fleißig. Damit nun solche Kirchen Gottes je länger je mehr erbauet, daß Einigkeit unter uns erhalten, den Schwachgläubigen gesteuert, und Widersachern die Calumnien gewehrt würden, welches dann je nicht beschehn kann, solche Einigkeit anzurichten, es komme dann der magistratus personlichen zu Hauf mit ihren schiedlichen theologis und politischen Räthen, und vergleichen sich einhelliglich mit einander, data fide, der

angenommenen und erkannten Lehre des allein seligmachenden Euangelij, wie das in der Augsburgischen Confession, Apologia und Schmalk. Artikeln begriffen, summarie beständiglich zu bleiben; folgends daß sie neben ihren schiedlichen theologis und sonst politischen Räthen dahin bedacht und bearbeitet würden, damit Einhelligkeit in der Lehre erhalten, ein certus methodus docendi in unsern Hauptartikeln des christlichen Glaubens geordnet, und so viel möglich eine einhellige Kirchenordnung, Ceremonien, Kirchendisciplin und Zucht, und was da weiter vonnöten, als Consistoria, einhellige Ordnung in Ehegerichten, Strafen der Laster und andern Sachen angerichtet würde, damit also Einhelligkeit allenthalben in unsern Kirchen und unter uns erhalten, und daß nicht jedes Land und Stadt schier seine besonderen Ordnungen und Ceremonien hätte; — daß auch die Wege gefunden möchten werden, daß auch die Schweizer und andere exterae ecclesiae, so mit dem Irrtum des Zwinglianismus befleckt, auch zu uns gebracht möchten werden, dadurch viel Unrat verhütet.

---

438. No. 6420[b]. (Vol. IX. p. 398.) 20. Dec.

Idem ad eundem.

Hanc epistolam, quam nondum vidi, Heppe l. l. p. 267. not. 1. breviter sic memorat: „Der zweite Brief, in welchem der Herzog Melanchthon's Gutachten sollicitirt, ist datirt Stuttgart den 20. December 57.“

---

439. No. 6420[c]. (Vol. IX. p. 398.) 21. Dec.

Henrico Bullingero.

Huius epistolae, quae in Simleriana Collectione Tigurina (S. Msc. 91.) exstat, apographon Clar. Voegelino debeo.

Reverendo Viro, eruditione et virtute praestanti Domino Henrico βουλιγερῳ, carissimo fratri suo.

Tiguri.

S. D. Reverende Vir et carissime frater. Hanc epistolam dedi huic Anglo qui ad me venit in Tyrigetis, cum ad Albim rediremus. Ideo autem scripsi, ut tibi significem longiorem tuam epistolam, quam audio te dedisse medico Iuliacensi, mihi non exhibitam esse. Scio nostris literis multos insidiari, et spargi seu veras, seu confictas nomine Calvini, tuo et meo. Propterea velim

te, si quid missurus es, tradere viris notis, quorum fidem probas. Video me ad magna pericula redire. Sed post mortem meae coniugis[1]) necesse est, me oeconomica quaedam negotia constituere. Commendo autem me et Ecclesiam Deo. Bene vale. Die Brumae in Tyrigetis.

XXI. Dec. 1557.

Philippus.

ANNO 1558.

440. No. 6436 b. (Vol. IX. p. 423.) 1. Jan.

N.

De hac epistola, quam nondum vidi, Clar. V. Dr. Hoffmannus Hamburgensis a. 1861. mihi haec scripsit: „Phil. Melanchthonis Epistola de origine gentis Henetae Polonicae seu Sarmaticae scripta est Kalendis Ianuariis anni 1558., subiunctaque Venceslai Grodecii, Equitis Poloni, tabulae geographicae, descriptionem Poloniae finitimorumque regnorum continenti, quae anno eodem Basileae ex officina Ioannis Oporini, folii magnitudine prodiit. Depromptam inde Epistolam illam Ioannes Macinius Lexico suo latino Polonico, Regiomonti Borussiae apud Ioannem Daubmannum anno 1564, foliis integris excuso, praemisit."

---

441. No. 6436 c. (Vol. IX. p. 423.) 3. Jan.

Augusto Principi Electori

Hanc epistolam primum ex autographo tabularii publici primarii Dresdensis edidit Clar. V. Seidemannus in Ephemeridibus Zeitschrift für die historische Theologie anni 1859. Fasc. I. p. 135 sq.

(Inscriptio deest.)

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vnsern heiland vnd warhafftigen helffer, vnd Ein kunftig fridlich vnd frölich Jar, zuuor, Durchleuchtigster hochgeborner gnedigster Churfurst vnd herr, E c f g gnedige schrifft hab ich In vnterthenikeit Empfangen, vnd dankhe E c f g In vnterthenikeit von wegen der gnedigen anzeigung darinn gemelt, Wiewol ich aber seer gern gesehen hett, das meine gesellen In worms hetten die Artikel

1) Simlerus adnotavit: Obiit Mel. Uxor XI. Octobris 1557.

davon Erklerung begert ist, helffen stellen vnd vnterschreiben, hatt auch allein des Osiandri halben bey ettlichen verhindrung gehabt, so hab ich doch nicht schewe, E c f g In vnterthenikeit dise meinung wie sie zuuor gestellt ist, In teutscher sprach eigentlich zu verfassen, vnd mage wol leiden, das E c f g andrer verstendigen bedenken dauon hören, Es ist auch nicht mein gemut, grösser gezenk damit anzurichten, wiewol ettliche gifftige wurm sich also zu vns nöttigen, das ich Entlich auch antworten mussz, wie aber E c f g beuohlen haben das ich nach dem leipziker markt gen Dresden khomen soll,[1]) will ich mitt gottes hulff gehorsam sein, Der allmechtig Gott vatter vnsers hellands Ihesu Christi Der yhm gewisslich Ein Ewige kirchen durchs Euangelium samlet, Erhellt auch dazu Ettliche Ehrliche Regiment, wolle E c f g vnd E c f g gemahel vnd Junge herrn, an seel vnd leib sterken, Datum die Tertia Januarij 1558.

---

442. No. 6455[b]. (Vol. IX. p. 441.) 1. Febr.

Io. Brentius ad Melanchthonem.

Hae literae primum editae sunt in hocce libro: ***Anecdota Brentiana. Ungedruckte Briefe und Bedenken von Iohannes Brenz. Gesammelt und herausgegeben von Dr. Th. Pressel.* (*Tübingen*, 1868. 8°) p. 446. no. CCLII.**

(*Inscriptio deest.*)

Salutem in Christo. Etsi cum nuper ad vos in Saxoniam mitteretur, dolore dextrae coxendicis ita affligebar, ut difficulter incedere et stare possem, cuius ortum initio in Vangionibus, priusquam abiremus sentiebam, non tamen morbus sed consilium avocavit me a scribendis ad te literis. Non sunt mihi quorundam ingenia ignota. Nolui igitur eo tempore scribere, ne fortassis, si tu non iuxta affectum eorum responderes, suspicionem piam iniicerem, te meis literis fuisse admonitum. Crepant *συνόδους καὶ συλλόγους* ac sperant ipsi procellas horum temporum sedari posse. Laudo affectum, sed videmus hominum animos et rerum eventus. Piscator ictus sapit et Phryx plagis emendatur: nos ne icti quidem et flagellati emendamur. Tuam sententiam ad Illustrissimum meum Principem scriptam vidi et probo. Sed metuendum est, ne summa *ἀκρίβεια* pariat nobis summam acerbitatem. Vidi scriptum tuorum discipulorum nomine vulgatum, et meretur quidem *ὁ ὄνος* tale

---

1) Seidemannus l. l. annotavit: Am 9. Febr. 1558 kam Melanthon nach Dresden.

ῥόπαλον, sed hoc est classicum canere, et vetus dictum est: Non qui percutit, sed qui repercutit, litem movet. Vestri miserunt ad meum principem scriptum Bonensis cuiusdam *ἀνωνύμου*, in quo ego nominatim ita perstringor, ut omnis culpa Berbetomogensis dissidii in me conferatur; itaque ego ille sum *ὁ διαστρέφων τὸν ἰσραήλ*. Quid igitur faciam? Non deessent mihi dentes, quibus remorderem, sed cum haec proficiscantur a sociis et amicis, oportet me *ἀναπληροῦν τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ χριστοῦ ἐν τῇ σαρκί μου*, quia et filius Dei ipse exclamaverit, *ὅτι εἰ ὁ ἐχθρὸς ὠνείδισέ με, ὑπήνεγκα ἄν*, et reliqua. Scio etiam tibi nec sententiam nec experientiam huius dicti ignotam esse. Bene ac feliciter vale. Studtgardiae die 1. Februarii anno 1558.

Io. Brentius.

---

443. No. 6473 b. (Vol. IX. p. 479.) 7. Mart.

Henricus Bullingerus ad Melanchthonem.

Haec epistola asservatur in Epist. T. 2. p. 337. loculo C. in tabul. Eccles. Tig. Ex autographo in eodem tomo p. 400. adest copia per Lavaterum facta. Apographon Clar. V. Voegelinus benigne mihi curavit.

Reverendo viro pietate et omnigena doctrina clarissimo D. Philippo Melanchthoni, Domino suo colendissimo et fratri carissimo.

S. D. Reverende Vir et carissime frater. Anglus, cui ultimas tuas credidisti, datas a te die brumae ex Tyrigetis bona fide reddidit. Quas autem ego ei tradidi Bernam et Genevam portandas, non reddidit. An in itinere mortuus sit, aut quo pervenerit, ignoramus. Si perfidus fuit, non magni momenti literas abstulit. Doleo meas illas Vuormatiam missas ad te per Ioannem Ewych, Iuliacensem doctorem Medicum, tibi non esse redditas. Nec satis quid cogitem, scio. Nam optimum integerrimumque virum esse illum, testantur, quotquot ipsum noverunt: hic etiam, qui has tibi offert D. Ioannes Iaskheus, Dantiscanus. Fortassis illas alteri credidit, qui perdidit, aut prodidit. Utcunque vero ea res habeat, quoniam exempli earum videndi te cupidum esse intelligo, unicum meum, quod retinueram apud me ad te hic mitto. Si commodum esset tibi, hoc remittere opportune, foret id mihi gratissimum. Neque enim nunc vel ipse describere, vel aliis describendum dare

licuit. Sed totum hoc tuo permitto arbitrio. Illud omnibus Symmystis nostris, et mihi inexpectatum fuit, quod ab amicis submittebantur nobis a Vuormatia duae protestationes te autore apud Praesidem depositae. Quarum altera palam damnabat Zwinglium, virum optimum. Altera vos omnes ita adstringebat ad Augustanam confessionem, ut profiteremini, nihil in ea hactenus esse mutatum, neque porro quicquam mutandum. Dolet nobis merito, parsum esse Anabaptistis, Osiandro, Schuenkfeldio, et ceteris, solius Zwinglii nomen esse expressum, eiusdem doctrinam esse damnatam, in quo et Helveticas Ecclesias omnes damnatas esse quis non intelligat? Atqui prius cum Symmystae vestri damnassent nostras Ecclesias nondum auditas, iniquissimum id vobis visum est: qua ergo aequitate nunc etiam a vobis damnati sumus omnes? In protestatione vestra illud quoque adiectum est: Et notum est extare refutationes nostras. Quibus sane verbis omnes libri in contentione illa non omnino sine affectibus erroribusque scripti, veluti de novo reparantur, atque legendi communibus adversariis commendantur. Si vero nihil omnino mutandum est in Augustana confessione, quis non videat, confessionem illam unicam posthac fore formulam, in quam consentiant omnes, quotquot catholici et orthodoxi velint videri? Ergo, si posthac centies conveniamus in colloquium, amice collaturi de capitibus controversis inter nos, praeiudicium tamen hoc omnem impediet fructum, qui sperari potuerat alioqui ex amico colloquio. Etenim quis sensus sit decimi articuli, et tempora, quibus scripta est confessio et Apologia addita mox aperte satis convincunt. Utcunque enim pium istorum conatum, qui mitigare satagunt confessionis illius duritiem, excusationem aliquam habere non negemus: Adversariis tamen serio nos obiicere nec possumus, nec volumus, qui serio contendunt, eum ei articulo sensum inesse, quem et D. Lutherus indidit, et ipsa quoque Apologia reddidit. Ergo, si urgeatur confessio illa ita, ut a vobis nunc ultima protestatione obtrusa est, non video, quomodo coalescere poterimus. Neque vero nescis, ea quoque, quae de confessione auriculari et Missa in confessione illa pro illo tunc fortassis tempore posita sunt, eiusmodi esse, ut si requiratur a nobis, ut simpliciter subscribamus, nos iustas et plurimas habere causas, cur subscribere non possimus. Ergo cum erecti fuimus in spem, fore, ut amico colloquio aspera multa complanentur, et tunc pro illo tempore edita nunc commodius explicentur, vos autem per quos una quidem ex parte haec fieri debuerant, sic vos veluti de novo ad veterem illam confessionem Augustanam in omnibus obstrinxe-

ritis, dolent eam ob rem merito pii omnes. Interim non cessamus orare Dominum, ut ipse, quod humana incogitantia peccatur, sua sanet atque sarciat Divina sapientia. Non enim omnino desperamus de pio consensu. Atque tuam pietatem hortor, ut serio, quid facto opus sit, cogites, ne huiuscemodi praeiudicia confirment infausta dissidia, augeant item scandala, et contentiosas mentes roborent. Haec libere et syncere, prouti decet, apud te, servum Dei, profero, sperans te semper ea, quae veritatis et pacis Ecclesiarum sunt, sedulo curaturum. Si quando responderis his meis literis, ut saltem has meas tibi redditas esse intelligam, et de animi tui sententia certum habeam, feceris rem mihi multo gratissimam. Vale. Dominus benedicat tibi tuisque laboribus. Salutant te fratres, et singuli quidem, quam humanissime. Salutabis tu nobis D. D. Maiorem, Eberum, Peucerum, et alios viros bonos. Commendo autem tuae humanitati hunc piissimum et doctissimum virum D. Ioannem laskheum, Dantiscanum.

Tiguri VII. Martii 1558.

Bullingerus tuus.

---

444. No. 6592[b]. (Vol. IX. p. 609.) 9. Sept.

Augusto, Duci Saxon. Electori.

Hanc epistolam cum duabus subsequentibus ad eundem scriptis primum edidit Clar. Seidemannus in Ephemeridibus: Zeitschrift für die historische Theologie anni 1859. Fasc. I. p. 136—138. epist. VII.—IX. additis quibusdam annotationibus.

(*Inscriptio deest.*)

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vnsern heiland vnd warhafftigen helffer zuuor, Durchleuchtister hochgeborner gnedigster churfurst vnd herr, vff den neunden tag Septembris hab Ich E c f g schrifft Empfangen, das Buch darinn die Frankfordischen abschied rc. verzeichnet [1]), gen Dresden zu schiken, welches ich alß bald dem botten Jacob Ekhart geben, gen Dreßden zu bringen, hett auch gern E c f g dabey gesant, was des churfursten zu Brandenburg gesandten vff den 21ten tag Augusti mitt mir geredt, so hab ich doch In der Eil bey disem Botten dieselbige schrifften nicht fertigen khonnen, Doch ist dises die Summa, vff den 20 tag Augusti sind

1) Hanc Compositionem Francoford. vide in Corp. Ref. IX. p. 489 sqq.

anher khomen der Cantzler Doctor Distelmeyr vnd Magister Johann Eißleben, Ist der Cantzler am Sontag fruw[1] zu mir khomen, denn die herrn doctores Doctor Laurentius vnd doctor Cracovius sind nicht alhie gewesen, vnd hatt mich bericht, Ehr khonne nicht verzihen, vnd so viel dise sach belange, lassz yhm der churfurst zu Brandenburg dises bedenken gefallen, Das In der chur vnd fursten namen, den hertzogen zu Sachsen die der chur vnd fursten Consension anstechen, gantz nichts geantwort werde, Das aber Eine gruntliche schrifft one alle Sophisterey gestellet werde von Ettlichen, welchen dauon beuelch zu thun, die Ernach durch die chur vnd fursten selb, vnd andre verstendige bewogen werde, welche schrifft moge furgelegt werden, oder sunst ans liecht bracht, so die Reprehension an tag geben wurde, oder Ein Synodus außgeschriben wurde, Dise meinung hab Ich mir auch gefallen lassen, vnd habe grosse bedenken. darumb In der chur vnd fursten namen kheine disputation zu erregen sey, Davon Ich E c f g In andern lengern schrifften nehr berichts thun will,

Der allmechtige Gott wolle E c f g an seel vnd leib sterken, Datum Eilend 9 Septembris 1558.

E c f g armer vntertheniger diener Philippus Melanthon.

---

445. No. 6601[b]. (Vol. IX. p. 616.) . 18. Sept.

Eidem.

Vide prolegomena epistolae proxime praecedentis no. 444.

(*Inscriptio deest.*)

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vnsern heiland vnd warhafftigen helffer zuuor, Durchleuchtister hochgeborner gnedigster churfurst vnd herr, E c f g beuelch belangend die antwort vff die weimarische schrifft[2]), habe Ich vff heut Sontag den 18 tag Septembris empfangen, vnd Ist die zeit Eben kurtz zu diser stellung bestimmet, doch will Ich so viel mir moglich ist, mitt gottes hulff, Ettwas zusamen zihen,

Ich wölte auch das die chur vnd fursten, pfaltz vnd wirteberg nicht so seer zur antwort Eileten, vnd bleibe Entlich vff dieser meinung das In na-

1) d. 21. Augusti, Dominica XI. post Trinit., conf. Seidemanni annot. 14. l. l. p. 136.

2) Hoc responsum a Melanchthone non suo, sed omnium Theologorum Witebergensium nomine scriptum vide in Corp. Ref. IX. p. 617 sqq.

men der chur vnd fursten kheine antwort geben werde, Also habe Ich dem durchleuchtisten hochgebornen fursten vnd herrn, herrn Otthenri pfalnzgrauen churfursten, etc. geschriben,

E c f g werden auch befinden das durch herczog Fridrichen pfa grauen practiken versucht werden, davon Ich schrifften habe, Es solte billich die Bairische Inquisition[1]) die pfalnzgrauen bewegen Ernstlich der die Beystlichen sich zusamen zuhalden, Der allmechtige Son gottes sus Christus wolle gnediglich E c f g vnd E c f g gemahel vnd Ji herrn an seel vnd leib sterken, vnd E c f g regirn, vnd disen landen kirchen, friden geben, Datum Sontags den 18 Septembris Anno 155

E c f g armer diener Philippus Melantho

446. No. 6623 b. (Vol. IX. p. 649.) 31. (

Eidem.

Vide prolegomena ad no. 444.

(*Inscriptio deest.*)

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vn heiland vnd warhafftigen helffer, Durchleuchtister hochgeborner gnedigster fursten vnd herr, E c f g schrifft sampt beigelegter anzeigung der Reden pforzen geschehen etc. hab ich zu pretsch In vntertenikeit Empfangen, khann noch nicht anders gedenken denn das diser weg, den E c f g fu schlagen haben, In anfang des Reichstags, mit andern chur vnd fur grauen vnd Stedten, von Einikeit diser kirchen zu reden, der bequemest

Denn so man zuuor Ein versamlung machen wölt, hatt es disen S alß wöll man Ein Synodum halden, Es werden auch Im Reichßtag fursten, herren, vnd Stedt gesandten dazu khonnen erfordert wer denn In diser Eil gen Nawmburg mochten Erfordert werden, auch ist zeit zu kurtz,

vnd ist gewißlich dises war, das newe gezenk auffer der Confession Illyrico gesucht wirt, daran nicht allein die predicanten In andern lan sondern auch viel In der Jungern hertzogen zu Sachsen land mißfallen h vnd ist In gemein allen kirchen nutzlich, das so viel moglich, alle chur fursten vnd andre stend, vnd yhre predicanten bey der deliberation sind man von Einikeit reden soll, wollen sich alß dann die Jungen hertzogen

1) Vide Corp. Ref. IX. p. 638 sqq.

Sachsen von den andern sondern, das musß man geschehen lassen, Sie suchen newe sachen, vom Pure passlue, vnd ander muttwillig gezenk, daran andre predicanten nicht gefallen haben, vnd ist noch mein vnterthenig bedenken, wie zuuor gewesen, das vor Einer versamlung die chur vnd fursten vnter sich vertrewlich sich Entschliessen, wouon zu reden sey In der versamlung, vnd woruff entlich zu schliessen sey, vnd so man zusamen khommet, wer von mehrern teil condemnirt wirt, der leide, was beschlossen wirt, Ehr sey wer er wölle, Ich oder andre, Der allmechtige gott vatter vnsers heilands Jhesu Christi wolle E e f g vnd E e f g gemahel vnd Junge herrschaft gnedigklich bewaren vnd regirn, Datum zu Pretsch Anno 1558. die vltimo octobris vff welchen tag vor 41 Jarn Erstlich die propositiones de Indulgentijs aufgangen sind, welche der anfang gewesen sind der Erklerung christlicher lehr,

E e f g armer vntertheniger diener Philippus Melanthon.

Ich mag auch leiden das dise meine schrifft andern chur vnd fursten zu geschikt werde, doch will Ich gehorsam sein, was durch die chur vnd fursten beschlossen wirt.

---

447. No. 6631 b. (Vol. IX. p. 656.) 13. Nov.

Philippo Derare Thourant (?).

Inter ea, quae Prof. Van de Velde m. Novembri 1803 in Bibliotheca Zwikkaviensi invenit, Prof. Scheler in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 6. p. 87. memorat epistolam originalem fere obliteratam, cuius inscriptionem et extremam partem ex illius Apparatu Melanchthoniano sic affert:

Philippo Derare Thourant (?) pastori ecclesiae Dei in Fridewald amico suo colendo.

. . . . , et familiam honestae et nobilis matronae cum filiis et gubernet studia adolescentum. Philippi Liadi mores et in officio consilium et fidem spero vos laudaturos. Generosae Dominae pro caprea et caseo gratias ago. Bene valete. Die 13. nov. 1558.

Philippus Melanthon.

---

448. No. 6638 b. (Vol. IX. p. 662.) 19. Nov.

Io. Calvinus ad Melanchthonem.

Hanc epistolam ex apographo, quod in Msc. Tabularii Ecclesiae Bernensis asservatur, mihi describendam Clar. Voegelinus benigne curavit. —

In anglicam linguam translata invenitur in Letters of John Calvin piled from the original manuscripts and edited with historical by Dr. Jules Bonnet. Vol. III. p. 481—485. — Paul. Henry in Das Leben Johann Calvins des großen Reformators. Tom. III. P. I. p sq. not. 1. ea, quae in priori maiorique epistolae parte contine breviter indigitans, reliquam eius partem (extremis lineis exceptis vernaculam linguam vertit, scil. verba: „quo tibi minus acerba debet — — — innumera piorum turba te reverenter salutant."

Calvinus Melanchthoni.

S. Quia non ignoro, ut piger es ad scribendum ita huma hoc officium te amicis remittere — — — morbi excusatione clarissime Vir et Reverende frater, nisi quia iuvat in sinum t molestias deponere, quarum onere premor. Cum immunis gratia ad hanc usque aetatem a quartana febre fuerim: factun imperitia, ut hunc errorem vix quarta accessio corrigeret, ser detegeret, quale esset morbi genus. Etsi autem me huius sc diae pudet, excusabilis tamen apud te erit, ubi de impedim fueris certior factus. Primo cum dormientem vel iam sopitum vaderet, facile fuit clam obrepere, praesertim cum adiuncta molestissimis et acutissimis doloribus, quibus nimis familia assuevi. Cum vero tremor semel me corriperet sub tempus nae: sufficere putavi, si more meo cruditates inedia coque Postridie licet iacerem viribus prostratus, levatus tamen ac p solatus a violentia doloris ad quartum congressum rudis et i rus pugnae accessi. Nunc sesquimensis prope elapsus est, ex post malum cognitum Medicis addictus sum, qui me cubiculo cludunt, immo lecto fere affixum tenent, duplici etiam felle m tum, subinde occinentes illud Sophoclis. Alvus ita induruit, nihil nisi clystere extortum ageret[1]), quod est a mea consu dine valde remotum. Praescribunt mihi optimos quosque et vissimos cibos, quorum nullus gustui arridet, unde fit, ut paulatim languescant. Luctor tamen et alimentis licet insi ventriculum prostratum reficio, nec fastidium dominari patior, facio, quod plerique, ut orexim mihi conciliem, illecebras a sens in hoc morbo noxias. Immo, ne latum quidem unguem ea, quam Medici praescribunt, lege deflecto, nisi quod in t aviditate paulo largius bibere mihi permitto: quod ipsum pa imputo eorum culpae, qui Vini Burgundici potum anxie exi quod vix aqua diluere, aut alio mediocri uti per eos liberum

1) ageret,] in illius tabularii apographo legitur: egerat,

sit, immo nisi pertinaciter Malvaticum recusassem et Muscaticum, volebant etiam hoc ardore me conficere. Quia tamen et artis suae non vulgari scientia, et certo iudicio praeditos, et longo usu exercitatos cognovi: non tantum officii causa morem gero; sed etiam libenter patior me regi a talibus Magistris. Vinum meum Scolopendrio condiunt et Absynthio Pontico. Ventriculum Syrupis vel ex Hyssopo vel ex Elenio, vel ex cortice citri, quasi fomento, sustentant; et quidem varietate adhibita, quo vice remedii sua novitate citius penetret. Semel dumtaxat humores melancholicos ex liene evellere conati sunt. Etsi autem otio tuo nimis secure abuti videar, mihi vero et valetudini meae haec dictans in calore febris minus recte consulere: quia tamen dubius est exitus morbi, hoc tibi volui testatum, me iam inter principia hoc meditari, quo modo singulis momentis accinctus, ad quoslibet Dei nutus excipiendos praesto me offeram. Interea ne sis periculorum meorum nescius: communi omnium fama receptum est, pace inter duos reges transacta, totos belli impetus in nos . . . . conversum iri, ut sanguine nostro, quicquid piaculi admissum est, sanciatur. Interea scito, non magis vel locorum distantia protegi, vel munitionibus, quam si in aperto campo dimicandum esset. Philippi fines itinere tantum bidui a portis urbis dissiti sunt. Rex propior, cuius copiae intra dimidium horae spatium urbem nostram attingerent, unde coniicis, non exilia modo nobis timenda esse, sed imminere crudelissimas quasque mortes, quia in causa pietatis nullus esset saevitiae modus: quo tibi minus acerba videri debet tua conditio, dum te alumni, quos senectae tuae mercedem rependere decebat, hostiliter impugnant, hominem, non modo officio nutritii summa fide et diligentia probe defunctum: sed de tota etiam Ecclesia praeclare meritum, quando vides, hoc multis aliis tecum esse commune, atque adeo mihi: nam ut me petulanter et indignissime exagitent Rabulae quidam, vix tibi credibile est. Westphalici autem, licet procul iaculantur, in sua tamen improbitate maiorem exercent contra me licentiam. Ego autem, qua cepi, ad metam nihilominus properabo. Et in Coenae quidem controversia non modo inimici mollitiem tuam, quam vocant, calumniose traducunt. Sed optimi quoque amici, et qui te colunt, qua mereris pietate, cuperent clarius fulgere ignem tui zeli, cuius tenues scintillas despiciunt, adeoque calcant barbari isti Gigantes. Quicquid contingat, fraternum inter nos amorem syncere colamus: cuius vinculum nunquam disrumpent ullae Sathanae astutiae. Fateor quidem, cum ante sex menses literas contubernalis tui Hu-

berti Langueti legerem: leviter me fuisse punctum, quod par amice, adeo etiam contumeliose de mea doctrina te loquent narrabat. Eius autem consilium erat Castalioni adulari, tuo calculo approbare eius deliria, quibus nulla hodie est dete pestis. Sed nulla unquam offensione animus meus a sancta a citia, qua te complexus sum, et ab observantia dissiliet. V clarissimum Ecclesiae lumen ac praestantissime Doctor. Domi te spiritu suo gubernet semper, diu incolumem tueatur, omni benedictionum copia augeat. Vicissim nos, Dei praesidio, q vides luporum faucibus obiectos, diligenter commenda. Colle mei, et innumera piorum turba te reverenter salutant. Summop optassem, brevibus saltem literis fraternam benevolentiam tes apud optimum generum tuum D. Casparem Peucerum, non mi pietate et eleganti ingenio praeditum, quam purioribus literis politum: deinde apud fidelissimum et ornatissimum pastorem strum D. Paulum Eberum, quorum utrumque propter suas virtu merito veneror. Genevae XIII. Cal. Decembr. 1558.

---

449. No. 6647 b. (Vol. IX. p. 669.) 19. I

Elisabethae, Balthasari a Zaschwitz uxori.

Haec epistola, cuius externa inscriptio est: Dem edlen ehruesten und strengen Anshelm von Zaschwitz, meynen gunstigen junglern 2c., ex autogra primum edita est a Clar. Friedberg in libello supra p. 404. no. 420. censito p. 9 sq.

Der Edlen und thugendsamen frauen Elisabett, des Edlen Ehruesten und gestrengen Balthasar von Zaschwitz ehliche hausfrawen zu handen.

Gottes gnade durch seynen eingebornen Sohn Jhesum Christum un heylandt und warhaftigen helfer und ein frolich new jar zuvor. Edle tug same fraue, das eyn Mensch gott mitt rechten und frölichem gewissen glauben anrufen moge, und ruhe haben in Gott, dieses ist furnemlich suchenn, Dieweil dann Euer Ehestandt nicht wider Gott ist, sollet Jr betrubniß wiederstreben, und zue gott ruhe und frieden habenn, Unnd frolich anrufen. Ich wil euch förderlich meine trostschrift stellen, dan da bisanher nicht geschehenn, Ist ursach, das ich warlich zuuil uberladen mancherley schreiben und zu solchen schriefften gehörtt zeitt, Ich will diese sache weitter nicht lenger vorzihen, ir wollett diesen spruch Sprach

trachten, Du sollt in deynen gebett nicht kleynmuttig seyn ꝛc. Der Almechtige Sohn Gottes Jesus Christus, wolle euch trosten und sterkenn.

dat. 19. Dec.
umb 1558.

Philippus Melanthon.

---

450. No. 6659 b. (Vol. IX. p. 703.) (hoc anno.)

Georgio Agricolae.

Phil. Melanchthonis Consilia (latina) edita opera Christoph. Pezelii (Neustadii 1600. 8°) P. ii. p. 316 sq.

Ad Georgium Agricolam Rectorem scholae Ambergensis, Anno 1558.

Vidisse te pagellam existimo, in qua narravimus, arte ab adversariis abruptam esse doctrinae collationem, cum quidem Rex Ferdinandus iussisset, ut procederemus. Initia non inerudita fuerunt. Disputavimus enim de norma iudicii in Ecclesia. Ea in quaestione scis multa de interpretum et legum veterum, et recentium dissimilitudine dici oportere. Si processissemus, multarum quaestionum explicatio utilis facta esset. Quod collegae quidam a nobis discesserunt, ne ab ipsis quidem accusari me arbitror. Maluissem eos nobiscum manere, et ut socios laborum, et ut testes mearum actionum. Sed ut Xenophon narrat quendam dicere, Lacedaemonios domi dissipandos esse, ut apes fumo sub alveolos facto dissipantur: ita Papistici distrahere nos intempestivis petitionibus conati sunt. Haec artificia norunt, etiamsi Xenophontem non legerunt, vincet tamen veritas.

---

451. No. 6659 c. (Vol. IX. p. 703.) (hoc anno ?)

(Consilium.)

Hoc consilium a Melanchthone manu propria scriptum, cui coaetaneus quidam in fine adscripsit: „Bedenken d. Philippj vff den Tririschen Handel", in Tabulario publico primario Dresdensi inter Melanchthoniana huius anni asservatur, ex quo primum divulgatum est a Clar. Seidemanno in Ephemeridibus: Zeitschrift für die historische Theologie anni 1859. Fasc. I. p. 139—141. addita annotatione no. 18.

Trier vnd wirtzburg khonten leichtlich vrsach zu grossen kriegen gebe denn dweil an beyden orten die Bischoff newe vnd vbermachte Tyrann vben, so ettliche fursten an beyden grentzen sich alß hewbter erzeigten, redtung der armen leut, Ist glewblich das ein groß Zulauffen wurde, vı Edlen, Reubern, vnd gemeinem volk, So sind alte Reden, Anno Sexag simo caveat sibi omnis homo

Nu Ist nicht zweifel, Es wirt Ein besondre straff vber die Bischoff v: Canonicos khomen, von wegen yhr Halstarrikeit In abgotterey, vnd Tyra ney, wie aber dises fewr anfahen wirt, vnd welche es vff beyden teilen fu nemlich beruren wirt, das wirt die zeit anzeigen,

Ob woll nu Trier vnd wirtzburg gegen yhren vnterthan tyranney vbe so khonnen doch dise fursten mit Recht vnd secundum Regulam zu reden, l Bischoff der halben nicht vberzihen, Denn die Reichß abschied lassen Zu, d sie Es mit yhren vnterthan In der Relligion halden, wie sie es bißanl gehalden haben, vnd gebieten das khein furst derwegen wider den andern kri furneme,

So Ist auch sunst In gottlichen vnd keisarlichen Rechten vnd Im Lar friden verbotten, daß kheiner frembde Jurisdiction mit gewalt verhindern sc Dises Ist alles offentlich, vnd Ist also Regulariter zu halden,

Das man aber dagegen disputirt, Ein christ soll sich des andern anı men, vnd den vertrukten redtung thun, Wie Macabeus vnd Constantin gethan, Daruff Ist dise antwort, Ein christ soll sich des andern annemen, d Ist war, ordentlicher weiß, vnd so viel moglich Ist, wurden doch dise furst auch nit leiden so sie Einem vnterthan gewalt theten, das andre vnterth der wegen vffruhr anrichten, mit disem schein, Es sollt sich Ein christ l andern annemen,

Da Zu Ist auch die moglicheit zu betrachten, Denn also Ist geschribı Date Eleemosynam pro facultatibus 2c., vnd hatt die vnmoglikeit eı schuldigung,

Macabeus hatt nicht Ein neben fursten angriffen, sondern Ein offe: lichen feind, der Zuuor den krieg wider die Juden grawsamlich angefang

Es hatten auch die Juden kheinen andern oberherrn, Zur selbigen zı denn allein Gott, wir aber sind des Keisars vnterthan, der beiden teiln f den geboten hatt, vnd sollen disen spruch halden, Omnis anima potest superiori subdita sit

vnd Ist In summa, der krieg Macabeorum, manifesta, Iusta, ı cessaria, et Regularis defensio,

Des gleichen hatt Constantinus vrsach gehabt wider Licinium, de Ehr vnd Licinius haben zuuor zugleich Ein Edictum gemacht, das christen der Relligion halben, solten gesichert sein, In beider provinci

Disen vertrag hatte ernach Licinius nicht halden wollen, vnd ist Constantinus wider yhn gezogen alß wider Ein fridbruchigen, der seine Eigne Edicta vnd vertrege nicht gehalden hatt,

Dazu Ist auch den Jetzigen zu betrachten, ob sie Macabej vnd Constantini sind, Es woldens Iude Macabeo andre nachthun, Aber Es war nicht gluck dabey, Solche redtungen, wenn sie gleich Regulares sind, bedurffen sie dennoch sonderlicher gottes hulffe,

So hatt Constantinus Ein gleiche vnd grossere macht, denn Licinius, vnd thaten Ihm die Franken die zeit hulff,

von der moglikeit zu reden, Ist Ja offentlich das die Bepstlich macht, mit Gelt, wenig vnd Einikeit grosser Ist.

So sind die fursten vnd stedt dises teils In weltlichen vnd Religion sachen vneinig, vnd Ist Ein grossz mißtrawen das sich Einer vor dem andern besorgen muß,

Ich khann auch nicht gedenken wie vnter yhnen Ein Einigen hohisten haubtman zu machen moglich were, wie Constantinus allein hohist haubtman gewesen ist,

Die fursten vnd Stedt wissen wie Im vorigen krieg grosse vneinikeit zwischen hertzog Johan fridrich, Wirteberg vnd hessen sich zu getragen,

vnd so sie sieg gehabt hetten, Ist nicht Zweifel sie hetten ernach Einander selb schlagen mussen,

Will aber Jemand Irregularia furnemen, der selb noch nit angriffen Ist, der soll selb dises groß werk betrachten, wie der alt pfalntzgraff friderich gesagt hatt, Ehr mussze selb schliessen, ob Ehr kriegen oder nicht kriegen soll, denn seine fahrlikeit sey die grossisst, Ehr wolle auch der Rätte gewissen damit nicht beladen, das sie Ernach so vngluck fur fiele, sich betruben solden alß hetten sie den herrn zu vngluck gefuhret,

Das man aber dagegen spreche, Sollen wir denn also vngewiß sitzen, vnd stettigs des vberfalls gewarten, war isth, solche sorg thuet wehe, gleich woll sind Irregularia vnd vffruhren nit zu radten,

Zum andern wouon wollen doch dise fursten vnd stend kriegen, so sie elb In der lehr nicht Eintrechtig sind vnd spaltungen selb vnter sich fur vnd fur machen,

So sie Ein sieg hetten, waß wolden sie fur Ein lehr In gemein vffrichten, sie wurden sich auch kheiner gleichen lehr vereinigen,

Item so sie die Bistumb zerrissen, Ist die forma des teutschen Reichs gantz zerrissen,

Welche nu christen sind, fursten, regenten vnd lehrer, die halden sich dises trostes, was aus Gott Ist, Das khann nicht vertilget werden, ob gleich

harte sturmwind dagegen khomen, mit solchen spruchen trost Ich mich, das E rechte kirch bleiben wirt, das Ist Ein heufflein das rechte lehr vnd rechte a ruffung behelt, ob gleich die weltliche Regiment mancherley verendrung h den werden,

So aber Ein furst dises teils angriffen wurde, vnd ettliche andre tr erzeigen, so die selbige Redtung theten, dises were Ein ordenliche vnd Rech defensio.

ANNO 1559.

452. No. 6685 b. (Vol. IX. p. 737.) 9. Feb

Io. Brentio.

Hanc epistolam ex autographo in Bibliotheca Stuttgardiana asservato pı mum edidit Th. Pressel in Anecdotis Brentianis (conf. supra p. 42 no. 442.) p. 454 sq. no. CCLVIII.

Reverendo viro eruditione et virtute praestanti Domino Ioan Brentio gubernanti Ecclesiam Dei in ditione inclyti Ducis Wirtenbergensis etc., carissimo fratri suo.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Existimo ad v missum esse Gorgonem seu Palladis aegidem, quam aula wimar ensis et nobis et aliis opponit. Me ab illis lacerari, mea causs non valde doleo; sed stabiliri ab illis mendacia et Idola, propt gloriam Dei et propter Ecclesiam valde doleo. Sed haec sunt tr stia deliria ultimae senectae mundi. Oro autem filium Dei, nostra vulnera sanet. Si vivam diutius, tecum coram de his rebı loquar. Nunc de Hieronymo, qui in Salinis diu fuit audit tuus. Fuit aliquamdiu apud Chytraeum Rostochii, postea ad n rediit. Nec de caussis calamitatum ipsius quidquam disputo. S mus enim et nos aerumnosi et non de causis queri volumus, s auxilium petimus. Hic Hieronymus potest esse usui in docen iuventute. Si igitur honestas operas haberet, sperarem recte f cturum esse officium. Coniugem etiam flecti posse sperarem, ad maritum rediret. Si possunt haec sanari, quaeso ut annitari Hortatus sum eum ad frenandam iracundiam et ad ferendam serv tutem. Sed conspectus coniugis et $\sigma\tau o\varrho\gamma\acute{\eta}$ erga sobolem plus n stris cohortationibus valere deberet. Denique totum negotium

prudentiae tuae commendo. *Τελείη ἀρετὴ μόνον τοῦ ϑεοῦ γέρας ἐστίν*, ut et Plato inquit. Quare communes infirmitates feramus et si quae leniri possunt leniamus. Veteres leges non habuerunt leves causas, cur aliter consulerent iis, quos viderunt *ἀστόργους*. Sed te oro, ut studeas coniungere voluntates. Bene vale. die nona Februarii Anno 1559.

Philippus Melanthon.

---

453. No. 6698[b]. (Vol. IX. p. 749.) 27. Febr.

Georgio Agricolae.

Hanc epistolam, quam Prof. Scheler ex Professoris Van de Velde Apparatu Melanchthoniano in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 7. p. 98. epist. 1. primum edidit, hoc anno 1559. esse scriptam, ex eo elucet, quod Agricola in autographo Tabularii Ratisbonensis ad marginem scripsit: Accepi a. 1559. d. 10. Mart.

Clarissimo Viro eruditione et virtute praestanti Georgio Agricolae in inclyta urbe Amberga regenti studia doctrinae, fratri suo carissimo.

Quantus erat dolor in Cananaea matre puella,
— — — — — — —
— — — — — — — —
De mensa petimus pabula Christe tua.[1])
Gnate dei generis nostri massam induis, ut nos
Vivifica infirmos haec tua massa gerat.

Haec vota scribo, ut meum dolorem ostendam quo adficior propter publicas calamitates. Ardent ecclesiae dissidiis et nunc audio bellum in Bavaria moveri de quo[2]) scribis mihi. Schallingo et vobis omnibus salutem opto. De voluntate humana respondi etiam in Bawaricis articulis[3]). Bene vale, carissime. d. 27. Febr.

Philippus Melanthon.

---

1) Haec priora septem disticha legantur in Corp. Ref. X. p. 623. in carmine inscripto: *De matre Cananaea, Matth.* 15., quocum consentiunt, extremum autem octavum huius epistolae ab octavo illius carminis differt.

2) quo] sic scripsi; in Serapeo l. l. legitur: qua

3) Conf. Corp. Ref. IX. p. 638 sqq.

454. No. 6699b. (Vol. IX. p. 750.) 1. Mart.

Francisco Balduino.

Haec epistola invenitur in hocce libro: Francisci Balduini Responsio altera ad Ioannem Calvinum (Coloniae, apud Kernerum Richwinum. a. 1562. 8°) p. 142., ex quo Rev. Krafftius, Past. Elberfeld., mihi benigne eam descripsit.

(*Inscriptio deest.*)

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Extat apud Clementem Alexandrinum vetus Iustitiae definitio, quae recte intellecta dulcis est: *δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεοῦ, μετὰ ἰσότητος.* Prior pars loquitur de priore tabula Decalogi, altera pars de secunda. Ac profecto utramque complecti bonas mentes oportet. Te igitur iuris et iustitiae Doctorem, scio non tantum forenses leges, sed etiam eam doctrinam cogitare, qua sese Deus humanis mentibus communicat, et utrumque bonum expetere, *κοινωνίαν θεοῦ, καὶ τὸ νόμιμον ἴσον.* Quare te et diligo et venero, ac opto in Academiis et in Aulis tales esse multos iuris doctores. Bene vale. Cal. Martii. M. D. LIX.

Philippus Melanthon.

---

455. No. 6722b. (Vol. IX. p. 792.) 30. Mart.

Henr. Bullingerus ad Melanchthonem.

Haec longa epistola exstat in Epist. T. I. p. 471. locul. C. in Tabulario Ecclesiae Tigurinae ex copia per iuniorem Henricum Bullingerum facta. Eius apographon Clar. Voegelino debeo

(*Philippo Melanchthoni.*)

S. D. Reverende Vir, Domine colendissime et frater carissime. Accepi ac legi quas ad me misisti literas et librum, pro quo et gratias ago tuae humanitati. Ac merito sane queritur Ecclesia, se impeti cum ab amicis, tum inimicis. Dissidia enim, quae excitantur[1]) in Ecclesia etiam ab illis, quae columnae quaedam Ecclesiarum videri volunt, mirum in modum remorantur apud gentes varias salubrem Evangelii cursum, perturbant item vehementissime simpliciores, infirmiores vero offendunt, vel hoc potissimum nomine, quod liquido cernunt illa omnia oriri et geri per ambitionem,

---

1) excitantur] sic scripsi; apographon habet: exercitantur

odium, contentionem, et inflexibilem pertinaciam. Unde iam Dominus, iudex iustus, Diocletianos, Maximinianos et Maxentios Ecclesiae ceu ἀλάστορας immittit, Papistas puto, Scythas et Turcas, quos tanto saevius in Ecclesiam alioquin afflictam satis, irrupturos vereor magis atque magis, quanto atrocius implacabiliusque saevierint illa nostrorum odia implacabilia, et dissidia semet ipsis subinde maiora. Nihil hic dicam de moribus vulgi corrupti, deque impuritate et prodiga avaritia eorum, qui inter fideles excellere volunt. Novum vero non est, si Dominus vindictam suam auspicetur a domo sua. Simul enim punientur Antichristiani Papistae, punientur et impiae ac barbarae gentes, sicuti et olim factum quoque videmus, quando sub Principibus Romanis, gravissimis persecutionibus premeretur Ecclesia Christi, interim vero et Principes Romani, cum suis exercitibus mutuis conciderent caedibus. Cedit afflictio haec Divina piis semper ad probationem vel emendationem, nisi et ipsi in medio igni oculos aperire per Dei gratiam nolint, sicuti et impiis perpetuo ad interitum cedit. Et quidem commemoratio et contemplatio tristium profecto harum rerum non potest pios non excruciare quam vehementissime. Ceterum cum tales sint seculi nostri mores, quales esse experimur cum dolore et indignatione, quid obsecro a Domino iusto expectaremus. In his tamen omnibus consolatur illud quam maxime, quod palam videmus ista omnia nobis praedicta esse ab ipso Domino Iesu, denique a vetustis illis Divinisque Prophetis, et ab electis sanctissimisque eius Apostolis, qui suavissimis consolationibus in turbis illis laborantes fideles erigunt atque confirmant. Neque vero parum consolationis et illud adfert, quod speramus non procul abesse diem illum Domini, omnibus sanctis exoptatissimum, diem, inquam, redemptionis nostrae, ac restitutionis omnium. Proinde fideles omnes vigilant, et deprecantur sedulo Dominum, ut liceat ipsis superare et effugere mala ista postremi nostri seculi omnia, et stare ante filium hominis. Quid sentiam de responsione tua ad articulos inquisitionis Bavaricae, intelliges ex libello meo Germanico, quo et ipse iisdem illis respondi, quem spero tibi Francofordia missum esse a Froschovero nostro, qui hoc se fideliter facturum promisit. Verum plures ad me missi sunt articuli, quam videam te accepisse, nisi per tua negotia ad omnes respondere nolueris. Tu enim ad XXIV. tantum respondisti, ego vero ad LXI. respondi: cum tamen prius in charta Germanica multo plures[1])

1) Scil. 31 articulos, conf. Corp. Ref. IX. p. 640—642.

recensueris, quam modo explicaveris. Ceterum hic dissimulare non possum, quod ipsa ingenuitas et caritas dissimulare vetat. Tu pro tuo candore et amore boni haec mea consulas oro, qui iubebas, me tuis respondere literis, qui denique non ignoras libera apertaque animorum explicatione, retineri et augeri veram amicitiam. Tractatio tua de libero arbitrio videtur mihi quidem multa a proposito aliena habere, et admodum esse obscura ideoque adversariis nostris, alioqui acutis, suppeditatura [1]) inexplicabilem rixandi materiam. Scis eam disputationem Ecclesiae permultum dedisse dubitationum, tentationum et turbarum, utilitatis vero aedificationisque parum. Petita est enim ex Philosophia, quae semper turbavit Ecclesiam. Cumque non multum operae colloces, quantum ego quidem videre possum, in defendenda confessione illa Innocentiana, re vera interim nocentissima. Quae fieri iubetur proprio Sacerdoti, cum explicatione circumstantiarum peccati commissi, miror cur tantopere urgeas retinendam esse in Ecclesia Dei privatam illam absolutionem, quae quomodo ab illa avelli possit, ut et illa non maneat quoquo modo nondum video. Illud autem manifeste video, privatam illam sacerdotis absolutionem in veteri et primitiva Ecclesia non fuisse in usu, sed inolevisse cum confessione illa privata, quae mala dedit Ecclesiae Christi nunquam satis explicanda: adeo ut si quid utilitatis illa haberet, tamen illa propter hanc prudentes facile carere posse videantur.

Ad articulum nonum [2]) respondens, manifeste, et quidem rectissime fateris, Papistas committere idololatriam apertam, dum Christum Dominum in Sacramento adorant, eamque ob rem necessario ipsorum coetus esse fugiendos, iuxta illud: Fugite idola. Mox tamen idem fateris, Coenae sacrae Christum Dominum vere et substantialiter adesse. In praesentiarum (?) vero ego non video, quomodo non debeam Dominum meum Iesum Christum, verum Deum et hominem adorare, et ibidem quidem adorare, ubi adest vere et substantialiter. Habebunt hic, sat scio, adversarii, quo te urgeant ac vexent, praesertim cum in apologia Confessionis Augustanae illa verba decimo confessionis articulo adiiciantur, vere, inquam, et substantialiter sacramento adesse Dominum. Insuper et illud adiiciatur: Non improbat hunc articulum Caesarea Maiestas. At quid probarit Imperator in illis ipsis comitiis, et in hac eadem causa, si non aliunde palam, certe quam significantissime colligitur ex verbis recessus illorum Comitiorum, quae quidem

1) suppeditatura] sic scripsi; apographon habet: suppeditaturam
2) Vide Corp. Ref. IX. p. 641. no. 9.

sic habent: Mandamus, ut in toto Romano Imperio constanter credatur et doceatur, quod sub speciebus panis et vini, et sub qualibet earum, verum corpus et verus Sanguis servatoris nostri Christi Domini substantialiter et vere praesentia sint etc. Quis autem hic non videat, hunc esse errorem illum in Eucharistia Papisticum, quem Ecclesiae Dei inde ab annis 600 obstrusere primum quidem infelices Benedictini, deinde vero maledicti mendicantes Monachi? Hoc enim liquido testantur non tam Historiae, quam libri istorum temporum, quibus si conferatur res vetustioris Ecclesiae, diversum protinus ab istis relucet. Veteri satisfactum erat certe, si quis in hoc negotio mysterium vel Sacramentum agnovisset, ac confessus fuisset ingenue, Christum Dominum Ecclesiae suae Coenam celebranti adesse praesentem suo spiritu, sua potentia, maiestate et gratia. Christi denique corpus verum, et sanguinem verum edi et bibi in Coena sacramentaliter adeoque et spiritualiter per fidem. Quam quidem perceptionem sancti tam efficacem esse crediderunt, adde et experti sunt, ut veterum apostolicorum virorum nemo cogitaverit aut dixerit, inania aut inefficacia fore illa symbola, nisi etiam corporali Christi adimpleantur praesentia. Haec hausta et sumpta faciunt sane, ut Christus sit in nobis, et nos in Christo, sed more mystico, vel spirituali, per fidem: quando Apostolus apertissime dicat: Christus per fidem inhabitat in cordibus vestris. Et rursus: Vivo iam non ego, sed vivit in me Christus, et quidem per fidem vivo Filii Dei etc. Sed quid Apostolum citamus, cum ipse Dominus manifeste dixerit: Qui edit meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Et paulo ante: Ego sum panis vitae. Qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam. Unde rursus legitur dixisse Apostolus: Quisquis confessus fuerit, quod Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. Certe his probe observatis piissime verba Domini in Evangelio exponens beatus Augustinus tract. in Ioannem XXVI. Hoc est, inquit, manducare illam escam, et illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dubio non manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter et visibiliter premat dentibus sacramentum corporis et sanguinis Christi: Sed magis tantae rei sacramentum ad iudicium sibi manducat et bibit: quia immundus praesumpsit ad Christi accedere Sacramenta: quae aliquis non digne sumit, nisi qui mundus est. De quibus dicitur: Beati mundo corde. Idem in eodem paulo

ante dicit: Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat, accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Haec ille Ab his vero omnibus quam aliena sunt, obsecro, illa imperatoria et Pontificia de hoc Sacramento dogmata, de corporali, inquam, substantialique in Coena praesentia Christi, cuius corpus et sanguinem verum, non modo fideles, sed infideles quoque, licet porci et canes, non tantum sacramento tenus, sed vere insuper et realiter et substantialiter percipiant? Et qui ita sentiunt, eo delapsi sunt, ut abhorreant a vocibus ***spiritualiter*** et ***sacramentaliter***, vel ***mystice***, quibus usi sunt commode, et utiliter vetusti, utuntur autem nostri illi vocibus non perinde usurpatis ab illis, realiter et substantialiter etc. Quae cum revera ita habeant, cupimus sane nos pro ea, quam a Domino consecuti sumus, gratia, simplicem et puram illam reducere in Ecclesiam Christi veritatem, abolere vero errores illos Papisticos, postremis illis seculis, (secundum vaticinium Christi Matth. XXIV et Danielis XI cap.) ab execrabilibus et sophisticis Monachis Ecclesiae Dei obtrusos, Regibus quoque et Principibus ad hoc idolum statuendum et confirmandum ignis et gladii usum impie accommodantibus. Scimus autem, moliri et agere nos rem in mundo alioquin impossibilem, sed scimus interim et hoc, apud Deum non impossibile esse ullum verbum. Pergimus ergo in nomine Domini, in opere Domini, sentientes in hoc non modicum profectum ex gratia Dei assistentis nobis. Atque te quoque hortamur, optime frater, ut et te nobis coniungas, et ut de hoc negotio sic pergas loqui et scribere, ut quid sentias, liquido cognosci, intelligique possit ab omnibus, etiam simplicioribus. Petunt hoc a te omnes pii per Germaniam, Italiam, Galliam, Angliam, Poloniam etc. Mandat hoc ipsum tibi Dominus et Servator noster. Suspensos sane tu adhuc aliquot bonos viros tenes, qui utcunque utaris illis Augustanis et Imperatoriis verbis ***vere*** et ***substantialiter***, sperant tamen hi, te non facere cum Papistis, et quibusdam contentiosis fratribus, sed te syncerius sentire de sacris mysticis, adeoque temet ipsum pro tua pietate clarius adhuc expositurum de hoc sacro mysterio sententiam explicatiorem, purioremque, ac minime ancipitem: maxime cum hoc anno interpretans III cap. Apostoli ad Coloss. diserte testatus sis, te non facere cum illis, qui et corpus Domini per omnia extendunt, et ubique esse contendunt, et qui coelum negant esse loci nomen, et Christi corpus, hoc, ut locum, propter veri corporis modum occupare. Atqui non potes ignorare, quomodo haec tua excepturi et exagitaturi sint fratres illi nostri, qui hactenus magnis clamoribus contra-

riam defenderunt et multis obtruserunt sententiam, adde ergo, mi Philippe, istud, quod ex illo, quod ad Coloss. professus es, sequitur, Christi in coena praesentiam et manducationem non esse corpoream aut carnalem, id quod adversarii nostri per ***vere*** et ***substantialiter*** intelligunt, sed mysticam et spiritualem: quae quidem in suo genere non minus vera est, quam corporalis: ut iam non commemorem, quid nobis Christus in collatione corporis sui et spiritus, praesentiae, inquam, carnalis et spiritualis reliquerit expositum et manifestissime quidem expositum Ioannis XIV, XVI etc, Hoc si feceris, Philippe doctissime et carissime frater, praestabis sane Deo officium debitum, exhilarabis quoque omnes viros pios, qui hoc a te expectant, quos et in confitenda veritate reddes alacriores, et rem praeterea facies immortali gloria dignam: cum videlicet in eo capite doctrinae Antichristo te opposueris, in quo scis illum constituere proram et puppim, quod dici solet. Si vero fratres nostri morosuli et rixosi illi ita, ut iam ceperunt, te sacramentarium persequi perrexerint, scies manifeste cuius rei gratia, nimirum propter expressam veritatem sustinere te persecutionem. Atque hoc laudem tibi conciliabit, hostibus veritatis terrorem incutiet. Ne tantum, obsecro, tribueris existimationi, aut iudicio huius seculi, ut segnius facias, quod faciendum suadet sanctus Dei spiritus. Neque D. Aurelium Augustinum puduit, ea, quae aliquando obscurius proposuit, illustrare perspicacius. Ac vir bonus et sapiens, si quid aliquando ex affectibus, ex instinctu aut respectu aliorum, aut pro ratione temporum periculorumve, implicatius aut minus expensum dixit, aut fecit, postea vero per Dei gratiam et per longi temporis exercitationem illud ipsum explicatius et perspicacius dicendum et faciendum esse intelligit, certe non hoc propter illud olim, inquam, dictum aut factum incogitantius, vel omittendum, vel dissimulandum, aut etiam in medio anceps relinquendum existimat. Nam lucis et purae veritatis potiorem rationem habendam esse novit. Cumque sexagenarius sis, Philippe, et fractus diutinis laboribus et moeroribus, non multum posthac temporis vives. Migrandum erit tibi ex hoc seculo, et quidem brevi adeundum erit iustissimi iudicis tribunal, ubi et ratio reddenda erit iudici non tantum de dictis et factis omnibus, sed etiam de omissis. Mundus hic et mundana omnia, ut fluxa sunt et fallacia, ita non iuvabunt in illo die tantillum. Agnoscit Christus Dominus omnes illos, qui in veritate et simplicitate cordis illi servierunt, ipsumque fecerunt pluris, quam universum hunc mundum cum sua gloria. — Erasmus ille Roterodamus, dum viveret magnus, ut scis,

fuit vir, idque propter multifariam eruditionem et labores non ii utiles. idem vero ubi hinc migravit, omaem prope existimatione apud optimos quosque amisit. Neque obscurum est, cur hoc vii tanto, et quidem iusto Dei iudicio, usu venerit. Agnovit enim vi ritatem, et si voluisset perspicacius subinde et liberius in mediu proferre potuisset, sed cum hac in re vehementer afficeretur f vore potentum, qui puram veritatem fere ferre non possunt, et p riculorum terrore cohiberetur, interim vero et veritatem amantibi gratificari vellet, scripta sua sic sibi temperanda putavit, ut tu Evangelici, tum Papistae sibi pollicerentur, Erasmum a suis stai partibus, cum revera utrosque detineret suspensos, ac incertos r linqueret. Tu itaque Philippe optime, frater in Christo carissim et semper colendissime, cum tibi quoque munificus Dominus doi contulit ingentia, ea sic dispenses, hortor, ut universa posterit attestetur, disertum te et minime ancipitem fuisse aeternae ver tatis, contra Antichristum, martyrem. Id quod de te nobis liber liter pollicemur, orantes Dominum, ut te conservet, quem et ti nuspiam defuturum confidimus. Per eundem vero tuam oro Pi tatem, ut haec a me tui amantissimo, pectore syncero profec benigne accipias, et sicubi liberius forte videar locutus, bene inte preteris, atque mihi condones. Deus enim testis est, quod te d ligam in veritate. Clarissimus vir D. Petrus Martyr salutat te qua humanissime. Vidisti iam procul dubio opus eius, quo respond Steph. Wintoniensi Episcopo in causa Eucharistiae. Spero libru hunc, cum scripturae et Patrum testimoniis omnia fuse, docte perspicue, nec non religiose tractet, multis non contentiose occo catis hominibus in hac causa satisfacturum. Vive et vale in Chi sto semper. Dominus benedicat tibi tuisque in perpetuum. Saluta te fratres et Symmystae nostri. Salvi sint etiam omnes fratr et symmystae tui.

Tiguri XXX. Martii 1559.

Heinrychus Bullingerus,
tuus.

Filius meus Heinrychus, in quem multa contulisti benefic dum apud vos Wittembergae esset,[1]) quo nomine me tibi tuisq multum debere fateor, ex Italia tandem incolumis rediit et mo Ecclesiae Christi, Dei gratia, ministrare cepit. Is te salutat re renter, et se tuis commendat precibus. Non potui hanc epistol describere eleganter, vel quod dicunt, ad mundum, angustia te

1) Conf. supra p. 402. no. 418.

poris exclusus, sed et negotiis variis impeditus, oro itaque humanitatem tuam, ut quidquid hic peccatum est, mihi condones. Iterum vale. — Nulli vero hanc tradidissem epistolam, nisi soli Sebastiano nostro, quod syncera eius fides mihi esset perspectissima, ac certo scirem, me solum cum solo colloqui. Dominus Iesus servet te in perpetuum etc.

---

456. No. 6726 b. (Vol. IX. p. 796.) 6. April.

Senatui Francofordiensi.

Hanc epistolam atque alteram sub no. 458. sequentem a Rev. Dr. Steitzio in tabulario Francofordiensi repertas illustratasque primum ex autographis edidit Director Dr. Ioh. Classen in gymnasii Francofordiensis programmate, quod in memoriam Melanchthonis ante trecentos annos d. 19. Aprilis mortui scripsit. In eo praeter gymnasii annales continentur: *„Ueber die Beziehungen Melanchthons zu Frankfurt am Main. Vom Director. Nebst einem Nachtrag von Herrn Pfarrer Dr. Steitz."* (*Frankfurt a. M.* 1860. 4°) p. 36. et 37.

Den edlen, ernvesten, erbarn vnd weisen herrn Burgermeistern vnd Radt der kaiserlichen loblichen stadt Frankfort am Main, meinen gunstigen herrn.

Gottes gnad durch seinen eingebornen son Jhesum Christum, vnsern heiland vnd warhafftigen helffer, zuvor, edle, ernveste, erbare, weise, gunstige herrn, ewr erbarkeit schrifft von anzeigung eins christlichen predicanten hab ich empfangen vnd bei mir auch mit radt vnsers pastoris [1]), vff einen mann gedacht, der ein recht christlichen verstandt hatt vnd ist gottforchtig vnd friedliebend, ist ettlich jar in ministerio gewesen vnd noch, ich habe aber noch nicht antwort von ihm vnd hoff, nach dem Leipziker mark E. erbarkeit entlich antwort zuzuschreiben, denn Gott, der alle hertzen erkennet, weiß, das ich gern wölt, das in ewr vnd allen kirchen christlicher lehr christenliche bestendige einikeit were, darumb bitt ich gott auch teglich in grosser betrubniß. Fur den weyn, damit mich E. erbarkeit begabet, dankh ich vleissig, vnd viel mehr fur die fruntliche zuneigung, die E. erbarkeit alle zeit gegen mich erzeigt haben.

Ich bitt auch demutiglich fur einen armen jungen gesellen, genant Nathanael Magirus von Tribur, der in Frankfort erzogen ist vnd ist von gott

1) Steitz adnotavit: *D. Paul Eber, vergl.* Corp. Ref. X. 291 *flg.*

mit gaben ingenii wol geziret, hatt auch durch gottes gnad also loblich dirt in gottlicher lehr vnd loblichen kunsten vnd sprachen, das ehr in universitet ein nutzlicher legent sein khunt, dieweil ehr aber jung ist, ehr gern lenger studirn, darumb bitt ich in betrachtung seiner gut ge lichkeit, E. erbarkeit wolle vater sein, denn er ist ein armer wais, so 1 E. erbarkeit, das geschrieben ist, du solt des waisen vater sein, so wirt gott mehr lieben, denn dich dein eigne mutter liebet. Derselbige allme gott, vatter vnsers heilands Jhesu Christi, erschaffer aller Creatur vnd waisen vatter, wolle gnediglich vns allen als armen helffen vnd der l stat Frankfort, vnd E. erbarkeit vnd die ewren gnediglich bewaren. 6. Aprilis 1559.

Ewr erbarkeit

armer
diener philippus Melanthon.

---

457. No. 6748 b. (Vol. IX. p. 814.) 6. I

Ulrico a Schwerin.

Hae literae primum editae sunt a Baxmanno in Ephemeridibus Zeit für die historische Theologie anni 1861. Fasc. IV. p. 626 sq. epist. X

Dem Edlen, Ernvesten vnnd gestrengen Ulrich von Swerinn, Er Marschalck im Hertzogthum Pommern vnd meynem gunstigen Herrn.

Gottes gnad durch seynen eyngebohrnenn Sohnn Jesum Christum sern Heilandt vnnd warhafftigen Helfer zuuor, Edler, Ernvester, gestr Herr Marschalck, Ich Armer vnnd vnbekandter bitt, E. Ernvester welle meyne schrifft, belangend Eyn Jungenn Armen Waisenn Daniell Gartzen Ehrwirdigen Johan Gartzen des Etwa Lectors zu Gripswald gewesen 6 gutwillig vernemenn, den es ist geschrieben, du solt der wäisenn vater sei wirdt dich gott mehr lieben, den dich dein Eigne Mutter liebett, diese bige verheissunge solle uns alle billig bewegen, den Armen Wäissen die gottfürchtig findt vnd Ehrliche Erbeidt furhaben hulffe zu thun. N dieser Daniell Gartzen in studio Iuris zwei Jahre ein guthen anfang macht vnd gedenckt mit gottes hulff darin fortzufahren, damit Er in E Erbeidt auch zu guthem in Christlicher regierung dienen kunne. Diewe aber Ein ahrmer Weiss ist, Rufft er Ew. Ernveste an umb ein hulffe büchern, den ehr zum wohlangefangen studio wie E. Ernveste bedencken die furnemsten Scribenten in Iure haben mus, dazu Er E. Ernveste

40 taler in Demuth bitt. Dieweill dan Ew. Ernveste den gottfürchtigen Man dieses Daniels Vater gekandt hat vnnd weiss das er Sechs Söhne vnnd zwo töchter, die noch bei der Armen tugendlichen Mutter in jungfrewlichen stand erzogen werden, gelassen hat, vnnd wirdt die Mutter jetzund durch den Eltesten Sohn Christlich vnderhalten, Bitt ich umb gotes willen, Ewr. Ernvest alls Eyn Christlicher vnnd Loblicher vom Adell, woll mit dieser Armen Weisen Vater sein, vnnd diesem Daniell veterliche Hülffe thun. Diese wolthat ist Gott gewisslich wollgefellig, vnnd wirdt dagegen der Allmechtige Gott, der Weisen Vater Ewr. Ernveste vnnd die Ewren auch sein gaben des milder geben, der wolle auch Ewr. Ernveste vnd die Ewren alzeit gnediglich bewahren. Datum 6. Mai 1559.

E. Ernveste Diener

Philippus Melanthon.

---

458. No. 6748b. (Vol. IX. p. 814.) 9. Maii.

Senatui Francofordiensi.

Hae literae in eodem Classenii programmate, quod supra sub no. 456. recensui, p. 37. ex autographo primum editae sunt.

Den erbarn, weisen vnd fornemen herrn Burgermeister vnd Radt der loblichen keiserlichen stadt Frankfort, meinen gunstigen herrn.

Gottes gnad durch seinen eingebornen son Jhesum Christum, vnsern heiland vnd warhafftigen helffer, zuvor, erbare, weise, forneme, gunstige herrn, ewr erbarkeit schrifft hab ich empfangen, darine gemeldet, das ewr erbarkeit eine tüchtige person[1]) zum predigtampt angezeigt sey vnd ich derhalben weiter nicht durffe mit andern davon reden. Nu ist mir am liebsten, das ewre kirchen seer wol versorget sind mitt christlichen vnd friedliebenden predicanten; ich hatt auch fur, ewr erbarkeit einen anzuzeigen, nemlich magister David Voit[2]), der noch zu Jhen ist, der gezenk zu fliehen nicht vngeneigt sich an ander Ort zu begeben; ich will ihm aber schreiben, was mir ewr erbarkeit in der nehesten schrifft angezeigt. Ich bitt auch ewr erbarkeit, sie wollen nicht vnnotig gezenk erregen lassen; der allmechtige son gottes, der ihm gewißlich ein ewige kirchen durchs evangelium, vnd nicht anders, samlet, wolle gnediglich ewr

---

1) Nempe Petrus Elfeldt seu Eltwil, quem Senatus ante prioris epistolae Melanchthonis adventum (quam demum d. 16. Aprilis accepit) d. 13. Aprilis elegerat, vide Steitz l. l. p. 36.

2) De hoc viro prolixius disserit Steitz l. l. p. 37 sqq.

kirchen vnd lobliche stadt vnd ewr erbarkeit vnd die ewren allezeit bew
Datum Nona Maii 1559.

Ewr erbarkeit

williger

philippus Melanthon.

---

459. No. 6750ᵇ. (Vol. IX. p. 816.) 14.

Maximilianus, Rex Bohemiae, ad Phil. Melanchthon

Huius epistolae apographon, quod amicus Prof. theol. Dr. Brieger denuo benigne descripsit, d. 18. Iunii 1559. a Cancellario Dr. Mordeisen Augustam Vindelicorum ad Dr. Georgium Cracovium Ele Saxoniae Legatum missum est.

Maximiliann vonn gots gnadenn Kunig zu Behem Ertzhertzog zu Osterreich 2c.

Ersamer lieber besonnder, Wir habenn euer schreibenn so Ir vns Georgenn Purkhircher gethann sambt vnd neben des zugeschicktenn D auff die jungst gehaltene Beierische Inquisition 2c. empfangenn, vnd gnel vorstandenn, Vnnd gereicht vns solchs von euch zu gantz gnedigem gef Da wir euch ietzt gedachtem Purkhircher, vonn euernn wegen, vnd auff Recomandationn gnedigste befurderung ertzeigen kontenn, Woltenn wir selbenn nicht vngeneigt sein, Welchs wir euch also zur antwordt gnedige geneigter meinung nicht wollenn bergenn, Vnnd nach dem wir erinner berichtet werdenn, Das man dieser Zeit inn kegenwertigenn Reichsta Augspurg wiederumb die Religionn sachenn vnder die handt zunemenr darinnen zu Tractirenn vorhabens ist, Wir auch wol wissenn das I euer personn bei allenn loblichenn Churfurstenn Furstenn vnd Stendem Christlichenn Augspurgischenn Confession ein sonders ansehenn vnd volge So ist vnser gantz gnediges vnd wolmeinendts ersuchenn vnd vormaner euch, Ir wollet euch obenangeregte streitige Religionn vnd die Gotseli liebte vorgleichung derselbenn treulichen ob vnd angelegenn sein lassen, f lich dohinn bedacht sein, vnd befurdern helffenn, Auff das bei wolgedachte Christlichenn Augspurgischen Confessionn Vorwanten teil, souiel mugilch alle liche lindigkeit vnd glimpf gebraucht, vnd die scherffe vormiedenn werde, One wir dann sorge trugenn, bei dem gegenpart langsam, Was fruchtbars ausg Vnd einige vorgleichung schwerlich stadt haben wurdet mogen, Wir ir dan e erfarne vnd geubt selbst zubedenckenn, Wir auch nicht zweiffeltenn Ir z chenn gotseligenn lang gewunschten voreinigung ein sonders hertzlichs v

genn vnd begirde habt, Vnnd da wir donebenn fur vnser personn dartzu helffenn, ratenn, vnd befurdernn kontenn, Inn denn wolten wir auch an vns nichts erwindenn lassenn, Inmassenn wir vns dann, als ein Christlicher Konig, vnd liebhaber der Warheit schuldig erkennenn vnd wissenn, Das wir euch also bei dieser gelegenheit (Weil wir euch one das schreibenn sollenn) mit vormeldenn habenn wollenn, Gebenn zu Wien denn Viertzehendenn tag May Anno rc. im Neununndtfunfftzigisten Vnsers Behemischenn Reichs im Eilfftenn,

Maximiliann.

---

460. No. 6769b. (Vol. IX. p. 831.) 5. Iun.

Georgio Cracovio, Doctori Iuris, Consiliario Electoris Augusti.

Huius epistolae ineditae autographon cum multis aliis a Melanchthone ad eundem scriptis in Tabulario publico primario Dresdensi (loc. 8573. Vol. III. fol. 1—74.) asservatur, ubi a Clar. Seidemanno benigne mihi descripta est. Hanc, cui annus non adscriptus est, ad hunc annum 1559 esse referendam, ex eo elucet, quod Pastoris Ienensis et Victorini captivorum in ea mentio fit. — Cracovius huic epistolae a sinistra adscripsit: „28 Iunii per M. Ioh. Kittelium", per quem hoc die eam accepit.

Clarissimo viro sapientia et eruditione et virtute praestanti D. Georgio Cracovio doctori Iuris Consiliario Inclyti ducis Saxoniae Electoris Augusti, suo cariss. fratri.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Dei beneficio, tranquillitas est in his regionibus vicinis Ecclesiis et Academiis. Sed in vicinia adhuc captivi sunt Pastor Ienensis et Victorinus,[1]) viri sancti et modestissimi. Deus et ipsos liberet et nos omnes gubernet. Hodie nobiscum fuerunt in prandio Nobiles Steinicii D. georgius Fabricius, et Mauricius Heilingen. Postea huc venit magister Kittelius, qui cum diceret se ad vos profecturum esse, dedi ei hanc Epistolam subito, ut aliquid de nostris rebus scriberem. Oro autem filium dei, ut vos et nos gubernet et servet. Mitto Carmen

---

1) Hugelius Pastor Ienensis et Victorinus Strigelius 26. Mart. 1559. iussu Ducis Wimariensis captivi in arcem Grimmenstein abducti sunt, vide Corp. Ref. IX. pag. XI. in Annalibus huius anni.

de Triumpho filii dei ascendentis in Coelum. Bene vale. 5 Iunii.

Philippus Melanthon.

---

461. No. 6772 b. (Vol. IX. p. 833.) 19.

Anselmo a Zaschwitz.

Haec epistola ex autographo primum edita est a Friedbergio in li supra p. 403. no. 420 laudato p. 19.

(Inscriptio deest.)

Gottes gnade durch seynen eingebornen Sohn Jhesum Christum ui heiland und warhafftigen helfer zuvor, Edler Ehruester und gestrenger J ker Jch bitt E. Ehruest wolle gedultt haben, dan ich die arbeitt dauon beueth von unsern gnedigsten herren rc. habe noch nichtt geferttigtt, wegen des teglichen Anlaufens, Jch muß furderlich dasselbige wergk ferttig darnach will ich euerer Brudern trostschrifft auch stellen, und ist nicht no das E. Ehrueste derwegen anher kommen oder senden. Der allmechtige bewar E. Ehrueste und die ewren.

Datum eylendt montags den 19. Junij 1559.

Ew. Ehruester Diener

Philippus M.

---

462. No. 6847 b. (Vol. IX. p. 948.) 19.

Io. Brentius ad Melanchthonem.

E Th. Presselii libro supra p. 429. no. 442. recensito: Anecdota I tiana etc. p. 461. no. CCLXI

(Inscriptio deest.)

Salutem in Christo, Clarissime idemque carissime D. Phili Postquam tuas accepi literas a Nicolao Lectore Academiae Re montanae, significavit mihi D. Vergerius, se in profectione ad Borussiam et Poloniam vos salutaturum. Volui igitur ei literas dare. Equidem futurum speravi, ut Borussiaca ecclesia magna illa qua hactenus iactata est tempestate vel tandem quiesceret, sed video τὴν ἐξουσίαν τοῦ σκοτοῦ nondum prae

iisse. Nec tamen ibi tantum sunt turbinae et procellae. In academia Heidelbergensi recens iam exorta est gravis, ut audio, rixa de coena Domini inter Tilomanum et alium quendam collegam eius, quae et eo usque exarsit, ut Tilomanus ac nisi fallor alter quoque iussi sint a publico suo officio abstinere, quae res, etsi privata videtur, tamen non pariet ecclesiis in his regionibus tranquillitatem. Nescio quo fato fiat, quod hactenus multa sit μετοχή scholae Heidelbergae et Tubingae. Vidi etiam hoc tempore scriptum Illyrici, quo videtur sibi egregie nostris respondere, scilicet et scriptum Staphyli adversus te et alios, item collationem doctrinae tuae et (infandum) Arii. Dolendum et vere ingemiscendum est, quod tantum . . . . . turbulentissimis hominibus, et hic recte suo quodam modo dici possit, ecclesiam esse ἀνακεφάλην. Si omnes suo essent iudicio legitimo, non tantum liceret petulantiae et calumniis. Quid ergo faciamus? In hoc animi dolore cogitamus κάμνουσαν ψυχὴν ἐγγὺς εἶναι θεοῦ. De te quidem non dubito, quin pergas in his tempestatibus tuum facere officium καὶ μὴ ἐκκακεῖν. Ego vero utcunque eluctari conor et oro Deum, ut nos gubernet. Bene et feliciter vale. Studtgardiae die 19. Octobr. anno 1559.

Io. Brentius.

---

463. No. 6861 [b]. (Vol. IX. p. 960.) 3. Nov.

Christophorus Dux Wirtembergiae ad Melanchthonem.

Ex eodem libro ac no. 460., p. 461 sq. no. CCLXII.

(*Inscriptio deest.*)

Lieber besonder. Es ist uns verschiner zeit ein buchlin under ewerm namen des Titels: Enarratio epistolae Pauli ad Colossenses etc. zukomen, und als wir dasselb verlesen, haben wir auch befunden, was Ir de Ascensu Christi in coelum und de corporali et physica locatione corporis Christi in coelo etc. schreiben. Wiewoll ir nun desselben orts von des herrn nachtmall nichts vermelden, und wir verhoffen, Ir werden solich schreiben nicht dahin gemeint haben, das hiemit der warhafftigen und wesentlichen gegenwirtigkeit des leibs und bluts Christi in des herrn nachtmall, wie es in der Augspurgischen Confession und Apologia begriffen und zur selben Zeit von Doctor Luther seligen erkläret, auch von allen der be-

melten Confession verwandten verstanden, etwas benommen sein soll: So wöllen doch wir euch gnediger meinung nicht verhalten, das wir sonderliche fürsorg tragen, auch allbereit bey ettlichen hochs und niders stands im werk gespüret, dises obgedacht schreiben werde euch dahin gedeutet, als ob Ir ewer meinung von des herrn nachtmall, deren Ir zur zeit der beschreibung Augspurgischer Confession und Doctor Luthers seligen lebens gewesen, geendert hetten, und die person Christi durch die physicam locationem corporis Christi in dem gestirnten himmel und zur rechten gottes diser gestallt zertrennen wöllten, das gleich woll die person Christi gantz im sichtbarlichen himmell, aber doch nur das halb teill, nemlich das göttlich wesen bey seiner kyrchen uff erden sey. Dweill dann wir euch als einem mit fürtreffenlichen gaben gottes begnadet und gantz wol verdienten man in kyrchen und schulen mit sonderlichen gnaden geneigt, auch uns neben andern Christlichen Stenden und miterben der gottlichen gutthatten, so uns durch den Son gottes erlangt, hochbeschwerlich fallen wurde, da ewer person in ein beschwerlichen verdacht kommen und sich des obermelten, auch anderer dergleichen puncten halben bey der Augspurgischen Confession verwandten Stenden und Theologen ergerliche und schädliche mißverstandt und zwispalltung zutragen solt: So ist an euch unser gnedigs begeren, Ir wollendt unbeschweret sein, was uns ewerer meinung hierinn schrifftlich zu verstendigen und zu declariren, damit wir selbs ewerer person halben zufriden gestellt, auch andere jres anfechtens entladen werden. Dann wir euch mit sondern gnaden geneigt. Datum Stutgard den 3. Novemb. Anno 59.

---

464. No. 6875[b]. (Vol. IX. p. 979.) 27. Nov.

Georgio Cracovio, Doctori Iuris, Consiliario Electoris Augusti.

Ex autographo Tabularii publici primarii Dresdensis, quod Clar. Seidemannus benigne mihi descripsit. Hanc epistolam ad annum 1559. referens habeo praesertim duo argumenta: 1) Cracovii rectoratus (inde a 18. Oct. 1559 usque ad 1. Maii 1860); nam d. 18. Octob. huius anni Rector Acad. Witeberg. electus est, vide Album Academiae Vitebergensis ed. C. E. Foerstemann. (Lips. 1841. 4°) p. 366.; 2) Trevirica obsidio, cuius item in Melanchthonis ad Ioach. Mollerum d. 26. Nov. eiusdem anni data epistola (Corp. Ref. IX. p. 979.) mentio fit.

Clarissimo viro sapientia, eruditione et virtute praestanti D. Georgio Cracovio doctori Iuris, Consiliario In-

clyti Principis Ducis Saxoniae Electoris etc. fratri suo cariss.

S. D. Magnifice d. Rector et cariss. frater. Omnino Trevirica obsidio, fax erit horribilium bellorum. precemur filium dei ut nos gubernet et protegat, et leniat poenas. Post tuum iter accepi literas amicorum de iisdem periculis. Mitto vobis et pagellas et disputationis, et de doctore Milichio. Hodie respondi Duci Academiae Tubingensis et ad eam provoco, feci mentionem mei patris, et Capnionis, petivi ne mihi irascatur non audito. Sed profecto aequo animo feram expelli me in Asiam, cum toties theologi contra me principes incitent, quos cum numero, cohorresco. Sed deo me commendo. Bene vale. die 27 Novemb.

Philippus.

---

465. No. 6875 c. (Vol. IX. p. 979.) 28. Nov.

Christophoro Duci Wirtembergensi.

Ex eodem Presselii libro p. 464 sq. no. CCLXIV.

Illustrissimo principi ac domino, domino Christophoro Duci in Wirtenberg et Theck etc. et Comiti Montispeligardi, domino suo clementissimo.

Illustrissime ac clementissime princeps. Saepe haud dubie audivit Celsitudo vestra, florem Graecae Nobilitatis Argonautas suscepisse gloriosam expeditionem in Asiam, cui simillima fuit expeditio, quam susceperunt in Asiam cum Godefrido Guelfi maiores Celsitudinis vestrae. In illa historia veterum Argonautarum ait praecipuus Dux: In communi periculo deliberationes communes esse debent, et vult plures comites audiri. Id maxime in Ecclesia fieri oportebat. De communi causa plures audiantur et adsint pii principes gubernatores colloquii. In tali consessu libenter exponam de omnibus controversiis et confessionem meam et testimonia cognitione digna et synodo iudicium permittam. Graviter me accusat Celsitudo vestra, quod naturas in Christo divellam, quia dixi, veteres sic loqui, hanc propositionem veram esse de communicatione idiomatum: Christus est ubique. Extat haec propositio in multorum scriptis, qui tamen non divellunt naturas in Christo; Cumque Bremae disputatio illa mota esset ante quinquennium, An

corpus sit ubique, et a nobis diiudicatio peteretur, dedi consilium, ut Academiae Parisiensis sententia flagitaretur, ut quid vetustas sensisset consideraretur. Esse dissonos clamores praecipue de hac controversia manifestum est. In littore Baltico sancti viri, qui in Gallia interficiuntur, quia non probant ἀρτολατρείαν, nominantur Martyres diaboli. In Silesia vero Viro modesto nolenti ritum levandi et adorandi panis servare tres digiti in dextera praecisi sunt. Propter haec tristia dissidia fateor me ingentem dolorem animo circumferre multos annos. Saepe etiam aliorum bonorum et doctorum virorum gemitus video, qui optant in Synodo proferri eruditae antiquitatis testimonia. Et quanquam premere dolorem difficile est, taceo tamen. Propter hoc silentium incitantur contra me aulae, gynaecea, vulgus. Sed cum sciam talia in dissensionibus civilibus accidere, praeparo animum ad ferendos eos casus, qui impendent, et Ecclesiam et me inter gemitus et vota filio Dei commendo. Mitto Celsitudini vestrae pagellas, quae ostendunt, quod genus doctrinae sonemus. et reverenter oro Celsitudinem vestram, ne mihi non audito irascatur. Nec vero me solum audiri peto, sed simul audiri veterem et puriorem Ecclesiam peto et adhiberi Doctores huius temporis amantes veritatem et piam concordiam, sicut praeceptum est: Diligite veritatem et pacem. Maxime vero excludi volo praestigiatricem Sophisticen. Plura hoc tempore scribere non potui, praesertim tabellario properante. Bene et foeliciter valeat Celsitudo vestra. Die 28. Novembr. Anno 1559.

Celsitudinis vestrae servus

Philippus Melanthon.

---

466. No. 6882[b]. (Vol. IX. p. 984.) (fere ineunte Dec.?)

Georgio Cracovio, Doctori Iuris, Consiliario Electoris Augusti.

Haec epistola et subsequentes ex autographis illius Tabularii Dresdensis a Clar. Seidemanno mihi descriptae sunt.

(Inscriptio deest.)

S. D. Magnifice d. Rector. Scripsi his diebus testimonium doctori profecturo in tuam patriam, et addidi quaedam orationi recitatae. Ideo distuli aulicam scriptionem praesertim, cum in tanta

nostrorum dissimilitudine, quid scribam vix cogitare possim. Heri literas accepi a Iohanne Ungnaden, furenter et crudeliter scriptas qui vult me hortatorem esse ut Principes et synodi conveniant. Existimo eius nuntium non miliores literas adferre ad ducem Saxoniae Electorem, ad quem iam properat. Hodie deo iuvante scriptum meum absolvam. Bene vale.

philippus.

---

467. No. 6882 c. (Vol. IX. p. 984.) 9. Dec.

Georgio Cracovio Rectori et Senatui Academiae Witebergensis.

Vide prolegomena praecedentis epistolae.

Magnifico Domino Rectori Academiae Witebergensis et Senatui Academiae.

S. D. Magnifice d. Rector, Reverendi et clarissimi viri. Etsi scio Aerarii rationem habendam esse, cum quidem sim pater familias nec ignorem, quam multis rebus in quavis exigua oeconomia et politica opus sit, tamen oro ut pecunia quae Fisco debetur ab iis qui gradu doctorum in theologia ornantur, remittatur Reverendo viro Pastori Ecclesiae nostrae Doctori Paulo Ebero, et doctori Paulo Crellio. uterque in publico docendi officio servit Ecclesiae. Et talibus antea hoc beneficium Academia praestitit. Et alterius paupertas omnibus nota est. Ego si qua mea est suffragatio, meo suffragio remitto, vos spero coniunctionem huius nostri coetus maiore studio conservaturos esse. Oro autem filium dei, ut nobis adsit, nos semper gubernet, et hanc Academiam servet. Bene valete. die Nono Decemb. 1559

Philippus Melanthon.

---

468. No. 6895 b. (Vol. IX. p. 1002.) (hoc anno ?)

Eidem Georgio Cracovio.

Hanc epistolam et tres proxime sequentes no. 469—471. inter d. 18. Oct. 1559. usque ad 19. April. 1560., quo die Melanchthon obiit, esse scriptas, ex dignitatis (Rectoris) nomine addito intelligitur.

(*Inscriptio deest.*)

S. D. Magnifice d. Rector. Hic nuntius *ἀπὸ τῆς κίττας* q stiones et mihi, et vestro Iudicio attulit, Ego ei respondi de t logica quaestione, quae fuit *πάρεργον*, vobis credo hodie docto Georgium Maiorem exhibuisse alterum fasciculum, de forensi q stione. Barbaries tetra est Litigantium, mittunt nuntios sine ticis, et imperant nobis velut servis, ut mox respondeamus. miser nuntius queritur se nihil habere viatici, quaeso ut, si beratione opus est, dicatis ei an sit abeundum. Bene vale. lippus.

---

469. No. 6895 c. (Vol. IX. p. 1002.) (hoc anr

Eidem.

Vide Prolegomena ad no. 468.

(*Inscriptio deest.*)

S. D. Magnifice d. Rector. De frigore cogitabam, cum in cerem rursus includeretur adolescens Hamburgensis. Sed decla torem nunc adhibet valde tragicum qui nobis iniustam crudel tem obiicit, quasi nihil peccaverit, cum alterum turbulentum ar vit. Desinant sui sodales tales criminationes scribere. Credo au posse hoc fieri, quod in similibus periculis fieri solet, ut sit ptivus in suo vel alio certo hypocausto, unde promittat se exiturum esse donec res cognoscetur. Et rursus promittat vad se velle eum in iudicium adducere, nec permittatur ut hinc dis dat antequam pronuntiabitur. Bene valete.

Philippus.

---

470. No. 6895 d. (Vol. IX. p. 1002.) (hoc anr

Eidem.

Vide Prolegomena ad no. 468.

(*Inscriptio deest.*)

S. D. Magnifice d. Rector scis me non retinere tales Epistolas. Gener meus habet qui adhuc dormit. Et iussi ut det doctori Nevio. Non enim volui per incertum tabellarium mittere. Profecto triste et tragicum scriptum est et in patre ostendit ingens odium adversus hanc causam. Deus gubernet et protegat nos. Bene vale.

philippus.

---

471. No. 6895^{e}. (Vol. IX. p. 1002.) (hoc anno?)

Eidem.

Vide Prolegomena ad no. 468.

(*Inscriptio deest.*)

S. D. Magnifice d. Rector. Derptam narrant Livonios recepisse et inde Moscovios expulsos, ac rursus eo Colonos ex aliis urbibus duci.

Narrat mihi convictor meus adolescens Ungnad suum patruum Iohannem qui nunc est in regione Wirtebergensi Basileam migraturum esse.

Trevirorum urbs a civibus dedita est, Excerpti decem ex civium numero qui tenentur captivi. Haec heri ex mei fratris literis cognovi, qui etiam scribit discessisse ex Heidelberga ambos antagonistas, qui ibi certarunt *περὶ μυστηρίων*.

---

472. No. 6895^{f}. (Vol. IX. p. 1002.) (hoc anno?)

Eidem.

Vide Prolegomena ad epistolam no. 466.

D. Georgio.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Habeo graves causas, quare velim nobis concedi, ut simul ederemus formulam de consensu nostro, et si postulabunt Ienenses specificationem concedi eam vellem ut haec scripsi modestiss., quia non defensitans *τὴν περὶ ἔργων ἀμφίβολον πρότασιν*, Nec defendo *τὴν ῥαψῳδίαν λειψικὴν* nec unquam adsensi, nec subscripsi etsi et illa corrupte edita est.

quaeso audias Iacobum et exponas meam mentem Illustri C(et domino Einsidel.

philippus.

---

473. No. 6895[g]. (Vol. IX. p. 1002.) (hoc a

Eidem.

Vide prolegomena ad no. 466.

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Georgio C covio Doctori Iuris, fratri suo carissimo.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater, Scis Agesilaum ne qu conviciis provocatum, cum Epaminonda pugnare voluisse. Ita n consilium unum hoc erit, ne principes admisceant se huic c mini. Haec eo scribo, ut et de re cogites, et scias non esse gnam causam cur properetis ad hanc deliberationem praes(cum Legato doctori Distelmeier adiunctus sit ὁ μῶμος Islebius condiet βλακικὰς[1]) delicias. Ego sedebo ὥσπερ ὄνος ἐν σφακ Sed oro filium dei, ut nos gubernet. Bene vale. Datae die minico.

Philippus.

---

474. No. 6895[h]. (Vol. IX. p. 1002.) hoc

Io. Brentius ad Melanchthonem.

E Presselii libro supra p. 429. no. 442. recensito p. 469. no. CCLX — Presselius p. XXXV. no. 432. suspicatur, hanc tantum esse sc lam alii epistolae adiectam.

(*Inscriptio deest.*)

Meus filius Matthaeus, qui mihi domi natus est, cum mus Wormatiae, et quem dicebatis ex genio eius non fore μα βιον, adhuc quidem divino beneficio vivit, sed ita, ut adhuc n pedibus insistere queat neque vel balbutire sciat. Habet qui in singulis manibus aliquos digitos, sed qui deberet esse po

---

1) Eadem voce utitur, de hoc inimico disserens, in epistola ad Io. thesium d. 18. Aug. 1559. scripta (Corp. Ref. IX. p. 902.).

reliquis est aequalis, ut videatur pollicibus carere. Et venter nunc quidem intumescere nunc utri subsidere videtur. Itaque vivit et non vivit. Hoc idcirco scribo, ut scias me meorum quoque exemplo discere vestra astronomica indicia non omnino vana esse, quemadmodum nostri vicini sentiunt. Interea anno 1558 die undecima Septembris hora decima ante meridiem natus est mihi alius filius, cui nomen imposui Philippo, ut etiam hac in parte memoria tui semper mihi ob oculos versaretur, sed anno aetatis nondum peracto excessit ex hac vita, magno meo dolore, quia videbatur infans non iuvenustus. Spero autem te non aegro animo ferre, quod obtrudam tibi haec mea domestica.

ANNO 1560.

475. No. 6910[b]. (Vol. IX. p. 1028.) 11. Jan.

Georgio Cracovio, Doctori Iuris, Rectori Academiae Witeberg.

Quamquam annus huic epistolae a Clar. Seidemanno ex autographo Tabularii Dresdensis descriptae non additus est, tamen certo ex Rectoris titulo cognoscitur. Cracovii enim rectoratus d. 18. Oct. 1559. initus d. 1. Maii 1560. illius temporis usu finiebatur (conf. Album Academiae Vitebergensis supra p. 458. ad no. 464. recensitum).

(*Inscriptio deest.*)

S. D. Magnifice d. Rector, et cariss. frater. Oro filium dei custodem Ecclesiae suae, ut et militiam tuam in aula, et nos omnes gubernet, et has regiones protegat. Formavi Epistolam ad Schraderum quam exhibebo tibi et legendam et obsignandam, teque oro ut ad nos ad prandium venias. Interea enim Epistola describetur. Dixi de Consensu Academiarum quae et vera sunt, et προςαγωγά. Caetera coram. Bene et foeliciter vale. die undecimo Ianuarii.

Philippus.

476. No. 6915 b. (Vol. IX. p. 1034.) 2. Febr.

Elisabethae, Balthasari a Zaschwitz uxori.

Ex Friedbergii libello p. 403. no 420, recensito p. 19 sq.

Der Edlen und thugentsamen frawenn Elisabeth geborne vonn Ebeleben, des Edlen und Ehruesten Balthasar von Zaschwitz, eheligen hausfraw zu handenn.

Gottes gnadt durch seynen eingebornen Son Jhesum Christum unsern heilantt und warhafftigenn helfer, zuuor, Edle thugentsame frau, warlich allein ist diese ursach des vorzuges das ich die schrifftt noch nichtt gestellit habe, die ich doch langest Euch zu trost gern gesendet hette, das so viel beschwehrliche sachen fur und bei uns zugesendett werden, darauff wir antwortten mussen, Ich will auch mitt gottes hilf eur sachenn, so baltt ich kan, ferttigen. Uff diesen tag muß ich in Ungern und Östreich antwortten von sachen, da vil angelegenn ist.[1]) Der allmechtige Gott Vatter Unsers heylantts Jhesu Christy, Erschaffer aller Creaturen, wolle euch trosten und an seel und leib sterckenn, Jhr sollett auch der traurigkeitt nicht nachhengen, sondern euch mitt gottes wortt trostenn, Was gott zusammen gefuget hatt, das sol niemantt scheidenn.

Datum 2. Febr. 1560.

Phillppus Melanthon.

---

477. No. 6943 b. (Vol. IX. p. 1062.) (mense Febr.?)

Georgio Cracovio, Doctori Iuris, Consiliario Electoris Augusti.

Hanc epistolam sine anni et diei indicio, quam Clar. Seidemannus benigne mihi descripsit ex autographo Tabularii Dresdensis (conf. Prolegg. ad no. 460.) ad hunc annum mensemque referendam esse puto, quoniam conlicio Iacobum in ea memoratum esse illum Iacobum Wibenium, qui in epistola d. 1. Febr. 1560. ad Iac. Rungium data (Corp. Ref. IX. p. 1034 sqq.) huic commendatur, ad quem cum Ge. Cracovii literis auxilium petens in Pomeraniam profectus est.

(Inscriptio deest.)

---

1) Hanc ad Hungaros epistolam legas in Corp. Ref. IX. p. 1039 sq.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Et literis Iacobi delector, et tuo officio quod legendas misisti. Ad me non scripsit, Nec tamen de silentio secus suspicor. multa possunt impedire scriptiones praesertim hoc tempore, cum fit in nostris literis dogmatum mentio, quae requiret singularem circumspectionem, et tu scis illud Thucydideum, *τὸ λελογισμένον ὄκνον ποιεῖ.* Expecto tamen in hoc mercatu literas. Bene et feliciter vale.

philippus.

---

478. No. 6947 b. (Vol. IX. p. 1065.) 5. Mart.

Senatui Rostochiensi.

Hanc epistolam, quae in illius Senatus tabulario asservatur, primum edidit Otto Krabbe in libro suo: Die Universität Rostock im 15. und 16. Jahrhundert (2 Theile. Rostock u. Schwerin 1854. 8°) P. II. p. 637 sq. not. *).

Den Erbaren weisen vnd frommen Herrn Burgermeisteren vnd Rade der loblichen Stadt Rostock, meinen günstichen Herren.

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vnsern heiland vnd warhafftigen helffer zuuor, Erbare, weise fromme günstige Herren, Ew. Erbarkeit wird der Erbar vnd wolgelarte magister Johannes Posselius trewlich berichten von vnser beider vnterrede, belangend den vnnötigen streit in der loblichen stadt Rostock, vnd ist war wie viel Ehrlicher leut wissen, das ich grosse betrübnis habe von mancherley vneinikeit in vnsern Kirchen vieler Land. Ich bitt aber den allmechtigen Son Gottes Jhesum Christum, der in grosser Angst gebetten hatt, daß der Ewige Vatter vns Einikeit in Jhm geben wolle, daß er auch in der loblichen stadt Rostock, vnd in allen vnsern Kirchen selige Einikeit geben wolle.

Von personen habe Ich diese anzeigung gethan, daß Einer genant Magister Lucas von Lunenburg der itzund hofprediger ist bey der durchleuchtigsten königin des durchleuchtigsten königs Christian hochloblicher vnd seliger gedechtnüz gelassenen witfrauen, vnd mochte beruffen werden, denn Er ist gottfurchtig, wol gelart, verstendig, vnd friedliebend, vnd ist geneigt in einer Vniversitet zu arbeiten. Weiter bedenke ich auch, das Magister Johannes Posselius zum pfarrampt vnd zur lection zu gebrauchen sey, vnd ist besser, das E. Erbarkeit Einen bekannten vnd der gelegenheit der Stadt weiß, erwehlen.

Ich habe auch von mehr personen mit Magister Posselio geredet, vnd nemlich von Einem Ehrlichen olden man Matthia Cassellio, der zu Branden-

burg in Ewr nachbarschafft die schul regirt hatt, ist ernach ein predica wesen zu Northeim.

Dise meine anzeigung wolle E. Erbarkeit gunstiglich vernemen, ich warlich mit herzlichen seuffzen vnsern Herrn vnd Heiland Jhesum C bitte, daß ehr in allen Kirchen solche Prediger vnd regenten geben wo sich nach diser Regel halden, die Gott in Zacharia ausgetruckt hatt, D Veritatem et Pacem, vnd Ew. Erbarkeit zu dienen binn Ich willig 5 Martii 1560.

Ew. Erbarkeit

trewer Diener
Phitippus Melanthon.

---

479. No. 6951 b. (Vol. IX. p. 1068.) 18

Clarae, Ducissae Brunsvicensi.

Hanc epistolam ediderunt Baxmann in Ephemeridibus: Zeitschrift historische Theologie anni 1861. Fasc. IV. p. 627. epist. XIX. et Ko in iisdem Ephemeridibus anni 1872. Fasc. IV. p. 543. epist. 2. c notatione p. 545.

DEr. durchlauchtigen vnd hochgebornen fürstin, fraw Clara, gebo herzogin zu Sachsen, herzogin zu Brunswig vnd Lüneburg ꝛc meiner gnedigen furstin.

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum Heiland vnd warhafftigen helffer zuuor. Durchlauchtige, hochgeborn dige furstin. E. f. g. habe ich Einen gottforchtigen predicanten, Dantzik geborn ist, zugesant, wiewol ich lieber Ein Eldern E. f. g. z hett. So nu gedachter von Dantzik nicht angenommen wirt, will i gottes hulff E. f. g. vor Pentecoste Ein andern senden. Der alln Gott wolle E. f. g. sampt E. f. g. jungen frewlen an seel vnd leib Datum 18. Martii 1560.

E. f. g.

armer Diener
Philippus Melanchthon.

---

480. No. 6957[b]. (Vol. IX. p. 1077.) 26. Mart.

Hubertus Languetus ad Melanchthonem.

Hae literae et sequentes no. 484. exhibentur in hocce libro: Arcana Seculi decimi sexti. Huberti Langueti epistolae secretae — — ed. Io. Petr. Ludovicus. (Halae Hermunduror. 1699. 4°) P. II. Lib. II. p. 39 sq. epist. XV. et p. 40—42. epist. XVI.

Clarissimo Viro eruditione, virtute et pietate praestanti D. Philippo Melanthoni, Domino et praeceptori suo observando.

S. Reverende Domine Praeceptor. Cum amicus meus D. Philippus Drachstad. vir insigni eruditione, virtute et pietate praeditus ad vos proficisceretur: non volui eum ad te sine meis literis venire, praesertim cum ipse sit tui amantissimus, et te alioqui salutare et colloqui vellet. Quare a te non tam peto ut eum humaniter excipias (nam id semper facis) quam ut aliqua moneas, quae pertinent ad Reipub. et Ecclesiae nostrae tranquillitatem et salutem. Crede mihi nihil potest nobis accidere gratius, quam ut te multa monentem et docentem audiamus. Ecclesiae nostrae singulari Dei beneficio adhuc servantur, cum quidem a multis hostibus obsideantur. Staphylus et Episcopi, quorum aliqui sunt in aula, Imperatorem ad summam crudelitatem incitant, qui quidem omnibus Episcopis in Pannonia, Austria, Moravia, et Silesia mandatum dedit, ut eiectis Lutheranis, catholicos ut vocant, concionatores constituant. Fuit heri apud me pastor quidam Ioachimus nomine, qui olim in hac nostra Ecclesia egit Diaconum, is mihi narravit, aliquot pios pastores ab Episcopo Olmizensi clam in carcere fame necatos esse: aliquot vero ab Episcopo Nissensi detineri in vinculis, multos[1]) etiam ex suis Ecclesiis eiici. Suum praeterea casum sane miserabilem recensuit. Fuit enim hic Ioachimus pastor in quodam pago sub Domino a Fulstein. Eo Episcopus Olmizensis misit 300 equites, qui de improviso impressione facta pastorem, in populi communione ab ipsis sacris avulsum, vi, mandato Imperatoris et Episcopi curru abduxerunt. Ille in Episcopi ditione in quadam arce angusto carceri inclusus est, adeo ut necesse fuerit eum vel erectis vel paulum inflexis genibus, ca-

1) multos] sic scripsi; l. l. typ. errore legitur: multis

ptivum in suis sordibus stare, totis septimanis octo. Primo datus est illi in carcerem panis rusticus et aliquantulum aquae, diebus septem nemo ad eum rediit, postea tamen coepit hab aliquanto lautius. Interea Dn. a Fulstein, a Maximiliano impe vit literas, quibus mandavit Episcopo, ut Ioachimum dimitte Episcopus illas literas ad Imperatorem misit, qui mandavit ne mitteretur, sed se illum accersiturum scripsit. Tandem vicini biles coegerunt equites 500, et profecti ad arcem mentiti sunt, esse missos ab Imperatore, ut Ioachimum in aulam ducerent. (didit hoc Episcopus et Ioachimum dimisit, qui postea et ab e tibus dimissus ad nos venit, et ea quae scripsi sic narravit. et Dominus a Fulstein vocatus in aulam ab Imperatore, ad di dam causam, quid de eo fiet incertum est. In tantis cum ve mur periculis: tamen nonnulli non desinunt partim otiosis, pa aperte falsis disputationibus et opinionibus infestare nostram clesiam. Reprehendunt doctrinam harum Ecclesiarum, qui co sioni Augustanae adhaerent, multipliciter. Ceremonias nostras pter exorcismum, et candelam quae adhibetur ad sacramenta ap vocant blasphemas et Idololatricas. Ego sane nullo unquam t pore nullis iniuriis me patiar commoveri, ut cum aliquo pub contendam, sed tandem si necessitas requiret parebo tuo hone simo et necessario consilio, et iubebo istos nostros condemnat causas suae reprehensionis deponere ad senatum, ut iudicio strae Academiae submittantur. Cuperem et ego elevationem leri, et nonnullas ceremonias, quamvis per se Idololatricae sint, emendari. Sed nunc non est locus disputandi de ceremo sed ipsa necessitas requirit, ut his omissis, in tot calamitat publicis et privatis piis et ardentibus precibus Dei auxilium due et toto pectore imploremus. Itaque miror quorundam i niam, qui in hoc publico luctu, rixas etiam de levissimis cer niis movent, et tantum reprehensionibus volunt videri sancti. autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, condito redemptorem et conservatorem Ecclesiae, ut nostri propter misereatur et nos regat et servet. Salutem adscribo D. Cas et D. Paulo Ebero, viris summa mihi observantia colendis. Vr lav. 26. Martii An. 1560.

---

481. No. 6966 b. (Vol. IX. p. 1084.) 1..

Antonio Borbonio, Regi Navarrae.

Autographon huius epistolae in Pyrenaei inferioris tabulario (E. 465. 4. A. 6283.) asservatur, ex quo Lourde-Rocheblave fecit apographon, quod illius tabularii praefectus P. Raymond cum autographo contulit. Ex hoc apographo primum edita est in hocce libro: *Bulletin de la Société de l'histoire de Protestantisme français. Documents historiques inédits et originaux du XVIe, XVIIe et XVIIIe siècles. IX. Année. (Paris* 1860. 8°) p. 125 sq.

Illustrissimo principi Antonio Borbonio, regi Navarrae, duci Vindocinensi, etc. . . . Domino suo clementissimo.

S. D. Serenissime Rex, unicum est regnum in toto genere humano vere dignum regni adpellatione propter constitutionem politicam, principum gradus et militiae ordinem, regnum Francicum, in quo diu ita floruerunt doctrinae, ut in ceteras gentes inde rivuli derivati sint. Haec vetera ornamenta Galliae cum adspicimus, magis dolemus ibi nunc iniusta asperitate veram Doi invocationem impediri, et filium Dei precamur sedentem ad dextram aeterni Patris ac dona largientem hominibus, ut et in Gallia flectat gubernatorum animos ad clementiam Deo gratam. Eminet in excellenti nobilitate generis bonitas. Ideo non dubito tuae celsitudini aliorum iniustos impetus displicere; nec vero hac de re prolixius scribam, tantum dolorem meum ostendere volui. Has autem literas dedi huic Huberto Langueto Burgundo qui existimavit tibi non ingratum fore hanc nostri doloris significationem. De eius prudentia ex ipsius sermone tua celsitudo iudicium facere optime poterit. De integritate ipse adfirmare possum, esse eum virum iustum, moderatum et vere francum, id est ingenuum, alienum a simulatione Quare tuam celsitudinem oro ut clementer eum tueatur. Bene et foeliciter tua altitudo valeat.

Calendis aprilis anno 1560.

Philippus Melanthon.

---

482. No. 6966^c^. (Vol. IX. p. 1084.) 1. April.

Henricus Stephanus ad Melanchthonem.

Praefatio praemissa libro: Pindari Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia. Caeterorum octo Lyricorum carmina, Alcaei, Sapphus, Stesichori, Ibyci, Anacreontis, Bacchylidis, Simonidis, Alcmanis, Nonnulla etiam alio-

rum[1]). Editio II. Graecolatina H. Steph. recognitione quorundam interpretationis locorum, et accessione lyricorum carminum locupletata. Anno M. D. LXVI. Excudebat Henr. Stephanus. 16°.

Henricus Stephanus Philippo Melanchthoni S. P. D.

Redditae mihi nuper tuae literae fuerunt, Philippe, (literarum et literatorum decus) non solum humanitatis plenae, sed insigne etiam tuae erga me propemodum paternae benevolentiae indicium praebentes.[2]) Quibus quod me ad promovendum Graecae linguae thesaurum vehementer hortatus es, currenti tu quidem (quod aiunt) calcar addidisti: quod autem et tu et Ioachimus Camerarius vestrum mihi de opere illo consilium aperuistis, hoc sane pacto longe planiorem faciliorenque meo cursui viam patefecistis. Sed eum (ne quis tarditatem pedum aut segnitiem in causa esse putet) crebra remorata sunt hactenus remoranturque etiam nunc diverticula. Sic autem appello ea praesertim quae Graecorum scriptorum editio mihi affert avocamenta. Ea autem qualia quantaque esse soleant, nuper declaravit editus a me Diodorus Siculus, declarabit propediem (Deo favente) Xenophon, declarat iam nunc lyricorum princeps Pindarus. Quem certe poetam ego semper quidem magni (pro eo ac debui) feci: sed tum demum maximi faciendum putavi, quum te, inter tot tantasque occupationes, interpretatione tua dignatum esse illius carmina cognovi. Commodum autem in manus meas illa venit, quum de apponenda Graecis Latina translatione (ut in hac lingua tyronibus et rudibus gratificarer) cogitare coepissem. Quamvis enim illum ita interpretatus sis, ut singulis verbis te minime adstrinxeris, nec verborum numerum sed pondus examinaveris, ad hanc tamen verbis alligatam, et (ut vulgus appellat) ad verbum interpretationem, maximum adiumentum illo tuo labore attulisti. Utinam tamen tantum tibi a gravioribus tuis magisque seriis occupationibus otii fuisset, ut ex tuo autographo translationem tuam dare excudendam tibi vacare potuisset. Caeterum ego, qui omnes Graecos scriptores (praesertimque poetas) ad verbum translatos, arboribus quibus autumnus suum foliorum honorem decussit, comparare soleo, in nullo magis quam in Pindaro comparationem hanc locum habere existimo. Cur ergo talem eius interpretationem edidi? Nimirum ut ab iis qui sunt in lin-

1) In meo quidem exemplo solius Pindari carmina cum eius vita atque de strophis, antistrophis et epodis inveniuntur.

2) Hac Melanchthonis ad Henr. Stephanum literae in Corp. Ref. desiderantur; an in alio quodam libro prodierint, nescio.

gua tyrones (uti dixi) gratiam inirem, Graeca cum Latinis (quod in libera minimeque adstricta interpretatione nequeunt) conferre cupientibus, et rudem quandam in animo habere sententiae informationem contentis. Exhibet autem velut appendicem hic libellus, reliquorum octo lyricorum carmina quaecunque sparsa per authores invenire potui. Quo certe nomine hoc munusculum gratius tibi fore confido. Utinam tamen maiore teque digniore aliqua in re tibi gratificando, mei erga te mutui amoris, et tantae, quanta coli mereris, observantiae testimonium dare possem. Sed (ut ait ille) qui quam potuit dat maxima, gratus abunde est. Deus Opt. Max. te canitiei tuae fructibus Rempubl. literariam diu locupletare sinat. Vale Musaeae parens patriae. Ex typographeio nostro Cal. April. An. M. D. LX.

---

483. No. 6972 b. (Vol. IX. p. 1091.) 8. April.

Hubertus Languetus ad Melanchthonem.

Vide Prolegomena ad no. 480. In libro illic recensito haec est epist. XVI.

Clarissimo Domino Praeceptori ac patri perpetuo Reverendo Dn. Philippo Melanthoni.

S. P. D. Reverende Domine, cum ad te scribere inciperem casu conieci oculos in imaginem Ioannis Huss, quae statim reduxit mihi in mentem ingentes calamitates Regni Bohemici ante illos tumultus florentissimi. Omnia autem quae in Bohemia acciderunt, ita iam Galliae imminere videntur, ut propemodum sint inevitabilia. Rex Galliae publico edicto proposito Lutetiae undecima Martii concessit impunitatem omnibus qui aliquid in causa religionis deliquerunt, et dimisit omnes captivos ex carceribus. In futurum autem nihil concedit illud edictum iis, qui secundum leges Regni vivere non volent. Sciverunt gubernatores innumeros esse qui interfuerunt congregationibus, quae per totum Regnum agitantur, et voluerunt eos abolitione, praeteritorum metu liberare, ne ad arma consternarentur, et credo quod libenter aliquid moderarentur, si viderent qua ratione id fieri posset. Verum tantum abest, ut ea moderatione publicae tranquillitati consuluerint, ut etiam ii qui antea sibi plurimum metuebant, iam animosiores facti omnia ad vim perducere conentur. Ex exulibus plurimi, et praesertim qui sunt ex nobilitate, in Galliam redierunt, ut oleum ca-

mino addant, et iam valde multi capti sunt et affecti supplicio. Sed hoc est hydrae capita resecare, et eo adigere homines, ut omnia extrema tentent. Qui maxime causam religionis agere videri volunt, sua intemperantia exacerbarunt animum Reginae viduae, quae omnia moderari conabatur. Admissi enim ad colloquium ipsam eo adigere voluerunt, ut aperte se gubernatoribus opponeret. Cum causas adferret, quare haec ita fieri non possint, interminati sunt iudicium Dei, et dixerunt ipsi eadem imminere, quae marito accidissent. Ad mentionem mariti ingenti dolore perculsa, nominavit eos sceleratos qui ipsi obiicerent calamitatem, qua nulla maior contingere potuisset, et statim iussit eos abire, nec amplius ad se redire. Tam sapienter nostri hoc negotium agunt, et si quis moderationem suadeat, vocant eum proditorem religionis. In inferiori Germania recrudescunt persecutiones, et multi honesti cives, ex Antverpia et aliis vicinis urbibus huc et in Angliam fugiunt. Rex Hispaniae utitur hoc bello (quod videtur imminere inter Gallos et Anglos) tanquam occasione ad terrendam Angliae Reginam, quae iam metu ipsius restituit imagines et cereos accensos in suo sacello, imperavitque Episcopis, ut iisdem vestibus uterentur, quibus ante mutationem utebantur. Angli hoc valde aegre ferunt, et metuunt ne paulatim plura concedat, si praesertim involvatur bello Gallico. In Hispania innumeri interficiuntur propter religionem. Recens in solo Cataloniae comitatu, ad duo aut tria millia hominum fuerunt coniecta in vincula. Falsum est quod audiveramus de Archiepiscopo Toletano affecto supplicio, vivit adhuc et est suspicio eum non fore constantem. Foxius Mirzillus Hispanus insigniter doctus fugiens incendium periit naufragio. Itali bene sperant de hoc Pontifice. Moronum Cardinalem instituit inquisitorem, et publice hortatus est eum, ut inquisitionem leniter exerceret. Magna est annonae caritas in Italia, et praecipue in Veneta ditione. Fratrem tuum non potui convenire, sed M. Sigismundus fuit mecum et dixit res suas esse in non malo statu. Laudat praecipue Xilandri humanitatem et benevolentiam erga se, et dicit se ab eo in sua professione multum iuvari. In aula dominatur comes Eberhardus Erbacensis. Minchuicius nullius est prorsus autoritatis, putatur brevi illinc discessurus. Ipsius Electoris laudatur humanitas et probitas. Marchio Albertus semel dixisse fertur ad nullam rem eum aptum esse nisi ad gignendos liberos. Mitto Alciati Dantis et aliorum opuscula de Imperio, nunc primum edita, quae forte erunt alicuius usus in disputatione de translatione Imperii. Non tantum mihi fuit otii ut ea perlegerem.

Mitto etiam munuscula quae distribues inter pueros. Reliqua ad Doct. Peucerum scribo.[1]) Video mihi propemodum certa pericula imminere, sed multo magis sum sollicitus de patria quam de me, sumque fere dolore attonitus. Accedo tamen (amitis dissuadentibus) cum fiducia in Deum, et summo solatio, quod mihi tamdiu tecum vivere licuerit, oroque Deum omnipotentem, ut te praeceptore et tanquam parente dignum me possim praestare. Deus conservet te et tuos. Francofordiae 6. Id. April. 1560.

EPISTOLAE ET IUDICIA MELANCHTHONIS,

QUAE QUO ANNO SCRIPTA SINT DEFINIRI NON POTUIT, ALPHABETICO ORDINE EORUM, AD QUOS SCRIPTA SUNT, DISPOSITA.[2])

484.

Iohanni Agricolae.

Hanc epistolam rhythmica forma scriptam et subsequentem primum edidit Adolph. Brecher in Ephemeridibus: Zeitschrift für die historische Theologie anni 1872. Fasc. III. p. 360 sq. no. II. et III. Editor de tempore earum l. l. annot. 38. sic indicat: Die beiden vorliegenden Briefe rühren allem Anscheine nach aus der Zeit des Wittenberger Aufenthaltes Agricola's her, sind also vor 1525 oder in diesem Jahre vor der Reise Agricola's nach Frankfurt a. M. geschrieben.

(*Inscriptio deest.*)

Optime Iane librum quaeso mihi mitte Galeni
  Qui fama ingenii Pergama clara facit;

Humanae vires, ubi qua sint arte iuvandae
  Quove valetudo more tuenda docet.

---

1) Haec Langueti ad Casp. Peucerum epistola hancce l. l. p. 42—45 subsequitur, epistola XVII.

2) Eodem ordine Rev. Bretschneiderus epistolas eiusdem generis in Corp. Ref. X. p. 5 - 52. exhibitas disposuit.

Utque opis illa ferant fractis nil viribus atque
Sero queratur, iam medicina mihi

Illa tamen restant solatia frigida tantum
Conferre in tales otia nostra libros

Sic aliquis fossor dura quoque compede vinctus
Longi operis cantu taedia forte levat.

Huic igitur puero tradas monumenta Galeni,
Reddetur merito gratia iusta tuo.

Φιλιππος

485.

Eidem.

Vide Prolegomena praecedentis ad eundem epistolae.

Ioanni Eislebio urbis nostrae κατηχητῇ.[1])

S. Est mihi hic tabellarius commendatus ab Urbano Regio, docto homine, effecique ut auctorarent collegae. Is, quia intellexit tibi famulo opus esse, putatque tolerabiliorem se servitutem apud te serviturum esse, rogavit me, ut se tibi commendarem ut in conducendo famulo sui rationem habeas. Mihi ita gratum feceris, si tuis rebus recte consulueris. Tametsi nihil video, quod in hoc homine possis desiderare. Vale.

Philippus.

---

486. 10. Aug. 15...

Senatui Besscoviensi.

His literis, quarum autographon ab amicissimo Rev. Superintendenti Fulda, piae memoriae mihi olim donatum est, Melanchthon non solum diem sed etiam annum adscripsit, at duo extremi numeri annum illius saeculi indicantes abscissi sunt, quapropter eas in hoc epistolarum genere exhibeo. Praeterea in literis ipsis linearum 7—9 extrema pars est abscissa.

---

1) Ad hoc epitheton Brecher l. l. p. 361. haec adnotavit: Den Titel „Katechet" habe ich sonst nirgends gefunden und die Erwähnung desselben ist um so werthvoller, als über die Stellung, welche Agricola in Wittenberg bis 1525 eingenommen habe, ziemliches Dunkel herrscht.

DEn Erbarn vnd weisen Herrn Burgermeistern vnd Radt zu Beßkow meinen guten frunden.

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vnsern heiland vnd warhafftigen helffer Zu uor, Erbare Weise gunstige herrn, Ewr schrifft habe ich empfangen, vnd nach dem meine fruntliche vermanung be(i) dem armen alden man, v(nd) Rimanno vnfruchtbar gew(esen), will ich furohin nichts an yhn schreiben. Jhr alß die Verstendigen werdet wol bedencken, wie Ewr kirchen Zu helffen sey, das sie Jn guter christlich ordnung, vnd one Ergernis vnd one Vnruge regirt werde, Jch habe Ein grosse mitleiden mit der kirchen, Gott wolle dise Ergernis vnd andre abwenden, vnd Euch gnediglich bewaren, Datum Laurentij 15 . .

Ewr williger

Philippus Melanthon.

---

487. — —

Io. Brentio.

Haec epistola cum Lutheri appendice invenitur inter apographa Codicis MS. formae maximae, qui in Bibliotheca Illustrissimi Comitis Stolbergo-Wernigerodani asservatur (sign.: Zd. 82.) sic inscriptus: „Epistolae et varia alia scripta Melanchthonis, Lutheri, Iust. Ionae, Casp. Cruciger, Martin Buceri, Huld. Hutteni, Io. Brentii, Imp. et Regum ab A. 1521 sq. collecta a Coaetaneo circa A. 1549." In hoc Codice, quem Clar. Iacobs, Tabularii et Bibliothecae Praefectus, benigne mihi commodavit, haec epistola cum Lutheri appendice legitur fol. 171a—172a, cui in interiori margine fol. 171a adscriptum est: De Iustificatione per fidem.

Philipp. Melanchth. Ioanni Brentio.

Epistolam longiusculam accepi, quae fuit mihi iucundissima, teque oro, ut saepe et multum scribas. De fide teneo, quid te exerceat. Tu adhuc haeres in Augustini imaginatione, qui eo pervenit, ut neget rationis iustitiam coram Deo reputari pro iustitia, et recte sentit. Deinde imaginatur nos iustos reputari propter hanc impletionem legis, quam efficit in nobis spiritus sanctus. Sic tu imaginaris fide iustificari homines, quia fide accipimus spiritum sanctum. Postea iusti esse possumus impletione legis, quam efficit spiritus sanctus. Haec imaginatio collocat iustitiam in nostra impletione, in nostra mundicie sive perfectione. Etsi fidem debet haec renovatio sequi. Sed tu re-

iice oculos ab ipsa renovatione et a lege in totum, reiice inquam ad promissionem et Christum et senties, quod propter Christum iusti, hoc est, accepti coram Deo sumus, et pacem conscientiae inveniamus, et non propter illam renovationem. Nam haec ipsa novitas non sufficit, ideo sola fide sumus iusti, non quia sit radix, ut tu scribis, sed quia apprehendit Christum, propter quem sumus iusti. Qualis qualis sit illa novitas, etsi necessario sequi debet, sed non pacificat conscientiam. Ideo non dilectio, quae est impletio legis, iustificat, sed sola fides, non quia est quaedam perfectio in nobis, sed tantum, quia apprehendit Christum. Iusti sumus non propter dilectionem, non propter legis impletionem, non propter novitatem nostram, etsi dona sunt spiritus sancti, sed propter Christum, et hunc tantum fide apprehendimus. Augustinus non satisfacit Pauli sententiae, etsi propius accedat quam scholastici. Et ego cito Augustinum propter publicam de eo persuasionem, cum tamen non satis explicet fidei iustitiam. Crede mihi, mi Brenti, magna et obscura controversia est de iustitia fidei, quam tum recte intelliges, si removeris oculos a lege et imaginatione Augustini de impletione legis et defixeris animum prorsus in gratuitam promissionem, ***propter Christum,*** ut sentias, quod propter promissionem propter Christum iusti, hoc est, accepti simus et pacem inveniamus. Haec sententia est vera et illustrat gloriam Christi, et mirifice erigit conscientias. Ego conatus sum eam in Apologia explicare, sed ibi propter adversariorum calumnias non sic loqui licuit, ut nunc tecum loquor, etsi reipsa idem dico. Quomodo haberet conscientia pacem et certam spem, si deberet sentire, quod tunc demum iusti reputaremur, cum illa novitas in nobis perfecta esset. Quid est hoc aliud quam ex lege non ex promissione gratuita iustificari? In disputatione illa dixi, quod tribuere iustificationem dilectioni, sit tribuere iustificationem nostro operi. Ibi intelligo opus factum a Spiritu Sancto in nobis. Fides enim iustificat, non quia et novum opus Spiritus Sancti in nobis, sed quia apprehendit Christum propter quem sumus accepti, non propter dona Spiritus Sancti in nobis. Si cogitabis animum revocandum esse ab Augustini imaginatione, facile intelliges causam et spero te ex Apologia nostra adiuvari, etsi de tantis rebus timide loquor, quae tamen non intelliguntur nisi in certaminibus conscientiae. Populus omnino debet audire praedicationem legis et poenitentiae, sed interim vera Evangelii sententia non est praetereunda. Quaeso te, ut rescribas, et de hac Epistola et de Apo-

logia tuum iudicium vel significes,[1]) an nunc tibi satisfactum sit in hac Epistola de tua quaestione. Bene vale.

Appendix D. Martini Lut. ad Epistolam praecedentem.

Et ego soleo mi Brenti, ut hanc rem melius capiam, sic imaginari, quasi nulla sit in corde meo qualitas, quae fides vel charitas vocetur, sed in locum ipsorum pono Christum. Et dico, haec est iustitia mea, ipse est qualitas et formaliter (ut vocant) iustitia mea, ut sic me liberem et expediam ab intuitu legis et operum: imo et ab intuitu obiecti illius Christi qui vel doctor vel donator intelligitur. Sed volo ipsum mihi esse donum et doctrinam per se, ut viam in ipso habeam. Sicut dicit: Ego sum via, veritas et vita, non dicit: Ego do tibi viam, veritatem et vitam: quasi extra me positus operetur in me talia. in me debet esse, manere, vivere, loqui 2. Cor. 6. ut essemus iustitia Dei in illo, non in dilectione et donis sequentibus.

488.

Ioanni Calvino.

Haec epistola vel potius epistolae scriptae quidem, at, ut videtur, non missae fragmentum bis edita est, primum in libro: Alles aus allen Theilen der Geschichte. Tom. I. (Chemnitz 1762. 8°) p. 125. cum longiore annotatione, ex qua videtur elucere, autographon ob oculos editoris esse versatum, deinde in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 7. p. 102. epist. 8. ab Aug. Scheler ex Apparatu Melanchthoniano professoris Van de Velde, qui autographon Bibliothecae Zwickaviensis descripsit. Hanc alteram editionem h. l. sequor, adscripta varia lectione prioris. — Cum hoc fragmento conferatur illa epistola, quam supra p. 219 sq. no. 281. ex Simleriana Collectione Tigurina exhibui.

(*Inscriptio deest.*)

S. D. Quomodo[2]) aliis consulam, carissime Calvine, cum mihi ipsi opus sit consilio. Sed tamen meam sententiam de firmis et

---

1) significes] sic scripsi; Cod. habet scriptionis compendium: szees

2) Quomodo] prior editio habet: Cur

infirmis, utcunque potui exposui [1]) in pagellis, quas leges, de qua meum iudicium non antefero tuo, nosque ut [2]) sententiis in hac [3]) vita coniunctos esse volo, spero simul in vita aeterna, in schola tranquilliore, eundem magistrum Filium Dei coram visuros esse, Pericli nostro [4]) non exhibui tuas literas, nec ei quidquam dixi de re ipsa, ac multas habeo causas. Scripsisset [5]) aliquid, *οὐ κατὰ τῶν ἐχθρῶν Χριστοῦ, ἀλλὰ κατὰ τῶν περὶ συμβόλων.* [6])

---

489. 8. Nov.

Georgio Cracovio seniori, Pastori Stetinensi.

Praeter epistolas supra allatas harum quoque ad Cracovios a Melanchthone scriptarum autographa in tabulario publico primario Dresdensi (in loculo p. 8573. ad no. 460. indicato) asservantur mihique a Clar. Seidemanno benigne descripta sunt. — Duo enim Georgii Cracovii distinguendi sunt, senior et iunior, pater et filius. Ille erat pastor Stetini, ubi ei a. 1525 filius natus est, qui eximio ingenio praeditus Witebergae et Francofurti ad Oderam literis operam dedit et magistri gradum accepit, a. 1548. Gryphiswaldiae professor graecae linguae et matheseos, et a. 1549. professor eloquentiae Witebergam vocatus est, ubi eodem anno Saram, filiam Bugenhagii, in matrimonium duxit. Anno 1554 Witebergae Consistorii Assessor et Doctor Iuris creatus, postea Dresdam vocatus fuit Augusto Duci Saxoniae Electori a consiliis seriusque (inde ab a. 1565) eius Cancellarius; denique autem criminis Cryptocalvinismi accusatus, a. 1574. in carcerem coniectus est, in quo d. 13. vel 17. Mart. 1575. misere periit (conf. Zedler's Universal-Lexicon Bd. XV. p. 1627 sq.)

Venerando viro eruditione et virtute praestanti Domino Georgio Cracow, docenti Evangelium in Ecclesia dei in urbe Stetino, suo amico colendo.

S. D. Venerande vir. Filium Georgium antea propter ipsius ingenium, tantum diligebam. Nunc lectis tuis literis etiam pro-

---

1) de firmis — exposui] in priori ed. leguntur: de formis et in formis, utcunque exposui

2) ut] in priori ed. deest.

3) hac] prior ed. typ. errore habet: hoc

4) Pericli nostro] prior ed.: Pericli meo — Periclis nomine h. l. significatur Lutherus.

5) causas. Scripsisset] prior ed.: causas scripsisses

6) *συμβόλων.*] in priori ed. legitur: *συμβόλαιον.*

pter te diligere cepi, ac si quam habebimus rem publ., officia ei mea non defutura sunt. Vides autem, quantum bellum in his regionibus inter cognatos exarserit, quod ut deus restinguat, oremus. Semper speravi et adhuc spero exitus non tetros belli, quod geritur nunc ad Danubium. Sed hoc civile incendium in Mysia magis metuo. Interea tamen deus Ecclesiae reliquias, exiguas fortasse, sed tamen aliquas servabit. Et in his reliquiis erunt liberi piorum, tuus filius et similes. quia scriptum est: Generatio rectorum benedicetur. Et quidem spero filii conditionem Ecclesiae lumen fore, quod ut fiat, faciat deus aeternus, pater domini nostri Iesu Christi qui servat semen sanctum in Ecclesia, ne genus humanum universum pereat. Bene vale. die 8. Novembris.

philippus Melanthon.

---

490. 1. Dec.

Eidem Georgio Cracovio seniori.

Vide prolegomena praecedentis epistolae.

Venerando viro eruditione et virtute praestanti Domino Georgio Cracow docenti Evangelium in Ecclesia dei in urbe Stetino, amico suo.

S. D. Omnibus aetatibus exilia Ecclesiae usitata fuerunt, propter has causas praecipue, ut admoneamur, nos amisisse veram patriam, ad quam conditi sumus, et deinde per filium dei nobiscum exulantem, in eam patriam reductos esse. Feramus igitur usitatam Ecclesiae calamitatem mediocriter. Sed scholasticorum causa magis, quam mea causa doleo, quorum studia interturbantur his dissipationibus. Filio dedi consilium, ut hac hieme tecum maneat, cuius consuetudinem et sermones voluptati tibi fore spero tibique eum commendo. Si quam deus iterum nobis sedem dabit, ubi prodesse filio tuo poterimus, non defuturi sumus ei. Et spero eum deo curae fore, qui servabit aliqua bona ingenia Ecclesiae, ut apud Esaiam[1]) dicitur: Nisi deus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus. Oremus autem deum, ut servet semen

1) Iesaias I, 9.

pium quod doctrinam puram et sinceram custodiat. Bene vale. Cal. decembrib.

Philippus Melanthon.

---

491. **1. Mart.**

Georgio Cracovio iuniori, Magistro, Stetini apud patrem versanti.

Vide prolegomena ad epistolam no. 489.

Eruditione et virtute praestanti magistro Georgio kracow amico suo. Stetini.

S. D. Duas accepi Epistolas alteram patris tui γέροντος αἰδεσίμου, alteram tuam, in qua scribitis missam esse pecuniam, Sex opinor Ioachimicos. Ego vero eam pecuniam non accepi nec quisquam tabellarius ad me venit, qui narraret se pecuniam a vobis adferre. Erit igitur inquirendus tabellarius cui literas dedistis et pecuniam. Inter bonos bene agier, dicebat integra vetustas. Idem nos servemus. Ego si accepissem, bona fide id faterer, et iis dedissem quibus voluisti solvere. Nam mihi nihil debes, nisi animi benevolentiam. Bellum est κακὸν ἄλλο πρὸς ἄλλον, deus piam et salutarem pacem restituat. Bene vale. Imaginem somnii nostri tibi mitto. Calendis Martiis.

Philippus Melanthon.

Salutem opto Antonio nostro.[1])

---

492. **21. Oct. 1548 (?)**

Georgio Cracovio iuniori, Professori Gryphiswaldensi.

Vide prolegomena ad no. 489. — Ge. Cracovium illo tempore, quo haec epistola scripta est, Gryphiswaldiae fuisse Professorem, ex ipsa epistola satis clare intelligitur, praesertim ex eius fine, ubi Melanchthon per Cracovium D. Hieronymo Oedero Medico salutem impertit; hic enim erat Medicus primarius Ducis Pomeraniae.

1) Salutem — nostro.] haec verba Melanchthon propter epistolam iam clausam infra inscriptionem externam addidit.

(*Inscriptio deest.*)

S. D. Cariss. georgi. Scio te et militiae nostrae decus intelligere, et daturum operam, ut Spartam, quam nactus es, ornes. Quare et gaudeo te locum in Academia honestum, in qua tua opera posteritati profutura est, nactum esse, et volo perpetuam inter nos amicitiam esse. Si mei silentii causam esse putas, quod voluntas alienata sit, nimis es suspicax, quod in primis alienum esse ab homine philosopho debet. Rari sunt tabellarii, et si qui offeruntur, subito pergunt. Et scis molem nostrarum occupationum. Tuae quaestionis Aristotelicae facillima est explicatio, praesertim tibi exercitato in doctrina geometrica, unde extraxit Aristoteles totum illud aedificium demonstrationum. Vult autem ante argumentationem prius quaedam cognosci oportere. Prius nota sint principia, imo et extrema simpla, positum sit etiam, cuius propositionis confirmatio instituenda sit. Exempla, quid velit, indicant. Principio nosse necesse est, ὅτι ἔστι ut Quodlibet est, aut Non est. Item simplicia necesse est cognosci, ne quid significet Trigonum. Haec brevissime scripsi, quia et literae tuae indicabant te videre iam acie ingenii tui sententiam Aristotelis. Bene et foeliciter vale. die 21. Octob.

Philippus Melanthon.

Mitto tibi pagellas,
salutem opto viro optimo
d. Hieronymo oedero Medico.

---

493. **26. Febr. 1549 (?)**

Eidem.

Vide Prolegomena ad no. 489.

Honestissimo viro Eruditione et Virtute praestanti Georgio Cracow in Academia Gripheswaldensi, amico suo cariss.

S. D. Cariss. Georgi. Etsi in tali confusione rei publ. deliberationes nobis omnibus fiunt difficiliores, tamen consolationem hanc a deo propositam teneamus, qui inquit: Commenda deo viam tuam, et IPSE faciet. Postquam igitur, ut ego existimo, divino aliquo motu decrevisti de vitae genere, spero deum tibi adfuturum

esse, et ut vestras et nostras Ecclesias servet, et hos docentium et discentium coetus, et ut te gubernet, toto cum pectore oro.

Etiam sapientes ethnici clamant, initia et eventus bonorum consiliorum a deo esse, ut Pindarus[1]) inquit, γλυκὺ ἀνθρώπων τέλος καὶ ἀρχὰ ὀρνύντος θεοῦ αὔξεται, petamus igitur et expectemus honestorum consiliorum gubernationem a deo aeterno patre domini nostri Iesu Christi. Frater Magistri Erasmi Rheinholt pollicetur se in Academiam vestram profecturum esse, si volueritis. Vir honestus et doctus est, et candidus, ac natus in familia honesta. Munus tuum accepi, quod etsi gratum est, tamen iudico maius esse, quam nos τὴν ἀναλογίαν καὶ μεσότητα ἀσπαζομένους dare aut accipere decet. Sed coram hac de re. mitto poemata tibi et amicis. Bene vale. 26. Feb.

philippus Melanthon.

---

494. a. 1549 (?)

Georgio Cracovio iuniori, Professori Witebergensi.

Vide prolegomena ad no. 489. — Ex hac epistola apparet, eam scriptam esse, postquam Cracovius munere Professoris Witebergensis per anni quadrantem perfunctus erat.

Clariss. viro eruditione et virtute praestanti d. georgio Cracovio amico suo cariss.

S. D. Nunc Rorarii coniux accipiet stipendii partem, quae viro praesenti soluta esset. Ideo magnopere te oro, ut de hoc quadrante anni exacto, non pugnes, quia nec habet aliunde fiscus, quod possit numerare. Nos enim ex collegii philosophici pecunia in proximo quadrante addidimus fisco quadraginta Ioachimicos, et in aula nihil agi poterit, prinsquam sciremus quid Lipsiae acciperetur. Nec accipi potuisset, scis enim fuisse controversias, sine tragico certamine, nisi privati cuiusdam amici diligentia nobis opem tulisset. Significabo aulicis migrationem Rorarii, et inde petam, ut quod tibi iam promissum est, deinceps solvatur καὶ οἶμαι ἄλλην

---

1) Pind. Pyth. 10, 10.

τινὰ μεταβολὴν γενήσεσθαι, unde copiosius tibi consuli poterit. Bene vale, et me occasioni non defuturum esse scias.

Philippus Melanthon.

495.

Eidem Georgio Cracovio.

Vide prolegomena ad no. 489.

Clariss. viro D. Georgio Cracovio.

S. D. Cariss. d. georgi. Scripsi ad d. Cummerstadium Epistolam, quam et a te et a d. doctore Laurentio legi volo, qui, si ei placebit, subscribere poterit et sddere aliquid de suo iudicio.

Ad principem ita commode scribi posset, si communis suffragatio facta esset, et te oro, ut cum d. Rectore deliberes. Spero te istic Iurisconsultis tribus praesentibus et me praesente habiturum suffragia plurium. Et id honestius et commodius esset. De aerarii inopia non falso queruntur ceteri. Sed si erit schola, deus illi rei medebitur. Et nisi haec tristia bella nos impedirent, multa ante de tuis commodis egissem. Scripsi ad Cancellarium cum adhuc in patria esset, ne quid statuerent de lectione, nisi audita etiam mea communefactione. Quaeso ut de tota re cum d. doctore Laurentio deliberes. Bene vale.

philippus.

496.

Eidem.

Vide Prolegomena ad no. 489.

(*Inscriptio deest.*)

S. D. Clariss. d. doctor. Iam rediit nuntius Hildesius, qui nuper huc attulerat acta, quae vobis exhibui eo die quo abierat Nuntius, quaeso ut ei respondeatis *γνώριμόν ἐστιν ὑμῖν τὸ δεινὸν γένος τῶν γειτόνων*. Cogito cras mittere nuntium ad Iacobum Rungium meo sumptu. Nam Frederns huc rabiosum scriptum misit.

Petit, quia iniuste condemnatus sit propter nostram sententiam, et multa amiserit, ut nos sarciamus eas iacturas. Bene vale.

philippus.

---

497. 19. Aug.

Eidem.

Vide Prolegomena ad no. 489.

Doctiss. viro d. georgio Cracovio amico suo.

S. D. Cariss. Georgi. Nescio qui sint architecti huius consilii, de quo primum heri audivi, et quidem magno cum dolore. Sed tua moderatio mihi lenit sollicitudinem. Hoc miror, cum illis, per quos agitur res, nota sit mea voluntas, mihi tamen ad alias nostras aerumnas, etiam addere eos hanc molestiam. Hodie spero Rectorem convocaturum esse eos qui adsunt, Ibi dicam sententiam, et meos dolores aliquando exponam. Deus restituat tibi vires corporis. Bene et foeliciter vale. die 19. Augusti.

philippus.

---

498. 31. Aug.

Eidem.

Vide prolegomena ad no. 489.

Clariss. viro eruditione et virtute praestanti d. georgio Cracovio amico suo cariss.

S. D. Doctiss. georgi. Aberat ut scis d. Rector, cum iter ingredi me necesse esset, qui si adfuisset, mederi huic negotio potuissem. Nunc te oro, ut pro tua prudentia et virtute, quod facis, boni consulas ea quae acciderunt, et cogites Theognidis versum, *Τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας δεῖ τάδε καὶ τοὶ φέρειν.* Si haec *μυρμηκιὰ* non prorsus dissipabitur, tuebor omni officii genere amicitiam et coniunctionem nostram, ac multis in rebus existimo conspici posse,

me voluisse cum viro optimo d. pastore tuo socero [1]) perpetuo concordiam tueri, quod et rei publ. causa feci, et quia vere eum semper dilexi et veneratus sum, quod ipse scit, annos iam triginta. Nec nunc me senex retexam. Placet mihi consilium de enarrando primo libro περὶ τῶν καθηκόντων ἢ ἀρετῶν. Cicero Lectori splendidam [2]) materiam suppeditat in descriptione virtutum, in exemplorum varietate, in collatione divini et humani Iuris, doctrinae coelestis, et philosophiae. Et talis enarratio prodest adolescentibus ad iudicandum, et ad orationis copiam. Deum oro, ut nos omnes regat, et nobis adsit, et hoc exordium tuarum praelectionum gubernet. Bene vale. pridie Cal. septemb.

philippus.

499.

Eidem.

Vide prolegomena ad no. 489.

Doctiss. viro d. georgio Cracovio.

S. D. Scis de deo scriptum esse: Ipse est longitudo dierum, et vita tua. Hanc vitae autorem et fontem oro, ut te servet, et vires corporis tibi restituat. Velim etiam te venerando seni, socero scribere, de literis Principis dominus rector statuet suo arbitrio. Sed si volet expectare meum reditum, scias me intra dies paucos, deo iuvante, constituisse redire. Eo enim nunc propero, ut citius redire ad collegas huc possim. Bene vale.

Philippus.

500.

Georgio Cracovio, Doctori Iuris.

Vide prolegomena ad no. 489.

---

1) Bugenhagen, cuius filiam Saram Ge. Cracovius a. 1549. in matrimonium duxerat.

2) splendidam] in autogr. calami errore legitur: spendidam.

Clariss. viro eruditione et virtute praestanti d. georgio Cracovio doctori Iuris, fratri suo cariss.

S. D. Hac hora contexui quaedam historica de gallis et Anglis qui miserum Bavarum utrique ludificati sunt. Et addidi, desertum esse ab amicis, ubi addo dictum Epicharmi: *μέμνησο ἀπιστεῖν, ταῦτα ἄρθρα τῶν φρενῶν.*[1]) Id etiam aulae nostrae cogitandum est. Non quiescunt furiae cognatum sanguinem sitientes. Sed oro filium dei, ut nos protegat et gubernet. Hac hora orationem typographo dabo. Quaeso venias ad nos ad prandium. Erit enim initiatio adolescentis Austriaci. Bene vale.

Philippus.

501.

Eidem.

Vide prolegomena ad no. 489.

Clariss. viro d. Georgio Cracovio, doctori Iuris, fratri suo cariss.

S. D. Cariss. frater. Benevolentia tua delector, sed Salmonem alibi melius collocare poteras. Nam ego versu Ausonii[2]) magis delector: Et te purpureo rutilantem visere salmo, quam ipso cibo.

De reditu Principis adfirmant proximo die dominico fuisse iter ingressum.

Aiunt et ducem Brunsvicensem Ericum mortuum esse. Ex Polonia Tartari multa millia hominum abduxerunt. Novi exercitus Turcici in Pannoniam adducuntur. Urbi venetorum non concedunt Turci frumenta vendi. Si quid hodie audiero, tibi significabo. Bene vale.

Philippus,

---

1) Conf. Epicharmi fragmenta ed. H. Polman Kruseman (Harlemi 1834. 8°) p. 87. no. XIX., ubi hoc dictum sic legitur: *Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν.*

2) Auson. in Mosell. 97.

502. — —

Eidem.

Vide prolegomena ad no. 489.

Clariss. d. doctori Cracovio.

S. D. Heniochenus Capitaneus misit suas et pastoris literas, quibus petitur, ut scribamus ad Illustriss. principem Ducem Saxoniae Electorem, ut attribuat additionem Pastori et diacono. Res pia est, et praefectus vult offerre nostras literas. Quaeso ut tu Epistolam recte componas Consistorii et meo nomine ad illustrissimum Principem, qua petatur additio, quia nunc angustiora sunt stipendia, quam ut inde familia vivere possit, etiamsi esuriat. Et hi qui nunc ibi sunt, modesti sunt, et esuriunt. Iam statim literas parari oportet.

Philippus.

---

503. — —

Eidem.

Vide prolegomena ad no. 489.

(Inscriptio deest.)

S. D. Clariss. d. doctor, et cariss. Frater. Statim postquam domum redii die dominico, misi rursus nuntium Lipsiam ad doctorem Mordisium qui exemplum Epistolae ad Reginam Anglicam scriptae ei adferret. Nondum enim acceperat ex aula, misi et exemplum meae Responsionis ad Maxaemylianum, qui me ad moderationem hortatur, cui quid responderim te quoque legere velim. Nunc scribo ad Wolfgangum Palatinum de suis Ecclesiis, quae ad me reiecerunt suas quasdam deliberationes. Bene vale.

Philippus.

---

504. — —

Eidem.

Vide prologomena ad no. 489.

(Inscriptio deest.)

S. D. Heri te sciscitari volebam de Sponsae Valerii [1]) nomine, et familia, et quid de ipso putes inserendum esse Epithalamio, ego tantum haec habeo ornamenta, familiaritatem Carolovicii, et postea Ducis Mauricii Legationes. Vellem te ad me accedere, si non detinent te aliae occupationes graviores. Bene vale. Mitto tibi etiam Epistolam quae addita fuit libro.

Philippus.

505.

Scheda

in cuius antica parte Georgii Cracovii quaestio, in aversa Phil. Melanchthonis responsio legitur.

Georgius Cracovius ad Melanchthonem.

Clariss. D. praeceptor et compater. Observanter, Reverenter peto mihi significari, quo in loco Iuris Canonici habeatur decretum: Frustra servatur *εὐαγγέλιον* etc. *ἔπειτα δὲ δέομαι ὅτι ἐθέλῃς τὸ πρᾶγμα ὑμέτερον ἐμμελῶς καὶ σπουδαίως διατελεῖν. ἕξεις γὰρ τὸν πένθερόν μου καὶ ἐμὲ μηδαμῶς ἀχάριστον.*

ὁ γεώργιος μαθητής.

Melanchthon ad Georgium Cracovium.

S. D. Doctiss. georgi. Dictum de quo interrogas exstat in Gratiani farragine, locum postea quaeram. *Καὶ τοῦ ἑτέρου πράγματος μέλει μοι, περὶ οὗ καὶ γράψω πρὸς τοὺς ἄρχοντας, ὅταν πέμψω εἰς αὐλήν τινα συγγράμματα περὶ ὧν οἶσθα αὐτοὺς ἐν Τροιζῆνι* [2]) *ἐμοὶ διαλέξασθαι. ἔρρωσο.*

philippus.

---

1) Hic Valerius Cracovius est Georgii Cracovii affinis ille, cuius in epistola d. 5. Febr. 1560 ad eum scripta (Corp. Ref. IX. p. 1041.) mentio fit.

2) i. e. Dresdae.

506. 22. Febr.

Georgio, pastori ecclesiae in urbe Aretea.

Haec epistola s. l. et a. (16 lineas continens), in qua Melanchthon de Joh. Schoassero disserit, in Bibliotheca Zittaviensi asservatur. Eam nondum vidi.

---

507. 27. Aug.

Melchiori Iunio.

Ex libro: Alles aus allen Theilen der Geschichte. Tom. I. (Chemnitz 1762. 8°) p. 158 sq. cum annotatione.

Venerando viro eruditione et virtute praestanti D. Melchiori Iunio Pastori Ecclesiae Dei in Senfftenberg, amico suo carissimo.

P. D. Venerande vir et amice carissime. Sedet ad dextram aeterni Patris filius λόγος καὶ εἰκὼν ἀϊδίου πατρὸς, colligens aeternam Ecclesiam voce Evangelii. Hunc oro, ut gubernet tuum ministerium, et te et Ecclesiam tuam domesticam servet. Peto etiam a te, ut interdum nobis scribas et significes, an praesentem locum priori anteferas. Hunc Severinum ut Senatui vestro commendes oro. Spero enim, si adolescentiam ei commendaveris, recte facturum esse officium. Bene vale et rescribe. Mitto tibi pagellas. Spero locum Eusebii tibi gratum fore. item [1]) vale. die 27. Augusti.

Philippus.

---

508. 16. Maii.

Georgio Kargio.

Hanc epistolam et duas subsequentes primum edidit Aug. Scheler ex Apparatu Melanchthoniano Professoris Van de Velde in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 8. p. 117. epist. 20. — p. 116. epist. 18. — p. 117. epist. 21.

Egregia doctrina et pietate praedito D. Georgio Karg, docenti evangelium in ecclesia Ottingensi, amico suo. S. D.

---

1) item] sic l. l. legitur; sine dubio pro eo legendum est: iterum.

Omnibus aetatibus infirmae fuerunt pôtentum voluntates in Confessione Evangelii. Possem vetera et recentia exempla recitare multa. Sed, mi Georgi, non extinguamus linum fumigans. Admone placide comitem ut agnoscat erratum; infirmitati venia danda est. Existimo autem infirmitate lapsum, non odio Evangelii. Nondum igitur βλάσφημος est. Quare eum rursus consoleris et in viam revoces. Saepe etiam firmi et magni homines turbantur in tanta iudiciorum huius aetatis confusione. Nec velim te ab eo adhuc discedere, ne magis saucietur eius animus. Haec breviter duxi tibi respondenda esse, ac malim respondere mitius quam durius. Non nihil in his morbis tempus et lenis curatio possunt. Vidi similes casus ubi lenitate et tempestiva admonitione multum profecimus. Bene vale, carissime Georgi: Deus pater liberatoris nostri Iesu Christi te gubernet et servet. Die 16. Maii.

Philippus Melanthon.

509.

Eidem.

Ex eodem libro p. 116. epist. 18.

D. Magistro Georgio Karg. S. D.

Ingenium tuum semper amavi; videbam enim te bona spe in optimis studiis versari. Quare doleo animo, illum tuum cursum nonnihil impeditum esse consuetudine mali hospitis teque in hanc calumniam incidisse. Si adfuissem, multo citius ad te venissem: veniam autem hodie, Deo volente et tecum colloquar. Spero et D. Doctorem Martinum et D. Doctorem Ionam daturos operam, ut libereris, si commode responderis, nam de te mitissimos audivi sermones D. Doctoris. Bene vale.

484.

Eidem.

Ex eodem libro p. 117. epist. 21.

(*Inscriptio deest.*)

In maximo concursu occupationum adferebat literas tuas nuntius. Quare nunc eum detinere nolui, et scribam his diebus, ubi aliquid habebo vacui temporis, prolixius. Conventus historia adhuc perbrevis est. Tempus omne hactenus in exordiis consumptum est. Nam adversarii liberam suffragationem singulorum miris artibus impedire conantur. De dogmatibus nondum collocuti sumus. Fraudes in contractibus struuntur innumerabiles. Sed tamen homini mediocriter attendenti non difficile est discernere veras emptiones a fictitiis. Si subest in contractibus merx, hoc est res aut ius et dans pecuniam non retinet ius repetendae sortis, emptio est.

De cohercendis foeneratoribus, si cessent magistratus superioribus[1]), faciat pius concionator Ecclesiae quod iubet Christus. Si illi admoniti non desistant, non admittat eos ad usum coenae Domini. Si publica excommunicatio commode restitui posset, hanc quoque vellem exerceri[2]), sed tempus ei rei consilium adfert. Alias scribam copiosius. Bene vale. Postremum negotium, de quo scribis, nemo profitebitur. Et tu si audies sermones ea de re, dicas neminem fore professorem eius novitatis. Iterum vale.

Philippus Melanthon.

---

511. — —

D. Melchiori Kindt.

Hanc epistolam et subsequentem descripsi ex Indice Epistolarum Melanchthonis Cod. 58. 4° Bibliothecae Civitatis Hamburgensis fol. 72 a.—b. no. 112. et fol. 72b no. 113.

(Inscriptio deest.)

Proximis his diebus cum domum redissem, coeptum est de Professore Theologiae deliberari, qui reliquis lectoribus adiiceretur. Mihi id oneris imponi quidam volunt: estque ea conditione aucta merces. Verum me multae causae deterrent, nec videtur huic labori sufficere valetudo, qua ego, ut scis, perpetuo utor. Fit

1) superioribus] pro hac forma legenda videtur: superiores.

2) exerceri,] sic scripsi, l. l. legitur; exeri,

tui etiam mentio. Neque dubitare debes, quin, si libeat redire, honestam conditionem tibi nostri delaturi sint. Quare nisi nimium amas patriam, et potuisti eam ex animo veteris amicitiae eiicere, volo te hac de re cogitare, quid sit optimum factu. Nemo tempestivum id putat, te istuc avellere, sed per occasionem aliquanto post Scholae fundamentis iactis multi boni in spe sunt, fieri posse rursus, ut nos illo tuo ingenio fruamur. Eritque hac de re, ut alias etiam, σύμβουλος ἄριστος ὁ χρόνος, ut Graeci dicunt. Ioachimus, Michael et Eobanus Norimbergam commigrabunt, ut spero. Nos hic haeremus adhuc. Me reliqui amici non perinde delectant propter dissimilitudinem studiorum. Vale.

506.

Eidem.

Vide prolegomena praecedentis epistolae.

(*Inscriptio deest.*)

Ego his diebus Torgae fui in aula et de Conventu petendo egi. Scis enim, me habere iter Norimbergam. Multa ibi cognovi, quae cupio in tuum sinum effundere. Et quia tecum sum brevi futurus, servabo ad nostras confabulationes totam historiam. Interim audio Volfgangum dimittere uxorem, sed dicunt morbum Gallicum causari. Est quos sermones dabit ea res malevolis. Quaeso te per nostram amicitiam, ut hunc Vandalum in schola Germanica petenda adiuves summa ope, et puta in hominem optimum et integerrimum collocari, quicquid in eum conferes. Vale.

507. 1. Sept.

Ioh. Marcello.

Hanc epistolam et subsequentem primum edidit Prof. Scheler ex Apparatu Melanchthoniano Professoris Van de Velde in Naomanni Serapeo anni 1867. No. 8. p. 119. epist. 23. 24.

(*Inscriptio deest.*)

Herus tuus honorifica oratione et diligentiam tuam et animi aequabilitatem mihi praedicavit. Ego de diligentia, quoniam in

te numquam desideravi, non valde sum miratus: illa laus tuae aequabilitatis magis delectavit. Exposuit enim mihi de te *στεργόντα παρόντα* [1]) et tuam operam in posterum etiam promisisse. Quaeso igitur te, ut quod facis pergas summa fide optimi viri filios docere, quos spero patris similes fore, si praeceptoris diligentia in patris mores formabuntur. Cum a nuptiis Viti nostri (Winshemii) ex Thuringia huc redissem, vehementer consternatus sum ex fama *διὰ τὰ κειμήλια* heri tui quae ibi reposita esse sciebam. Te facies mihi gratum, si ea de re mihi scripseris quomodo se habeat. De tua etiam voluntate et studiis certiorem me facito. Vale feliciter. Calendis Septembris.

---

514. — —

Eidem.

Vide prolegomena praecedentis epistolae.

(*Inscriptio deest.*)

Doctor Leonardus Mertz syndicus Magdeburgensis iam aliquoties huc scripsit ad me rogans, ut filio praeceptorem quaeram, ac maxime optat sibi contingere aliquem qui exerceat puerum in his communibus literis ut adsuefaciat eum ad lectionem elementorum iuris audiendum.

Ego video neminem ei rei aptiorem quam te fore. Pater vir bonus est et erit gratus, quod ego certo scio. Sed vereor ne pueri feritas absterreat te, qui tamen videtur revocari posse ad modestiam, postquam sensit, quantum pater offensus sit, nescio quibus rumoribus de eo dissipatis. Amabo te, responde, ac velim te promittere, non respondere tantum. Adest nuntius a patre venturus ad me prandio; fac sciam quid decreveris. Vale.

---

515. — —

Amico N.

Ex Ioh. Georg. Schelhornii Ergötzlichkeiten aus der Kirchenhistorie und Literatur. 2. Stück. (Ulm 1761. 8°) p. 310—312.

(*Inscriptio deest.*)

---

1) *στεργόντα παρόντα* (i. e. contentum praesenti statu)] sic scripsi: l. l. leguntur: *στεργαντα παραντα*.

Quanto dolore propter honestissimae coniugis obitum affectus sis et crucieris, facile ex hac mea animi moestitia et dolore, quem ex hoc casu incredibilem accepi, coniecturam facio. Nam quae cogitationes tuae nunc sint, quodque desiderium hoc communia fere exempla in hoc genere humano satis edocent. Quare in hoc tuo luctu neutiquam potui illud vulgare officium amicos consolandi praetermittere. Scis enim magnitudinem amoris mei erga te. Non autem potes ex ulla re alia praesentius solatium his malis tuis aliunde petere, nisi si cogites, et certo tecum statuas animo, hoc non ita temere, sed certa quadam et benevola Dei voluntate accidisse, et simul etiam, non vana, sed singulari dispositione divina res humanas ita comparatas, et nullum huius vitae bonum perpetuo sit solidum. Quod ipsum fortassis hac gratia fit, ut discamus hinc aequo et christiano animo tolerare, quicquid in hac mortalitate, aut adversi aut commodi nobis usu veniat, et rebus secundis non efferri, et Dei benevolentiam ubique agnoscere. Sed magis impium est, non sustinere patienter voluntatem Dei, si aliqua adversitate, si orbitate coniugis, liberorum et amicorum angimur. Docent enim sacrae literae, et exempla paene omnium Sanctorum testantur, haud adeo feliciter cum iis agi, qui prospera tantum huius vitae sentiunt, et ab afflictionibus omnibus, quae communes sunt christianis, abhorrent. Nota est sententia Salomonis: ***Quos diligit Dominus*** etc. Et in epistola ad Hebr. adulteri filii vocantur, qui perpetuis fortunae bonis gaudent. Amisisti uxorem charam, pudicam, sanctam, bene moratam. Fateor et scio. At quid facias? aut quid, obsecro, te maceres, cum et haec voluntas Dei fuerit, cui obsistere nemo possit? Et magis gaudere debebas, quod secundum hanc Dei voluntatem, in tam sancto mortis genere atque adeo in hac vocatione sui puerperii, diem suum obierit. O felicem illam et beatam, quae liberata sit ab huius saeculi infinitis paene malis, relinquendo sui tam dulce, tam desideratum desiderium. Nos infelices, qui in hoc mundo, tanquam in ergastulo quodam, et tam infinitis paene malis detineamur. Sed finem facio epistolae in consolando, ne plus augere videar dolorem quam allevare. Quod serius scripsi, cupio me excusatam tibi. Nam per hebdomadas aliquot domi non fui. Bene vale, et Christo te totum commenda.

510. — —

Amico N.

Haec epistola et subsequens primum editae sunt a Prof. Scheler ex Professoris Van de Velde Apparatu Melanchthoniano in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 9. p. 133 sq. epist. 35. et p. 135. epist. 36.

(*Inscriptio deest.*)

Chilianus non amanter fecit, quod literas mihi tuas, in quibus fidem meam acerbissime accusas, misit, ut meam apud te innocentiam defenderem meumque de te iudicium et animi inductionem exponerem. Nam eruditionem et prudentiam mihi facile detrahi patiar; fidem in discrimen venire, id vero cruciat. Fuerat autem amicitiae nostrae, priusquam me apud alios traduceres, mecum expostulare, si quid alienius audivisses, nec temere quicquam de amico credere. Nunc vero apud tuum Chilianum eiusmodi literis conscindis, ut nihil in socerum credam archilochium inimicius scripsisse. Cupio itaque me tibi purgatum et amicitiam quae in[1]) nos diu fuit sarcire, ac quidem sancte iurare possum, si quid modo iuranti credis, me, ex quo tecum amicitiam iunxi, semper amasse in te probitatem et studium literarum in quibus te versari magna cum diligentia videbam. Eam erga te voluntatem meam, ita me Deus amet, mutavi nunquam, neque de te aliter loqui memini. Certe Norimbergae apud Dominicum et alios saepe honorificam tui mentionem feci; de tuis poculis nunquam est seriis sermonibus apud amicos familiarissimos aut alios dictum. Nam cum excusari illum tuum morem, tum mutari ipse sciebam. Deinde cur laederem te, a quo me amari certum habebam et qui mihi vicissim charus erat? aut quam utilitatem, quos reditus ex tua ignominia captarem? Nec ego tamen, si me recte novi, tam perverse malus, ut gratis iuvet laedere hominem de me bene sentientem; denique etiam tibi consulere teque iuvare mihi curae fuit. Sed tu neque igitur tres illos, quos ego senatui Norimbergensi commendavi, locum ambisti, neque consilium profectionis tuae Noribergam etiam irroganti[2]) mihi satis declarasti et vides quam paucus ibi locus fuerit. Ego vero quos commendavi Noricis, alieno magis quam meo illis iudicio probari volui, neque quicquam de-

---

1) in] fortasse legendum est: inter

2) irroganti] forte: interroganti

bui ea in re privatae amicitiae, quae mihi cum illis est, causa fecisse: cum ipsi nihil tale ambient et delatam provinciam gravatim susciperent et aliis locis amplissimas conditiones haberent et domi suae honeste in otio vivere possent. Quod si vicissim qua ratione et tibi prospici potuisset, profecto non fuissem tibi defuturus. Sed tu longe erras, si me plus ibi aut posse aut sumere debere existimas quam apud exteros hospitem decet. Verum non hoc quereris, te non esse adiutum a me, sed plane proditum ac laesum: id summa conscientiae fiducia pernego. Semper enim eruditionem tuam praedicavi, nec usquam dixi quidquam quod existimationem imminueret. Nam sic hodie etiam affectus sum, ut, si necessario et suo tempore postules, non dubitem de meis etiam fortunulis suppeditare; tantum abest ut aliorum voluntates abalienare a te unquam studuerim. Tu cum fidem mihi detrahis, non relinquis mihi ut te per ullum numen rogare possim. Si tamen adhuc me putas esse non omnium qui vivunt desperatissimum, rogo te per Christum, ut opinionem de me falso conceptam ex animo deponas meque sentias tibi ex animo amicum esse et cupere, si qua in re possum, benevolentiam erga te meam declarare. Non enim, si meae voluntati fortuna hactenus defuit, ideo fides mea in dubium vocanda erat. De carmine ad Carolum quod scribis invidiam vitandam esse tibi duxi. Nam ego meo malo sum expertus, quantum periculi sit in his turbis hoc genus libellos edere. Illa libenter tibi condono, quae odiosissime congeris nihil me praeter mea amare, nullos imitari praeter nostros συμφοιτήτας, tametsi non concedo tibi, ut animi mei sensum propius noris, quam ego; nec sum tam truncus, quin videam quantum mihi desit et non modo huius scholae homines eruditos, sed literatos aliis plerisque locis in Germania quibuscum est notitia, colo. In Silesiis integra res est, nam princeps Silesiae a meo ex Noricis reditu huc scripsit, ut sub autumnum Ligniciam professores conveniant. Tibi nemo adhuc surrogatus est. Itaque si illo migrare libet, locus tibi patet; ea de re ut mihi scribas cupio. Sed, ut finiam tandem, si abit te impetro, ut, si mihi fidem habeas, amicitiam nostram me religiose coluisse teque impense amare magno me beneficio auctum esse existimabo. Si non impetro, ferenda est scilicet insignis iniuria qua me afficis, dum tales epistolas in Germania spergis. Verum ego mihi de ingenii tui candore promitto futurum, ut hac literae meae plus apud te ponderis quam malevolorum sermones habeant.

517.

Amico N.

Vide prolegomena epistolae proxime praecedentis.

(*Inscriptio deest.*)

Hieronymum nostrum initio propter tuam commendationem libenter complexus sum, nam cum te propter eximiam prudentiam et humanitatem tuam plurimi facerem (saepe enim, cum de nostro congressu cogito, tuas laudes hoc Homeri versiculo describere soleo: *ὁ ξεῖνος μάλα μοι ἔδωκας πετονόμενος* (?) *εἶναι*) cupiebam tibi in tuendo amico tuo, voluntatem et studium erga te meum probari. Postea cognovi singularem esse prudentiam Hieronymi et fidem ac morum sanctitatem egregiam, ad quam adiunxit optimarum artium doctrinam et verae philosophiae studium. Quare et iudicium tuum in amicis deligendis valde laudans, et tibi me debere multum iudicavi quod talem ad nos hospitem misisses, facileque eum in intimam familiaritatem admisi: nec cum ullo libentius de multis magnis rebus, de optimis artibus, de republica, de privatis consiliis, colloqui solitus sum, quam cum ipso. Itaque cum magnae mihi voluptati eius consuetudo fuerit, invitus eum a me avelli passus sum. Sed tamen cum viderem eum magis tui desiderio, quem tot iam annis non vidit, quam ulla cupiditate alia incensum esse tandem hoc iter suscipere et hunc animum ipsius probavi et profectione dissuadere nolui. Precor itaque ut ipsi iter faustum et felix sit et ut mutuo amore vobis feliciter frui contingat. Non arbitrabar autem ambitiosa ipsi commendatione ad te opus esse. Nam et vetus amicus est et tibi fides eius et in omni officio moderatio perspecta est: scio autem utrumque magnam vim apud te habere, quem in amicitia gravitatem et constantiam in primis animadverto praestare et in amicis deligendis solam virtutem spectare. Illud tamen te oro ut propter testimonium meum ad benevolentiam erga ipsum tuam addas aliquid studii. Hactenus ita amanter de me sentire visus es, ut mihi persuaserim meas literas apud te magnum pondus habere. Quod si extaret aliquod illustre specimen mei erga te amoris, liceret mihi audacius velut reposcere officium. Sed tamen ut Hieronymus testis est meae erga te voluntatis et si erunt nobis mitiora tempora, efficiam, ut extet testimonium mei de tua virtute iudicii. Itaque te oro et Hieronymum et propter humanitatem tuam et propter ipsius virtu-

tem, adde et propter meam commendationem, complecti et tueri velis. Bene vale.

518.

N.

Ioseph Chmel in libro: ***Die Handschriften der k. k. Hofbibliothek in Wien.*** (2 ***Bde***. Wien 1840. 1841. 8⁰) Tom. I. p. 240. in recensione Codicis MS. chart. Nro. 7589. formae maximae refert, fol. 15ᵃ continere Phil. Melanchthonis epistolam ad N. s. d., quae incipiat: „Trinis literis significavi caesarem Ratisbonae antichristi opibus adiutum bellum contra vos indixisse." Cetera eius verba omisit.— In eiusdem libri Tom. II. p. 232 sq. e Codice MS. chart. Nro. 10364. formae maximae fol. 20. affert aliam epistolam integram: ***Philippus Melanchthon***, sine nomine eius ad quem scripta est. Initium eius congruit cum illa, quam supra p. 406 sq. no. 422. exhibui, atque cum alia p. 444. no. 454. allata; cetera vero pars ab utraque differt, quapropter h. l. exhibetur.

Philippus Melanthon.

S. D. Extat apud Clementem Alexandrinum vetus Iustitiae definitio, doctissima si recte intelligatur: Iustitia est societas, qua Deus sese nobis communicat et est aequalitatis conservatio. *Δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία Θεοῦ, μετὰ ἰσότητος.* Duas iustitiae partes complectitur Agnitionem Dei, qua sese Deus hominum mentibus communicat, in eis lucet et eos gubernat. Item conservationem aequalitatis ordinatae inter homines, tum arithmetica, tum geometrica proportione. Hae duae partes iustitiae sunt universae vitae gubernatio et beatitudo. Fuit igitur prima cura huic Stephano a Remen Daventriensi, nato in familia honesta, ut Deum recte agnosceret. Sic enim Deus se communicat verae doctrinae cognitione et non aliter. Quare fontes doctrinae de Deo recte didicit, et animi pietatem vera invocatione Dei in agnitione et fiducia Domini nostri Iesu Christi, et honesta morum gubernatione ostendit. Ut autem alteram iustitiae partem, quae aequalitatem inter homines docet, et cognoscat et in vita privata, item in consiliis publicis ac iudiciis tueri possit, discit leges Romanas, in quibus aequalitatis illius initae sapienter constitutae sunt. Talis cum sit hic Stephanus, dignus est benevolentia omnium honestorum. Cumque prosit vitae communi bona ingenia ad gubernationem praeparare, et provehere, oro omnes honestos viros, ut hunc Stephanum amanter complectantur et ornare studeant. Non est autem

foelix sapientia sine Deo. Quare Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum custodem Ecclesiae, qui inquit: Ego sum vitis, vos palmites, oro ut hunc Stephanum servet et gubernet, et faciat eum palmitem salutarem suae animae et aliis.

519.

(*Iudicium ad Spalatinum missum.*)

E Codice MS. Bibliothecae Wernigerodanae supra p. 477. no. 487. recensito, fol. 107a. Inscriptum est: ***Iudicium. De ea quam quispiam ex alio prius gravidam duxit, Phil. Melanchthonis Iudicium ad Spalatinum.***

In tuo casu de ea, quam duxerat quispiam ex alio prius gravidam Iurisconsulti simpliciter iubent hunc retinere eam, qui publice duxit. Et mihi placet publicorum sponsalium fidem conservari. Itaque si potest persuaderi iste, ut retineat, feretis id quod malunt Iurisconsulti. Sin ille volet liberari, supplicet Principi. Ego privata autoritate nihil statuam. Vale.

APPENDIX,

IN QUA EPISTOLAE EXHIBENTUR, QUARUM COGNITIOI SERIUS CEPI, POSTQUAM PRAECEDENS COLLECTIO TYPIS ERAT DESCRIPTA, ADDITIS IIS, QUAE SUPR/ ALIAM OB CAUSAM OMISSAE SUNT.

520. No. 313b. (Vol. I. p. 703.) anno 1

Iohanni Agricolae.

Adolph. Brecher in Ephemeridibus: Zeitschrift für die historische Th anni 1872. Fasc. III. p. 323—410. in commentatione No. VII. „Neu träge zum Briefwechsel der Reformatoren und ihnen nahestehender Mä permultas epistolas illorum virorum primum divulgavit, ex quibu h. l. eligo, quae vel a Melanchthone vel ad eum scriptae sunt. — et subsequentem anni indicio carentes, l. l. p. 361 sq. no. IV. et eo allatas ad annum 1524. esse referendas, in annot. 39. argu ostendit.

Carissimo fratri suo M. Ioanni Islebio.

Salve frater. Quod scis desii meus esse; ideo quam ego mire velim tibi gratificari, tamen nunc me illi, quorum sive per te, sive quo alio fato meo, obstrepunt, oppugnant, tuntur manibus, pedibus, vi summa, ne concedas in domum n Quaeso te velis agere, quod videris esse in rem communem,

meam quam tuam. Ego certe, ita me deus amet, toto pectore vellem tibi cedere, non hac tantum domo, sed qualicunque possessione. Nunc cogita, quo loco sint res meae, quid futurum sit. Dominus coniecit me in calamitatem vix imbecillitati meae tolerabilem. Quo vero me vertam? Dominus est; faciat, quod libet. Ego haec non potui ipse prae dolore animi tibi dicere. Heri magna mecum contentione res per meos illos acta est. Vale frater.

Philippus.

---

521. No. 313ᵇ. (Vol. I. p. 703.) (anno 1524?)

Eidem.

Vide prolegomena praecedentis epistolae.

Suo Islebio.

Bernardus Helvius adest, huic aureos X. promisi, nec habeo nunc unde praestem. Nam quos ei destinaram, iam alius quidam praevortens accepit. Te quaeso, si potes, mittas mihi 4. Plures nec volo, nec accipiam. Sin est incommodum tibi, curabo aliunde. Nec est, quod tibi ipse negotium facias. Vale.

Philippus.

---

522. No. 378ᵇ. (Vol. I. p. 794.) (altera dimidia parte April. 1526.?)

Eidem.

Hanc epistolam primum exhibuit Brecher l. l. p. 364. no. VII. Quam ob causam altera dimidia Aprilis parte a. 1526. eam scriptam esse censeat, ibid. in annotat. 44. exposuit.

D. Iohanni Agricolae.

S. Cum a te discederem, tametsi tempestas erat iter facientibus iniqua, tamen Ioachimi commercium levabat itineris molestiam. Ubi huc ventum est, reddidi Luthero munus argenteum missum a Menarte. Saepe interea de rebus iis cogitavi, de quibus colloquebamur inter nos soli. Christus ea pericula, quae impendent, discutiat. Nam hae principum conspirationes nihil boni portendunt.

Est huc allatus libellus Erasmi. O quale scriptum! Noster[1]) vero videtur subiratior, et vereor multo responsurum vehementius quam antea scripsit. Haec volebam te scire. Tu scribe ad me quam saepissime poteris. Vale, saluta Iodocum et totam familiam.

Uxorem salutes meis verbis.

Φιλιππος

---

523. No. 380[b]. (Vol. I. p. 795.) (exeunte Aprili vel ineunte Maio 1526.)

Eidem.

Has literas exeunte Aprili aut ineunte Maio scriptas esse, Brecherus l. l. p. 365, ubi eas sub no. VIII. exhibet, in annot. 45. argumentis probat.

D. Ioanni Agricolae amico s. s.[2])

S. Tuas literas de Vito[3]) accepi postridie quam ad te scripseram per Vendalinum. Nihil puta mihi gratius potuisse accidere, quam ut de Vito certior redderer, quid statuissetis. Ego iam cogitabam eum Norimbergam mittere tametsi ad nullam certam conditionem. Hunc, postquam eum conducunt nostri, malo hic in his regionibus hominem studiosum retineri. Nam dubitare non debes, quin hic sit usui aliquando futurus in maximis rebus. Nam praeterquam quod literas latinas callet egregie simul ac graecas, et versus foelicissime scribit. Mores sunt castigatissimi et religiosa mens. Ea virtus est rarior quam credas in his, qui volunt videri literas scire. Quare commendo tibi hominem de optima nota, sicut inquit Cicero. Et ipse de tua humanitate et liberalitate comitis bene sperat, seque tuae fidei simpliciter committit. Nosti vetus illud: Inter bonos bene agier.[4]) Ita ut inter vos speren vos acturos esse, facit utriusque fides et virtus mihi multis iam casibus cognita et spectata. Vale. S. uxori et familiae.

Philippus.

---

1) i. e. Lutherus.

2) In margine additur: *Islebiae.*

3) Vito Amerbachio? conf. Brecher l. l. p. 363. annot. 43.

4) Conf. supra p. 374. not. 2.

524. No. 384[b]. (Vol. I. p. 798.) med. Iun. 1526.

Eidem.

Hanc epistolam medio Iunio 1526. scriptam esse, Brecherus l. l. p. 362—364. eam sub no. VI. afferens in annotat. 40. argumentatur.

Iohanni Agricolae Islebiensi amico suo S.

S. Valde cupiebam in reditu te visere, cum ex Thuringia Lipsiam iter facerem. Sed neque solus eram, neque comitibus meis erat integrum e regia via discedere. Nam unius in his equus misere claudicabat. Ubi redii domum, Luthero filiolum paulo ante comperi natum esse, praeterea novi hic nihil erat. Scis, quibus de rebus et consiliis quorundam factiosorum hominum collocuti sumus,[1]) cum una essemus. De his cupio tecum aliquando copiosius loqui. Nos hic sudamus in schola non leviter, dum, quantum durissimis temporibus possumus, studemus rem literariam conservare. Atque utinam ludus mihi tuo similis esset, siquidem omnino in hoc vitae genere video mihi, quod superest vitae, transigendum esse. Nam nusquam minus est otii, quam in nostra schola. Ubi ex tuis literis cognovero, quid agas, capiam consilium ad te exspatiandi primo quoque tempore. Quare volo ut scribas statim. Vitus[2]) iuvenis ille, cui spem fecimus fore ut sua opera in ludo vestro utamini, cupit scire, quid statueritis. Ea de re quaeso diligenter responde. Dignissimus est propter eruditionem et summam modestiam, quem adiuves. Commendo tibi Vendalinum. Uxori tuae S.

Philippus.

---

525. No. 418[b]. (Vol. I. p. 831.) (fere medio Nov. 1526.)

Eidem.

Hanc epistolam et subsequentem fere medio Novembri ad Agricolam esse datas, Brecherus l. l. p. 367 sq. ubi eas no. X. et XI. exhibet, in nota 48. ostendit.

---

1) De his legatur Brecheri annot. 41. l. l. p. 362 sq.

2) Vitus Amerbachius? vide Brecheri notam 43. l. l. p. 363.

D. Iohanni Agricolae Islebiensi amico suo.

S. D. Si qua unquam in re gratum mihi facere volui quaeso, ut quantum me amas, in hac re ostendas, efficias aulici vestri Ioachimo[1]) exponant totam rationem suscipie neris. Nollem eum tam longinquum iter ingredi, nisi arb in comite esse singularem humanitatem erga homines hone ingeniosos, eamque ob caussam ei Ioachimum praecipuae fore. Te per nostram amicitiam rogo, ut quidquid videbi rem pertinere Ioachimo indices. Nihil hoc tempore gratiu te praestare posse putes. *Περὶ ἀνατομίας* alias agam te quae quidem, ut spero, brevi erit absoluta. Vale. Meis reverenter saluta cives tuos Alexandrum et Bartholomeum et hospitem.

Philippus tuus.

---

526. No. 418e. (Vol. I. p. 831.) fere eo

Eidem.

Haec epistola a Brechero l. l. p. 368 sq. sub no. XI. exhibetur e lis 48. et 50. declaratur, eam anno 1526. esse scriptam.

Iohanni Agricolae Islebiensi.

S. D. Ioachimum apud vos fuisse his proximis dieb stimo, qui quid constituerit de profectione Hispanica qua ad me non dubito ipsum etiam scripturum esse, tamen, s comperisti, et per te reddi certior volo, teque, ut ad me vehementer oro. Lutherus recte valet et Ecclesiasten al Verum mihi nondum vacavit totum vertere, ubi absolvero versionem, mittetur ad te cum scholiis Lutheri, quae exce quidam *ταχυγράφοι*. Ex versione diligentiore opinor multu accessurum esse. Vale, saluta meis verbis reverenter uxore ac reliquos amicos.

Philippus.

Ioachimus narrabat mihi in aula Caesariana quosdam ranos, ut vocant, teneri captivos et periculum esse ne combr

---

1) scil. Ioachimo Camerario.

2) Conf. Melanchthonis ad eundem epistola incunte Ianuario 15 pta in Corp. Ref. I. p. 853. no. 428.

527. No. 422[b]. (Vol. I. p. 835.) (exeunte anno 1526?)

Eidem.

Quibus argumentis commotus Brecherus hanc epistolam, quam l. l. p. 366 sq. sub no. IX. exhibet, ad finem anni 1526. referendam esse censeat, in annot. 47. exponit.

Iohanni Agricolae Islebiensi amico suo s.

S. D. Mitto vobis Irenaeum, ut promisi, et explicationem in eius loca quaedam Lutheri, quam placituram esse vobis spero. De tota caussa scribit nunc Lutherus. Ego veteres aliud non sensisse puto, quam quod sit verum corpus in Eucharistia. Sic enim ait Hilarius libro octavo:

De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius domini professione et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est. Et haec accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo et Christus in nobis sit.

Vides esse claram sententiam Hilarii. Extat autem in octavo de trinitate, si voles legere totum locum. Cyprianus de coena Domini dicit aperte, eucharistiam ita ex duabus naturis constare, sicut Christus ex divina et humana. Quem locum si totum legeris, videbis autorem sine controversia voluisse, verum corpus in Eucharistia esse. Et Cyrillus in Ioannem multa similia dicit. Ego autem arbitror totius ecclesiae sententiam tum fuisse eam, quam isti scripserint. Nolim igitur temere dissentire a tota veteri ecclesia. Rescribe, an haec acceperis. Nam alias agam tecum hac de re pluribus. Vale et saluta amicos.

Philippus.

Sic Chrysostomus super locum Pauli ep. I. ad Chorint.: Si igitur ad Eucharistiam accedis, quae gratitudo et quae gratiarum actio est . . . .

Item. Verum ubi loco sanguinis animalium ratione carentium sanguinem proprium Christus induxit. Idem sane facit, qui Christi sanguinem bibit indigne: Sanguinem gustasti dominicum, et fratrem tuum non agnoscis, et praesertim die, qua carnem eius lingua contingere dignus effectus es . . . .

528. No. 450[b]. (Vol. I. p. 873.) (m. Maio vel Iunio 1527.)

Eidem.

Hanc epistolam Brecher l. l. p. 369 sq. sub no. XII. exhibet et ad mensem Maium vel Iunium anni 1527. refert argumento in nota 51. allato.

D. Iohanni Agricolae Islebio suo amico s.

S. D. Is qui has literas tibi reddet proficiscitur ad Mansfeld, ut ibi Celium iuvet in docenda pueritia.[1]) Quamquam enim non placebat mihi consilium Mansfeldensium, quod imponunt concionatori onus in schola docendi, tamen quia mihi ille, qui eius rei caussa hic fuit, ignotus erat, nolui in eo multum disputare et dissuadere institutum. Hoc magis etiam mirabar, sine tuis literis istum venire ad nos, eaque ex re coniecturam faciebam, sine tuo consilio susceptum esse id negotium. Sic sunt rustici. De asinis deque bobus consulunt peritos. Non consulunt de liberis instituendis eos, qui habent scientiam eius artificii. Hoc te rogo, ut commendatum habeas hunc hypodidascalum, quamquam meo consilio non suscipit id oneris. Sed placuit illi ipsi, qui eius rei caussa hic erat sine nostra commendatione. Ego tamen probum esse comperi et literatum mediocriter. De uxoris tuae valetudine fac ut aliquid sciamus, quam quidem ego opto esse firmissimam. Christus custodiat vos. Vale.

Philippus.

---

529. No. 461[b]. (Vol. I. p. 886.) 30. Aug. 1527.

Eidem.

Has literas, quibus solus dies additus est, anno 1527. esse scriptas, Brecherus l. l. p. 370 sq., ubi eas sub no. XIII. affert, in annot. 54. argumentatur.

Iohanni Agricolae Islebiae.

S. D. Hic tabellarius me rogavit, ut se tibi commendarem. Petet enim quandam parochiam in ditione Abbatis Salveldensis,

---

1) De hoc epistolae loco vide Brecheri notas 52. et 53.

quam nunc comes Albertus tenet. Tuo suffragio valde se adiuvari posse putat. Mihi eruditio hominis non est nota. Witebergae aliquamdiu vixit et ubi uxorem habet et comperi modestum hominem esse. Novi enim eum ante annos aliquot. Nihil tibi praescribo, sed te rogo, ut quod honeste potes facere, facias. Si sine aliorum incommodo huic pauperi poteris consulere, nihil alienum tua humanitate facies, si eum adiuveris. Ionas scripsit ad me, et valde praedicavit in literis tuum officium, quod accurreris ad salutandum eum, oppressum luctu et moerore. Puta te ea in re mihi quoque gratum fecisse. *Τὰ γὰρ φίλων κοινά.* Tecum mirifice cupio esse. Hic sum alligatus, quia pauci professores adsunt. Ita fit, ut ego cogar plus laboris sustinere. Nec fero moleste hanc servitutem propter Deum, modo Christus faveat laboribus nostris. Vale et ora pro nobis. Et cum poteris scribe ad me. Id, ut scis, erit mihi gratissimum. Datae Freitag post diem Bartholomei. Ienae.

Philippus.

---

530. No. 468[b]. (Vol. I. p. 895.) 15. Oct. 1527.

N. (Iohanni Rot.)

Haec epistola et subsequens cum duabus infra no. 535. et 542. exhibendis ex autographis, quae olim in tabulario Neostadii ad Orlam erant, nunc in tabulario publico Wimariensi asservantur, nuperrime primum a Dr. Car. Menzelio editae sunt in hocce libro; Archiv für die Sächsische Geschichte. Herausgegeben von Dr. Karl von Weber. XII. Bandes 2. Heft (Leipzig 1873. 8°) p. 207—211.

Dem Erbarn N. Stadtschreyber zur Neustad an der Orla meynem guten frund.

(In seynem abwesen soll Eyn weyser Burgermeyster disen brieve auffbrechen.)

Meyn willige Dienst zuvor. Erbar gunstiger frund. Ich hab dem Radt zur Neustad zugeschrieben auß bevelch meynes gnedigsten Herrn Churfursten ꝛc., den prediger zu Cronswitz zu foddern und zu hören, und wo sie geneyget ihn zu eym pfarrer zu haben, auch ehr solch ampt woll annemen, solten sie solchs meynem gnedigsten Herrn dem Churfursten ꝛc. hochgedacht anzeygen. Nu wisset, das hie her eyn priester khomen ist und brieffe von

meynem gnedigsten Herrn dem Churfursten ꝛc. gebracht, das wo her Laurentz von Cronswitz abgezogen, das ehr dahin gen Cronswitz an Hern Laurentz stadt gesand solt werden, darumb beger ich, mir anzuzeygen von meynes gnedigsten herrn wegen, wie es sich helt, ob her Laurentz von Cronswitz bey euch geprediget und ob ehr das ampt der pfarr wolle annemen, ob auch der Radt von der Neustad gefallen an yhm hab und wann er dahin zu ziehen gedenk. Solchs wollet mir alles zu schreyben, da mitt diser priester, der hie her komen, sich zu halden wisse, und ich meynen gnedigsten Herrn unterrichten khann. Euch zu dienen bin ich willig. Datum zu Jhen Zinstag post Burcardi.[1])

Philippus Melanthon.

---

531. No. 468 b. (Vol. I. p. 895.) 16. Oct. 1527.

Iohannes Rot ad Melanchthonem.

Vide prolegomena praecedentis epistolae.

Philippo Melanchtoni.

Mein willig dinst zuvor. Erbar und hochgelarter gonstiger her. Ich hab euer schreiben hern Lorenntzen predtger zu Kranchschwitz belangent seins inhalts gelesen und wil euch nit verhalten, das der Rat euerm schreiben nach zu bemeltem hern Lorentzen geschickt, auch daneben Rats halb geschrieben und freuntlich gebeten, sich anher zu verfugen, er hat aber sollichs abgeschlagen, wie Ir inligendt finden werdet. Dorauff der Radt einem andern, so hie vor von Doctor Martino gerumbt, geschrieben des versehens, derselb werde furderlich alhie erscheinen; so der ankompt, wolle der Radt Ine horen und alsdan meinem gnedigsten hern davon weither vermeldung thun. Dan euch zu dienen bin ich gantz willig. Datum am mitwochen sant Gallen tagk anno ꝛc. XXVII.

Euer williger Diener

Johan Rot

Statschreiber zur Nawenstat.

---

1) Annus huic epistolae non adscriptus nomenque scribae N. cognoscuntur ex subsequenti responsum continente.

532. No. 468[c]. (Vol. I. p. 895.) (med. Oct.?) 1527.

Ioanni Agricolae.

Brecherus l. l. p. 371—373. hanc epistolam sub no. XIV. affert, et in annotat. 55. prolixiore declarare studet, eam medio Octobri 1527. esse scriptam.

Ioanni Agricolae Islebiensi, amico suo summo.

S. D. Quid caussae esse existimem cur non scribas, praesertim cum in hoc genere officii diligentior tunc fueris, cum longius abs te abfui in Saxonia? Nunc tam prope degenti nihil scribis. Ego tamen non desinam te provocare, etiamsi nihil habeam te dignum. His diebus Thorgae fui. Erant ibi Lutherus et Pomeranus, ubi cognovi, me quoque falso delatum esse apud te, quod in inspectione ecclesiarum veteres ritus renovarem. Ego quae gessi omnia, et in eo libello, quem vidisse te opinor, scripsi et satisfecit ipsi Luthero ille libellus ac plerisque aliis. — Alexandro Drachstadio dicas editum esse commentarium epistolae ad Colossenses,[1]) ipsi inscriptum sicut promiseram. Mitterem vobis aliquot exempla, si haberem. Ego enim hactenus unum tantum idque in amici cuiusdam bibliotheca vidi. Desidero diligentiam in Secerio in multis locis eius editionis. Vidi etiam secundum volumen ὑπερασπιστοῦ [2]) Erasmici, de quo scriberem tibi copiosius quid iudicem, nisi longum esset. Callide disputat καὶ πιθανολογῶς ἀλλὰ τρέχει ἔξω τῆς ὁδοῦ. De hac re coram. Saluta meis verbis reverenter uxorem tuam et communes amicos. Vale.[3])

Philippus.

Mitto tibi psalmum: „Dixit dominus", quem ostendes Vito.

---

1) Haec prima editio commentarii in epist. ad Col. inscripta est: Scholia in epistolam Pauli ad Colossenses. Phil. Melanchth. Hagenoae per Iohn. Secerium. Anno MDXXVII. Mense Augusto. (In fine: Mense Septb.) 8°. Dedicata est Alexandro Drachstadio, vide Corp. Ref. I. p. 873 sq. no. 450.

2) Hyperaspistes diatribes adversus Lutheri servum arbitrium. Tom. I. 1526. Tom. II. 1527. vid. Brecheri not. 57.

3) His verbis extremis in margine adscripta sunt: Anno 27 antequam Thorgam iremus.

533. No. 482b. (Vol. I. p. 909.) (m. Nov. 1527.?)

Eidem.

Brecherus hanc epistolam l. l. p. 374. sub no. XV. exhibens indicat, eam mense Novembri 1527. scriptam esse Torgae, ubi tunc versabatur, vide eius annot. 59.

Optimo viro D. Ioanni Islebio amico.

S. D. Vidit puer me occupatum esse rationibus Erasmi mei.[1]) Nam aderat quidam Noricus civis, qui literas ab illius patre mihi reddidit. Quare non possum isthic coenare. Nihil malim quam tecum esse, praesertim apud hospitem virum optimum. Sed alligant hic me domestica negotia, quae differri in aliud tempus non poterant. Tu pro tua humanitate boni consules, quod mos tibi geri non potuit. Vale.

Philippus tuus.

---

534. No. 554b. (Vol. I. p. 1005.) 23. Oct. 1558.

Ioannes Agricola ad Lutherum et Melanchthonem.

Has literas Brecherus l. l. p. 379 sq. sub no. II. primum divulgavit.

Viris Dei, D. Martino Luthero, patri charissimo et D. Philippo Melanchthoni amico summo suo.

S. D. Contigerat regulis[2]), qui Islebiae apud nos discunt, vestro consilio atque opera commodus Paedagogus, sub quo quidquid erat infantiae atque puerilis stultitiae fere concoxerant; sed quia ille, quem dixi, Paedagogus, quinto iam mense desideratur — nam abiit in suam patriam — ita ut fit, cum abest bonus monitor, redierunt ad ingenium reguli, Atque hac caussa mandatum dedit mihi D. Albertus Comes a Mansfelt, primum ut vos salutarem suo nomine; deinde, ut peterem etiam a vobis virum quendam tum

---

1) Erasmi Ebneri, qui a patre Hieronymo Ebnero, patricio et Senatore Norimbergensi, Melanchthonis disciplinae a. 1522. traditus erat.

2) i. e filiis Alberti Comitis Mansfeldensis, vide Brecheri annot. 62.

bonum tum latine dicendi et scribendi facultatem mediocriter adsequutum, videlicet ut is in locum Erhardi Holsatiensis[1]) sufficeretur, cuius reditum expectavimus tam longo tempore. Cupit autem comes, ne sit omnino iuvenis qui regulis praeficiendus est. Nam ut Homerus[2]) ait, *αἰεὶ δ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται.* De suae operae pretio nihil est, quod sit sollicitus is, quem huc estis missuri, siquidem liberalitas comitum a Mansfelt latius iam patet, quam ut a me praedicari debeat. Et ego bona fide promitto, quidquid ad eum, qui huc venturus est, pertinere videbitur, me diligenter curaturum. Impetrabit hoc, quod peto, a nobis literarum et dignitas et rei necessitas. Mallm enim vel rei meae iacturam facere, quam committere, ut regulorum studia ulla ex parte impediri videantur. Rogo itaque vos propter communia studia atque pietatem, et ut unum aliquem virum, cui reguli tuto committi possint, dispiciatis et ut primo quoque tempore huc mittatur. Valete pater et frater in domino charissimi. Islebiae XXIII. octobris Anno 1528. Rescribite.

V. Ioh. Agricola.

---

535. No. 563[b]. (Vol. I. p. 1012.) 27. Dec. 1528.

Neostadiensi Senatui.

De his literis a Clar. Menzelio l. l. p. 209 sq. sub no. III. nuperrime primum editis vide prolegomena ad no. 530.

Den Ersamen und weysen Burgermeyster und Rad der Stad Neustatt an der Orla meynen gunstigen frunden.

Meyn fruntliche Dienst zuvor rc. Ersame weyse gunstige frund. Ich hab eur schrifft an meynen gunstigen herrn Doctor Hieronymo[3]) und mich geschriben gelesen, hab sie auch yhm meynem herrn Doctor Hieronymo uberantwort und fug euch zu wissen von unser beyder wegen, das unser gnedigster Herr der Churfurst rc. den Pfarrer zu Ulstad geyn der Neustadt die

---

1) Hic est ille filiorum paedagogus. vide Brecheri annot. 63.

2) Hom. Ilias III, 108.

3) Dr. Hieronymus Schurff, Melanchthonis socius in visitandis Ecclesiis.

pfarr daselbs zu versorgen verordnet hat. Denn seyn e. f. g. dem pfarrer, so ietzund zu Weyda ist, bevollen gehn Ulstad zu ziehen, wo nu der pfarrer zu Weyda wurde gehn Ulstad ziehen und der von Ulstad zu euch, achte ich, das die pfarr bey euch wol versorget were, doch so yhr lieber wolden Er Hartman haben, wöllen wir solchs nicht hindern, sonder möget es bey hochgedachtem unserm gnedigsten herrn dem Churfursten ꝛc. suchen, denn ich auch noch nicht weyß, ob der pfarrer von Weyda gen Ulstad sich begeben wolle oder nicht. Des armen gefangenen [1]) halb, so alhie zu Jhen liget, wißt yhr, das wir auß mittleyden bewegt für yhn gebetten, das ehr gnediglich gestrafft würde. Es ist aber unser wille und meynung nicht, das ehr also ledig sollde gelassen werden on burgschafft, damitt andere leutt in fahr stunden. Darumb wert yhr woll auff leydliche und tregliche wege gedenken, damitt diser gefangener on fahr der Statt Neustad und ander auß der gefengnus gelassen werde. Wir haben auch an seyne freuntschafft schreyben lassen, das sie sich der Burgschafft wie yhr anzeyget nicht wolden besweren. Was wir euch zu wollgefallen thun kunden der pfarr halb, wie yhr bittet, und auch sunst wollen wir gern thon, denn euch fruntlich zu dienen sind wir geneyget. Datum zu Jhen an Sontag nach denn heyligen Christag anno XXVIII.

Philippus Melanchthon.

---

536. No. 614 b. (Vol. I. p. 1072.) 2. Jun. 1529.

Ioanni Agricolae.

Brecherus hanc epistolam l. l. p. 374 sq. sub no. XVI. exhibet eamque ad annum 1529. refert, vide eius annot. 60.

Optimo viro D. Ioanni Agricolae Islebensi amico suo.

S. D. Scripsissem tibi aliquanto ante nisi adventum tuum sperassem. Meministi enim, quam nobis spem feceris. Quare te per epistolam admonendum esse putavi, cum differri promissum videam, ut tandem aliquando fidem tuam liberes et cum Caspare huc venias. Doc. Martinus sic satis valet dei beneficio. Is cupit Baechum illum, meministi enim pictoris verba, videre. Ego adhuc acerbissimis cruciatibus exerceor ac paene consumor. Novi hic

---

1) Quis hic captivus fuerit, editor eruere non potuit.

nihil habemus. De Turcis, de Caesare maximum silentium est. Princeps non vult permittere, ut cum Oecolampadio colloquamur.[1]) Timet ne incrudescat id bellum ex congressu, sicut Lipsica disputatione accensa fuit dissensio. Amabo te, cum poteris venias huc et illum nostrum *συμφιλόσοφον*[2]) tecum adducas. Vale feliciter. Salutem uxori ac toti familiae tuae opto. Postrid. cal. Iunii.

Philippus.

---

537. No. 617[b]. (Vol. I. p. 1076.) 14. Jun. 1529.

Ioannes Agricola ad Melanchthonem.

Hac epistola a Brechero l. l. p. 381 sq. sub no. IV. exhibita Agricola respondet praecedenti Melanchthonis.

D. Philippo Melanchthoni viro clariss. amico s. s.

S. Cupiebam quidem statim, ut domum redii[3]), ad vos adcurrere, sed nescio quibus occasionibus subitis in hunc usque diem consilium hoc meum proficiscendi ad vos sit extractum. Veniam autem, postquam nundinae Islebiensium, quae S. Viti diem sequuntur, solutae fuerint. Non sum tam imperitus rerum humanarum gratia deo, ut ignorem, quid sit animo varie affici atque affligi adeo, ut non sit in nostra potestate, quando velimus affectum posse ponere. Tamen nolo te animo esse fortiore, praesertim cum nihil sit in iis rebus, propter quas tu tantopere turbaris, tua culpa peccatum, immo cum sint Dei, non consilii nostri; scis, quid dicam. Saepe mihi numinis loco fuit ex improviso adparentis et consolantis meam infirmitatem verbum istud: *Ἔχομεν δὲ τὸν θησαυρὸν τοῦτον ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν, ἵνα ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως ᾖ τοῦ θεοῦ καὶ μὴ ἐξ ἡμῶν, ἐν παντὶ θλιβόμενοι ἀλλ' οὐ*

---

1) Hoc urgente Landgravio factum est in Colloquio Marburgensi Oct. 1—3. illius anni habito.

2) Casparum Müllerum, Secretarium Comitis Alberti a Mansfeld (conf. Corp. Ref. I. p. 832. no. 419.)

3) scil. e Comitiis Spirensibus, in quibus cum Melanchthone illo anno fuerat.

στενοχωρούμενοι, ἀπορούμενοι ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι, διωκόμενοι ἀλλ' οὐκ ἐγκαταλειπόμενοι, καταβαλλόμενοι ἀλλ' οὐκ ἀπολλύμενοι [1]) καὶ οὕτως ἐν ἑτέροις. Illud ipsum opto tibi quoque prodesse. De voto Hessorum principis, ut convenirent scilicet, qui columnae τῆς ἐπαγγελίας esse videntur, sperasti meliora atque adeo quosdam sanari ex illis potuisse. Etiamsi non dubitem ista non fieri temere, te autem rogo, ut prodas tuum in his turbis et euntibus (?) dissensionibus iudicium, ne caussae optumae defuisse videaris. Reliqua coram, ubi te videro.

Islebiae 14. iunii MDXXIX.

T. Agricola.

Saluta amicos omnes, deinde etiam uxorem et liberos.

---

538. No. 626[b]. (Vol. I. p. 1086.) (m. Iulio 1529.)

Casparo Muellero.

Brecherus, qui has literas l. l. p. 359 sub no. I. primum edidit, in annot. 34. iudicat eas inter d. 8. et 29. Iul., fortasse paulo ante diem S. Iacobi i. e. 25. Iulii 1529. esse scriptas.

Optimo viro D. Caspari Muller amico suo egregie charo.

S. D. Sic fui adhuc occupatus, ut non potuerim instituere disputationem de bonis Ecclesiae. Sed cum absolvero Commentarium de coena Domini,[2]) accipiam illud argumentum in manus. Otho a Pack[3]) venit huc ante triduum, dimissus est a Landgravio ut mihi videtur parum benigne, sine viatico, sine equo. Miser venit pedes, egens. Dicit sibi hoc quoque onus imponi, ut iam edat librum et scribat, se probaturum esse, quae Landgravio iudicavit. Nisi id fecerit, Landgravius minatur se editurum crimina-

1) 2. Cor. 4, 7—9.

2) Cum libellus Melanchthonis sic inscriptus non reperiatur, censeo haec verba spectare ad huncce: „Senteneiae veterum aliquot scriptorum, de Coena Domini, bona fide recitatae. Phil. Melan. Vuitebergae 1530. 8[o]." (annis 1554., 1561. et 1587. iterum recusum).

2) De hoc viro conferantur libri a Brechero not. 36. laudati.

tionem adversus illum. Nos consuluimus, ut nihil cedat, nec malum bene conditum moveat. Narrat foedera cum Gallis, cum Hungaris, et nescio quibus aliis. Wirtenbergensis tyrannus[1]) constituit irruptionem facere ad diem S. Iacobi in ditionem amissam. Et suspicantur gallica pecunia contrahi milites. Frater enim circiter sex millia peditum conscripsit in Lotharingis. In Saxonia equites conducti sunt. Sed Palatinus adhuc prohibuit transitum. Videte, mi Caspar, qualia consilia noster socius Landgravius habeat. Haec, ut vereor, omnia ab illo oriuntur. Habetis quae nos hic nova audivimus. Deus det pacem. Landgravius ita urget, ut colloquatur D. Martinus cum Oecolampadio, ut iam promiserit doctor se id facturum esse. Vale feliciter.

Philippus.

Ignoscite mihi latine scribenti, quia facilius hoc facio quam germanice scribere possum.

---

539. No. 769[b]. (Vol. II. p. 177.) 9. Iul. 1530.

Lutherus ad Melanchthonem.

Apographon huius epistolae, quam in nulla edita epistolarum Lutheri collectione reperi, invenitur in illo Codice Bibliothecae Wernigerodanae supra p. 477. ad no. 487. recensito fol. 20b—21a.

(*Inscriptio deest.*)

G. et P. Etsi tu non scribis, mi Ph., tamen ut ego te superem gratia et onerem invidia, Ego scribo, sic opere supererogationis excellens. Vides autem caussam nostram recidere plane in similem eventum, quo et sub me Wormatiae fuit, scilicet ut Caesarem iudicem patiatur. Sic Sathan chorda semper oberrat eadem et mille artifex ille non habet contra Christum nisi unum illud elumbe robur. de hoc latius scripsi principi. Et vos melius in hac re consuletis. Ego adhuc Dei gratia nihil video in adversariis, nisi meras minas, sed minas adversus Deum et Christum eius, quas inanes vocat David, non solum praepotens minarum contemptor, sed et virium Goliad victor. Quod si proverbia vera sunt,

1) Ulricus Dux Wirtembergiae expulsus.

verum est et illud: Qui moritur minis compulsetur sibi bombis. Licet Germanicum, tamen valet. Quibus vero bombis compulsandum est, qui non tantum a minis, sed a te ipso ob minas enecaris? Minas sane et nihil nisi minas, minas vero stipularum et arundinum, quarum Deus scit cogitationes, et ecce vanae sunt. Sed esto res, sequatur bellum et vis, at nondum cepit. interim aliquid fiet. Et incipiat sane, nondum processit: procedat quoque, nondum vicit. Moveri bellum hoc tempore, ne quidem humana ratione capio posse ab illis, nisi volunt funditus perire. Nuper hic rustici rursum fere et denuo coeperunt congregari, tentantes quoque noctu arcem illam Hohenstein capere. Sic nobis narrant nostri Praefecti, ut videas etiam Caesare praesente opus esse provideri omnia contra seditionem. Quid fieret, si bellum isti moveant? Sed nuntius iussu Principis iam festinat. Fortis esto in Domino. Amen. 9. Iulii 1530.

---

540. No. 866[b]. (Vol. II. p. 317.) (exeunte Aug. (?) 1530.)

Idem ad eundem.

Brecherus hanc epistolam brevissimam l. l. p. 352. sub no. V. afferens in annot. 27. proposuit iudicium, eam inter d. 28. Aug. et 15. Sept. scriptam esse, qua Lutherus responderit Melanchthonis epistolae d. 22. Aug. ad ipsum datae, ubi arbitros nominat (vide Corp. Ref. II. p. 299.).

(*Inscriptio deest.*)[1])

Gratiam et pacem in Christo. Mirabor hoc si sic abiret, mi Philippe, quod hos arbitros illi ferre potuerint. Vide schedulam hic affixam.

---

541. No. 918[b]. (Vol. II. p. 393.) (exeunte Sept. (?) 1530.)

---

1) Is, qui apographon fecit, ipse inscripsit: D. M. L. ad Phil. Mel.

Iacobo Micyllo.

Hoc scriptum legitur in Codice Bibliothecae Wernigerodanae supra p. 477. recensito fol. 114a-b.

De Comitiis Augustanis Iacobo Micyllo Phil. Mel.

Nesenus narravit vos petere, ut veram historiam mearum actionum Augustensium ad vos perscribam. Complector igitur summam. Caesar ante abitum nostrum praelegit Principibus nostris quandam sententiam, quam nos non recepimus. Itaque doctrinae nostrae confessio et ritus Ecclesiarum nostrarum per omnia adhuc manent in eodem statu, in quo fuerunt hactenus, quae autem fuerint verba sententiae postea recensebo. Prius enim commemorabo quaedam, quae praecesserunt post lectionem confutationum Caesarianarum. delecti sunt quidam pacificatores non ex autoritate Caesaris sed principum Imperii tantum permittente Caesare, at illi pacificatores non habebant mandatum concludendi aliquid, sed media pacis colligendi. Ibi nos talia media proposuimus. Ostendimus nos Episcopis reddituros esse Iurisdictionem et obedientiam nostrorum sacerdotum. Item servaturos eos esse cum ipsis omnia indifferentia, sicut ferias, ieiunia, cantus pios, ita tamen ut ponerent haec verba in illa pacificatione: Nos talia propter pacem et charitatem servaturos esse non ut conscientiae obligentur. Vicissim autem petivimus, ut nobis concederent doctrinam nostrae Confessionis, utramque speciem, coniugium sacerdotum, et nostram consuetudinem Missae celebrandae, hoc est, ne cogeremur privatas Missas restituere. Hae conditiones post multas rixas relatae sunt ad Imperatorem et non acceptae, mihi quidem videtur (?) utrique parti fuisse consultum, si essent approbatae. Nam et Episcoporum autoritas fuisset stabilita, et nos impetrassemus necessaria, de non necessariis non volumus contendere. Postea tum quidam fatui dissiparunt nos defecisse a Confessione et multa adversariis concessisse, verum nullus articulus concessus est adversariis, quem magnopere oportuit defendere. Sed Bucerus hanc famam initio ubique per Epistolas sparsit, me nihil moveat. Utinam hae conditiones essent acceptae. Priusquam autem Caesar has conditiones non accepit, tulit talem sententiam, in qua erant quaedam nobis nullo modo comprobanda nostro consensu. Summa haec fuit: Quod Caesar ex Evangelio refutasset nostram sententiam, sufficienter et nos in quibusdam rebus ostendissemus nos velle conformari Cae-

saris confutationi, dare Caesarem spatium deliberandi de reliquis articulis usque ad Aprilem, ut tunc significaremus an reliquam confutationem Caesaris etiam approbaturi essemus. Erant autem admoniti Principes seorsim. Si huic sententiae essent assensi, quod Caesar statim petentibus spatium deliberandi usque ad Concilium prorogaturus esset. Verum Principes nullo modo poterant assentiri his verbis, quod confutasset nostram Confessionem. Nunc quid sit futurum nescio, qualia Edicta propositurus sit Caesar, prius fortasse scies quam nos. Vale.

---

542. No. 956 b. (Vol. II. p. 470.) 13. Febr. 1531.

Neostadiensi Senatui.

Hanc epistolam Dr. Car. Menzel l. l. p. 210 sq. sub no. IV. primum divulgavit, vide supra p. 509. no. 530.

Dem Erbarn Ersamen und weisen Burgermeister und Radt zu Neustad an der Orla meinen gunstigen herren.

Mein willige dienst zuvor. Erbare · weise gunstige herren. Der Ehrwirdig mein günstiger herr Doctor Martinus Luther und ich haben eur schrifft und werbung neben ettlichen schrifften unsers gnedigsten herren des Churfursten zu Sachsen vernomen und fugen euch daruff widerumb zu wissen, erstlich das wir, nach dem wir der gelegenheit bey euch bericht sind, das der gemein Kast noch nit in solchem vorrat sey, das ehr den Capian besolden möge, und das die pfarr dennoch mag versorget werden durch hilff und zuthon eines priesters, so biß anher bei euch sich neben dem pastor hatt gebrauchen lassen, haben wir uns auch lassen gevallen, das man mitt bestellung eins Capians verzihen soll, bieß auff künfftig Michaelis. Aber der Schut halben bedenken wir, das furderlich der itzige abgefertiget und ein ander angenomen werde, denn ich Philippus gut wissen trage, das der ietzige Schulmeister nie sich hatt brechen mögen und so viel volgen der visitatorn[1]) ordnung und bevelch, das ehr die Kinder hette grammaticam gelerct. Nu wisset yhr zum teyl, was und wie merklich darann gelegen, darumb haben wir eurem pfarrer und Stattschreyber einen magistrum mit namen Georgius West

---

1) Conf. Libri visitatorii denuo a me editi in Corp. Ref. XXVI. p. 1—96.

von Winsheim angezeiget, der uns an sitten und geschiklichkeit gerumet wirt und zugesagt hatt, ehr wolte sich gedachter visitatorn ordnung gehorsamlich und vleyssig halden; was yhr aber hierinn bedenken und beschliessen werdet, das werdet yhr uns durch euren pastor furderlich zu schreyben khonnen, damit man sich des Caplanes halb wisse zu bedenken, und der angezeygte schulmeister sich auch zu halden habe. Solchs habe ich Philippus aus bevelche Doctoris Martini, der diser zeit ettwas swach ist und nit hatt schreiben khonnen, nit wollen verhalden, denn euch zu dienen binn ich alle zeit willig. Datum Witeberg, die 13. Februarii anno 1531.

Philippus Melanchthon.

---

543. No. 1006b. (Vol. II. p. 541.) 21. Sept. 1531.

Ioannes Agricola ad Melanchthonem.

Hanc epistolam Brecherus l. l. p. 382 sq. sub no. V. exhibet putatque, ea Agricolam respondere Melanchthonis epistolae deperditae, vide eius notam 68.

D. Philippo Melanchthoni, viro clarissimo.

Spero autumnum tranquillum fore, quamquam tu videris aliud quiddam ominari. Sed dii meliora. Ego quia fere intelligo, quod te excruciet, libenter tecum commentarer super iis, quae narrantur (*ἀλλὰ παρακαλῶ ἐν νῷ ἔχεις) περὶ δεσπότου τῶν ἀλεκτρυόνων.* Cometen vidimus et animadvertimus eum principio apparere in geminis, deinde progredi et inambulare per tria signa integra, maxime autem valere et crinem spargere in leone, signo regio, tandem desinere in libram. Animadverterunt etiam nostri cometen esse de natura Martis et participatione Saturni regnante Marte in ariete in domo sua, Iove praesidente in libra graduum fere viginti, quemadmodum et tu scribis senem vestrum Volmarum dicere. Didicerunt haec nostri multis noctuum vigiliis. Excubarunt enim in turribus.

De re nostri sic iudicant: Cometes minatur malum toti monarchiae Rhomanae, maxime capiti imperatoris Caroli, deinde omnibus, qui appellantur religiosi, adeo quod vitam perditurus sit imperator, si quidquam crudele aut violentum coeperit persuasus ab episcopis. Effectus cometis non erit unius huius anni; futura est

aliquot annorum inaudita siccitas. Pestilitas vexabit eas terras, quae sunt ad meridiem: Hungariam, Bohemiam, Austriam et quandam Germaniae partem. Austria et Bavaria sanguinem fundet his annis. Episcopus Moguntinensis consuluit super comete Matthiam Bohemum; is idem respondit episcopo, quod ego nunc ad te. Uvae circa urbem nostram sunt maturae[1]); et iam apud nos mustum venditur. *Ἐγὼ παρὼν δὲ καὶ τὸ πρᾶγμ' ὁρῶν λέγω.* Bene vale. XXI. Septembris MDXXXI. Isleben.

543ᵇ. No. 1057ᵇ. (Vol. II. p. 592.) 1. Iun. 1532.

Ambrosio Blaurero, Esslingam.

Haec est illa epistola supra p. 86. no. III. omissa, quoniam apographon aliena culpa perierat; postea Clar. Voegelinus eam e collectione Simleriana Tigurina (S. Msc. 32.) mihi petenti denuo benigne descripsit.

Venerabili Viro D. Ambr. Blaurer,
amico suo
Zu Esslingen.

S. D. Scribit ad Senatum Eslingensem Michael Stifel qui olim fuit Augustinianus et Civis Eslingiaei Monasterii, eique transcripsit[2]) suum patrimoniolum aureos C minas minus V aureis. Nunc intellexit Senatum Eslingensem Augustinianis singulari liberalitate dare certam pecuniam, si qui monasticam vitam deserunt. Itaque spem concepit etiam me autore se quoque aliquid impetrare posse, praesertim cum et Civis oppidi sit et Patrimonium Esslingiaeo Monasterio addixerit. Non disputat de iure, quia volens scripsit Monachis, se nihil ab ipsis petiturum esse. Nunc igitur non petit tanquam in foro, sed implorat liberalitatem et pietatem Senatus Eslingensis. Quare te oro, mi Ambrosi, per nostram amicitiam, quae mihi et Tecum et cum fratre pervetus est, ut des operam, ut huic Michaeli Senatus aliquid reddi curet. Optarem Patrimonium reddi, aut mediocre aliquod munus. Non secus laboro pro eo,

---

1) **Uvae . . . maturae] sic scripsi; l. l. legitur: Uva . . . matura**

2) **transcripsit] in Simleri apographo legitur: transcribit**

quam si res ad me pertineret. Vir enim optimus est et Evangelium magno suo periculo, et in maximis aerumnis praedicavit et meo iudicio patientiam praestitit dignam homine pio et Christiano, quod utinam facerent alii multi. Quicquid in eum conferes, putabis te in me contulisse atque ego ita accipiam quasi ad me tota res pertineat. Scio autem te bonis et piis libenter gratificari. Et Tu illud nosti: si quis dederit potum aquae uni ex minimis eorum, non perdet mercedem suam. Hic autem Michael certe ex his est qui pio studio colunt Christum et eius Evangelium. Bene vale. *Περὶ ἄλλων πραγμάτων* fortassis coram aliquando colloquemur. Iterum vale. Sabbato *μετὰ τὴν τῆς Τριάδος*. Anno 1532.

Philippus Melanthon.

---

544. No. 1128ᵇ. (Vol. II. p. 664.) 5. Sept. 1533.

Ioanni Dantisco.

Haec epistola, cuius autographon in Codice Bibliothecae Upsaliensis I. 116. asservatur, primum edita est in hocce libro: Nikolaus Kopernikus und Martin Luther. Nach ermländischen Archivalien von Dr. Franz Hipler, Subregens des Klerikalseminars zu Braunsberg. (Braunsberg, bei Ed. Peter, 1868. gr. 8.) p. 74 sq., ex quo eam Clar. Seidemannus benigne mihi descripsit.

Clarissimo Principi D. Ioanni Dantisco Episcopo Culmensi, Patrono suo.

S. D. Clariss. Princeps. Rogavit me hic adolescens, ut literas ad te darem, quod ego non solum ipsius causa, sed multo magis etiam mea causa libenter feci. Gaudebam enim occasionem mihi offerri significandae tibi gratitudinis meae. Etenim cum me singulari benevolentia amplexus sis in eo praesertim loco, in quo nobis etiam coniunctissimorum hominum studia defuerunt, facile perspexi insignem humanitatem tuam, teque cum propter alias egregias virtutes tum vero propter hanc humanitatem homine docto et sapienti dignissimam vehementer amare coepi. Neque ego nunc de causa quidquam disputabo, in qua scis me nihil aliud in utraque parte contendisse quam ut moderatius utrinque res gereretur. Tantum de tuis summis officiis dicam, quae cum hi migra-

tissima fuerint, plurimum me tibi per omnem vitam debere profitebor teque rogo ut me tuo beneficio tibi devinctum commendatum habere velis.

Porro fretus humanitate tua ausus sum tibi etiam hunc adolescentem Matthiam Langum natum in tua ditione commendare; versatur in literis optima cum spe. Non enim tantum has primas artes probe tenet, sed philosophiam etiam veterem ac sinceram degustavit, ad quam meo quidem iudicio natura ducitur, sed luctatur cum paupertate, quam scis inimicam esse studiosis. Videt autem patriae suae contigisse id quod Plato recte censet utilissimum esse civitati, ut philosophi regnent. Ideo duxit sibi ad te confugiendum esse, quod civium tuorum studia tibi Principi doctissimo maxime arbitrabatur curae esse. Rogo igitur, ut adolescentem optimae spei respicias ac tua auctoritate iuves. Mores eius ita mihi noti sunt, ut non dubitem polliceri, quidquid in eum contuleris, positurum te beneficium apud hominem gratum. Et profecto in tali tua fortuna nihil facere poteris te dignius, quam si studia tuorum civium et excitaveris et adiuveris. Bene vale et literas meas boni consule. Eobanus revocatus est Erfordiam ibique sic satis commodam conditionem nunc habet. Id adscripsi, quod sciebam te ipsius ingenium valde amare. Iterumque vale. Nonis Septemb. Anno 1533.

Tuae Dig.
studiosiss.
Philippus Melantho.

---

545. No. 1201b. (Vol. II. p. 738.) 8. Iulii 1534.

Ioanni Ruelio.

Huius epistolae apographon invenitur in Codice MS. Bibliothecae Wernigerodanae supra p. 477. no. 487. recensito fol. 172a.

M. Phil. Mel. D. Ioan. Ruelio.

Nondum statuerat certo D. Doctor Ionas se usquam in illam Thuringiae partem profecturum esse, alioqui adiunxissem me ei. Dedi tamen hoc epistolium, ut, si ad vos veniret, intelligeretis me non esse oblitum mei promissi. Cum primum potero expatiabor ad vos cum aliquot amicis, utinam videamus vos optimae va-

letudini restitutos. Nam animo quidem ita confirmato vos esse spero in Christo, ut, etsi morbus diutius exerceat, tamen hoc sacrificium sciatis Deo praestandum esse, et libenter Dei voluntati obediatis. Omnia enim sunt credenti in Christum facilia. Bene valeatis 8. Iulii 1534.

---

546. No. 1602b. (Vol. II. p. 405.) m. Aug. 1537.

Andreae Osiandro.

Cum Vitus Theodorus mortem coniugis D. Andreae Osiandri amicis suis Witebergensibus nuntiasset, hi magno dolore affecti literas consolatorias ad Osiandrum miserunt (vide Corp. Ref. III. p. 399). Melanchthonis literae d. 10. Aug. 1537. ad Osiandrum scriptae leguntur in Corp. Ref. III. p. 105 sqq. Etiam in Cod. MS. Bibliothecae Wernigerodanae supra p. 477. recensito sub titulo: „Consolatoriae quaedam epistolae" eaedem fol. 278a-b exhibentur inscriptae: „Ad Osiandrum." Melanchthonis nomen neque in inscriptione neque infra additum est. At paulo inferius in eodem Cod. fol. 281a—282a aliae ab illis diversae literae leguntur inscriptae: „Phil. Mel. Andreae Osiandro", quas ob diversitatem h. l. afferendas esse censeo. Fortasse Melanchthon amori dolorique suo illis literis d. 10. Aug. scriptis non satisfecisse putans paulo post has alteras ad eundem misit.

Phil. Mel. Andreae Osiandro.

Cum intellexissem honestissimam matronam coniugem tuam decessisse, magnum accepi dolorem, non solum quia illius interitu sed etiam quia tua orbitate afficiebar. Veniebat in mentem mihi, quanta illius in omni vita virtus, quanta in domestica consuetudine suavitas morum fuisset: propter quas eam et ipse dilexi plurimum et sensi amari a tota familia nostra. Cogitabam etiam quam amanter tecum vixerat et quantum moerorem tibi desiderium eius allaturum esset. Doleo igitur hoc decus in familia nostra extinctum esse, teque et dulcissimos liberos tuos in tanto luctu versari. Quamquam autem ita perturbatus sim, ut vix colligere ea quae ad levandam moestitiam traduntur, queam, tamen iudicavi ad amici officium pertinere, ut non solum ostenderem me affici tuo moerore, sed etiam significarem ea quae ad leniendum animum factura esse videntur, quae non dubito, quin et mea mater et ceteri propinqui tibi proponant et tu ipse iam pro tua prudentia, eruditione et virtute conquirere animo incipias, tamen facere non

potui, quin et ipse quaedam commemorarem. Et cum christinna praecepta tum mitiora tum firmiora sunt in hoc genere consolationum, ceteris omissis quaedam ex doctrina religionis, quam te vera pietate, non fucosis officiis colere scio. Paulus enim non vetat lugere. Durum enim id esset et abhorrens a natura hominum, cui impressit Deus στοργὴν erga coniuges et propinquos. Sed modum praescribit, ne gentium more affligamur, quae non sperant suos victuros esse in coelesti sede et consuetudine Dei. Etsi autem et liberis orbitas est acerba, tamen illud levare dolorem debet, quod dubitare non debemus, quin in coelestem domum traducta sit ac ita decesserit, ut aliquanto post rursus eam complexurus sis, et cum ea longe dulciore familiaritate convicturus quam cum hic tecum in his aerumnis degeret. Vera pietate Deum coluit et professione, et discedens filio Dei se commendavit, propter quem scimus vere nobis aeternam vitam donari. Rursus igitur una apud Deum vivetis et pariter fruemini Christi, prophetarum et optimorum hominum colloquio et vestrae pietatis, quam in coniugio vestro demum celebrastis, fructum capietis. Non igitur amissam putes, sed paulisper vos divulsos, ita ut Deus vobis iucundiorem consuetudinem redditurus sit. Haec si diligenter cogitabis, nihil illi mali accidisse, frui etiam eam coetu sanctorum, te et liberos votis suis commendare Deo, nec futuram hanc distractionem perpetuam, sed rursus vos una futuros esse, feres eius interitum aliquanto aequiore animo, sed mea causa inquies: doleo, ereptam mihi esse florente aetate matrem communem liberorum. Magnum hoc vulnus esse fateor et vix medicabile, sed tamen non decet nos praecipue dolere nostra causa. Et quanquam illa longiore vita digna erat, tamen ut illa volens Deo evocanti ipsam obtemperavit, ita scias et tui officii esse, ut voluntati Dei morem geras. Illud enim infigas animo, non casu nasci aut occidere pios. Omnes capilli capitis vestri numerati sunt, inquit Christus, quare non dubites, Dei consilio ex aerumnis huius vitae traductam esse. Non est autem nostrum repugnare voluntati Dei. Quam dulcis consuetudo fuit viro heroico Iacob cum coniuge Rachel, at hanc rediens in patriam, cum iam speraret tranquilliorem sedem, in itinere parientem amisit. Quanquam autem magnum vulnus acceperat, tamen intellexit non indulgendum dolori, non repugnandum Deo, sed animum domandum, ut Deo obtemperet. Dicam quid audiverim ex quodam amico, qui filium amiserat, sed inquit se in ipso luctu casu incidisse in hunc locum psalmi: Scitote quod ipse sit Deus ipse fecit nos, et non ipsi nos. Haec verba cum legisset, ait se

sensisse mirificam levationem doloris, cum statueret non casu nasci aut occidere homines. Hae sunt praecipue consolationes, quas mihi quoque propono et te opinor habere meditatas. Sed quo leges saepius, eo monebunt animum efficacius. Cetera vulgaria, quae a philosophis dantur, non sunt illa quidem aspernanda, sed tamen quia leviora sunt, praetermitto, teque adhortor, ut te cogitatione coelestium dictorum erigas, nec frangi robur animi sinas, quo te singulari praeditum esse scio. Quanta commoda antea propter pietatem repudiaris memini. Quare constantiae tuae specimen etiam in hoc casu exhibeto, quo fortassis Deus te propter Rempublicam ad maiora certamina praeparat. Non enim ad otium, ad ignatiam in hac vita conditi sumus, sed ad perferendas res difficiles propter Ecclesias et communem humani generis societatem. Vale.

---

547. No. 1701b. (Vol. III. p. 559.) 28. Iulii 1538.

Iacobus Sturmius ad Melanchthonem.

Apographon huius epistolae in illo Codice MS. Wernigerodano fol. 88b. invenitur.

Iacobus Sturmius Phil. Melanchthoni.

Barnabas Voraeus, qui nunc ad te cum literis et mandatis Regis revertitur, hic est de rebus omnibus, quae ad susceptam abs te profectionem attinent, amplissime edoctus, ut mihi supervacaneum videatur aliquid scribere. Itaque te adhortor et per Christum obtestor occasionem rei gerendae inter mortales omnium pulcherrimae ne differas. Vale. die 28. Iulii an. 1538.

---

548. No. 1710b. (Vol. III. p. 568.) 21. Aug. 1538.

Fribergensi Senatui.

Autographon huius epistolae in huius Senatus tabulario, loculo 21. asservatur, ex quo primum edita est in hocce libro: Mittheilungen des Freiberger Alterthumsvereins auf das 6. Vereinsjahr 1866. Herausgegeben im Auftrage des Vereins von Buchdr. Heinrich Gerlach, Vereinsvorstand etc.

5. Heft. (Freiberg 1867. 8°) p. 498., ex quo eam Clar. Seidemannus mihi benigne descripsit.

Den Erbarn weisen vnd furnemen herrn Burgermeistern vnd Radt zu Freiberg, meinen gunstign Herrn.

Gottes gnade durch vnsern herrn Jhesum Christum zuuor. Erbare weise furneme gunstige herrn, Ewr. weißheit dankh ich gantz fruntlichen fur das bier damit mich E. w. verehret, vnd wo ich E. w. mit meinen diensten, so viel mir gott verlihen, dankbarkeit erzeigen khann, binn ich, solchs zu thun mit allem vleis, willig vnd bereit, vnd insonderheit sollen E. w. nicht zweifeln, wo ich den Ewrn, so alhie studirn, forderung khann erzeigen, binn ich dasselbig zu thun gantz willig. So sind auch etlich der selbigen von gott also mit ingenijs reichlich begabet, das durch gottes gnade seer gute hoffnung zu yhn zu haben, derhalben ich yhnen auch des lieber diene. Gott bewar E. w. allezeit.

Dat. witeberg 21. Augusti 1538.

E. w. williger
Philippus Melanthon.

---

549. No. 1770[b]. (Vol. III. p. 634.) 20. Ian. (1539?)

Elisabethae, Hans Bromii viduae.

Haec epistola primum edita est a Prof. Aug. Scheler ex Apparatu Melanchthoniano Professoris Van de Velde in Naumanni Serapeo anni 1867. No. 7. p. 102. epist. 7. — De familia Francofordiensi spectatissima Brommiana Ioh. Classen in programmate supra p. 451. ad no. 456. laudato ex Fichardi tabulis genealogicis affert p. 9., Hans Bromm a. 1486 natum, a. 1508. Elisabetham a Rückingen in matrimonium duxisse et a. 1536. mortuum esse, atque tres filios reliquisse: Hans, a. 1510. natum, Nicolaum, a. 1517. natum, et Ieremiam, a. 1528. natum. — Huic epistolae solus dies, non annus adscriptus est. Puto eam ad a. 1539. referendam esse; Melanchthonem enim hoc anno, quo conventui Francofordiensi intererat, in domo Brommiana habitasse, elucet ex literis supra p. 123 sq. no. 170. allatis, quibus Nicolao, huius viduae filio, ipse nuntiat, se in domo paterna eas scripsisse.

Der erbarn und tuggentsamen frawe Elisabet Hans Bromen des ebens gelassen witfraw zu francfurt.

Gottes gnad durch unsern herrn Jesum Christum zuvor. Erbare tuchentsame frawe; nach dem wir viel gesind bei uns haben, und doch gern das gesind in der herberg lassen wolden und wir an ein andern ruwigern ort sind, bitt ich euch fruntlich, ihr wollet mir und etlich herrn bey mir so viel zu freuntschafft thun und uns fur unsere person disen abent beherbergen. Es sind bei mir der herr Canseler Franciscus, doctor Caspar Cruciger, und etlich mer doctores, wie euch euer son berichten wirt, so es aber euer gelegenheit nicht were, wil ich euch nicht beschweren. Gott bewar euch. Dat. Oppenheim auf heut 20 januarii.

Philippus Melanthon.

---

550. No. 2096[b]. (Vol. III. p. 1235.) 17. Dec. 1540.

Iusto Ionae.

E Codice Wernigerodano supra p. 477. no. 487. descripto fol. 139a.

M. Phil. Mel. D. Iusto Ionae.

S. D. Etsi publicae disputationes nondum inchoatae sunt, tamen subinde aliquid rixarum aut occupationum incidit. Quare veniam mihi dabis, quod tam multis tuis Epistolis adeo breviter respondeo. Sed tamen amicorum literae sarciunt meam brevitatem. Habes enim duorum eloquentium virorum epistolas, Ioachimi et Sturmii, qui tantum me splendore orationis vincunt, quantum Ulysses fundens orationem similem hybernis nivibus vincebat Lacedaemonium Menelaum. Historiam conventus pete a D. Doctore. Adversarii inter se privatos congressus instituerunt, ac iam de duobus articulis, de morbo originis, et de iustificatione certarunt. In his materiis disiuncti iam sunt ab Ecciana phalange trium Principum Legati, Palatini, Marchionis, Electoris, et Iuliacensis. Horum gravitas et constantia praedicatur a piis. Audi facetum Iacobi Sturmii responsum: Quidam Pontificius conquestus est de declamatione, in qua Latronis emendati exemplum tractatur, ac reprehendit nimiam, ut illi videbatur, libertatem. Tum Iacobus: Nos, inquit, nostrum latronem laudavimus, nec prohibemus, quo minus vos alterum laudetis, qui vestrae partis imago est. Hoc dictum

poteris adscribere etiam veterum scite dictis Bene vale. 17. Decembr. 1540. Worm.

---

551. No. 2731b. (Vol. V. p. 150.) ult. Iul. (?) 1543.

Erasmo Sarcerio.

Hanc epistolam primum edidit Rev. Vir Ge. Ed. Steitz in Commentatione supra p. 172 sq. ad no. 239. laudata p. 62. sub no. IV. — Editor l. l. nota 2. recte iudicat, Melanchthonem in die „ultima Iulii" huic epistolae adscripta errasse et pro illa die legendum esse: „ultima Iunii". Nam ultima Iulii Melanchthon non Bonnae, sed in arce Bunkel versabatur (conf. Corp. Ref. V. p. 151—153.): atque ex epistola ad Schreiberum d. 3. Iulii data (vide Corp. Ref. V. p. 138.), ubi eiusdem scripti Academiae Coloniensis ac in hac epistola mentio fit, intelligitur, istud tetrum scriptum a legatis principi iam exeunte Iunio esse exhibitum.

Insigni doctrina et pietate ornatissimo viro D. Erasmo Sarcerio, amico suo, Philippus Melanthon

S. D.

Deum aeternum, patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut ministerium tuum gubernet et nos omnes adiuvet. Nam video hic nobis certamina crescere. Heri Senatus Coloniensis legati exhibuerunt principi duo scripta: alterum titulo Senatus, alterum titulo Academiae, in quibus atrociter debacchantur in D. Bucerum et me: et quod ridiculum est, conferunt in nos crimina, quae manifeste res ipsa refutat, nos moliri seditiones, quaerere delicias, voluptates, opes. Gaudeo autem mores nostros notos esse multis praestantibus viris in tota Germania, imo et apud exteras nationes. Te rogo, ut, quod facis, Deum ores, ut nos adiuvet. Valde nobis iucunda fuit hoc biduo cum Cnipio consuetudo, (quem) video praeclare instructum esse eruditione non solum in vulgaribus disciplinis, sed etiam in Ecclesiastica doctrina, et ex animo amplecti Evangelii puritatem. Quare etsi diligi a te scio, tamen commendandum tibi duxi, ut mea causa etiam aliquid studii benevolentiaeque erga ipsum tuae addas. Bene vale, ultima Iulii.[1]) Bonnae 1543.

---

1) Iulii] potius: Iunii, secundum argumenta in prolegomenis allata.

552. No. 2836[b]. (Vol. V. p. 276.) (m. Dec.?) 1543.

(*Georgio Spalatino.*)

Dr. Schwarz in commentatione: Miscellen aus dem sechzehnten Jahrhundert, quae legitur in libro: Zeitschrift des Vereins für thüringische Geschichte und Alterthumskunde. I. Band (Jena 1854. 8°) p. 163—169. no. 1. Ein merkwürdiger Ehefall. (p. 163—165.) disserit de casu matrimoniali, quo Georgius Spalatinus, illo tempore Superintendens Altenburgensis, commotus sit, ut consilium peteret a theologis Witenbergensibus. Illi, approbante Luthero, Melanchthon hoc iudicium a. 1543. scripsit, quod in tabulario Wimariensi asservatur. Mense Decembr. hoc iudicium datum esse ex eo colligamus, quod locus epistolae d. 10. Dec. a Melanchthone ad Spalatinum scriptae (Corp. Ref. V. p. 250 sq.) ad hunc casum referendus esse videtur. — In eodem Tomo I. p. 387—394. Pastor primarius Christ. Wagner illas tres epistolas a Melanchthone ad Saalfeldensem Senatum a. 1542. et 1545. scriptas, quae in Corp. Ref. X. p. 164 sq. 168 sq. no. 7125. 7126. 7130. exhibentur, ex autographis edidit et prolegomenis illustravit.

Iudicium de casu matrimoniali.

Bastian Mulner duxit uxorem Annam Vimariae, quae tertio die post nuptias aufugit et se contulit ad sacrificulum Numburgensem, apud quem ter fuit puerpera. Postea igitur Bastian duxit aliam uxorem dissimulans priores nuptias. Quaeritur, quid agendum.

Citetur prima mulier. Si nullam proponit iustam causam mulier condemnetur et pellatur in exilium. At secundae nuptiae maneant firmae.

Extant enim testimonia pro viro et contra mulierem. Ideo, etiam si non compareat mulier, sic pronuntiandum censeo: proscribatur mulier et confirmentur secundae nuptiae. Testimonia ostendunt, viro posse consuli, sed mulierem condemnandam esse.

552[b]. No. 3110[b]. (Vol. V. p. 573.) 5. (6.) Ian. 1545.

Christianus III. Rex Daniae ad Bugenhagium, Lutherum et Melanchthonem.

Supra p. 213. no. 277. hanc epistolam memoravi quidem, sed ipsis verbis exhibere non potui, uoniam librum, in quo p. 180 sq. affertur: Dä=

nische Bibliothec. IX. Stück. (Copenhagen 1747. 8°) tunc nondum inveneram. Hoc nunc acquisito eam illic omissam exhibeo.

Christiani III. Schreiben an Doct. Pomeranum, et mutatis mutandis an Lutherum und Philippum zu Wittenberg, ihre Bestallungen belangende.

Actum Ripen A. 1545. Montags nach dem neuen Jahr [i. e. 6. Jan.].

Unsern gnedigsten Gruß und gnedigen Willen zuvorn.

Ehrwürdiger und Hochgelarter, besunder lieber. Als wir euch hiebevor aus gnediger Neigunge etzliche Küchen-Speise verschrieben, hätten wir gantz gerne sehen und vernehmen mögen, daß euch solche Küchen-Speise yderzeit dermassen, wie wirs euch von Hertzen gegünnet, wäre zukommen. Als wir aber befinden, daß damit über unsern Befehl und Willen fast unrichtig umbgangen, haben Wir aus gnedigstem Bedencken die Verschreibungen in unser Cantzley auf Geld verändern lassen und gesinnen gnediglich, Ihr wollet uns desfalls nicht anders dann im besten bedencken, euch auch solche Verschreibunge gefallen lassen, dann wir des Gemüths und Neigung gegen euch mit gnedigster Willfahrunge yderzeit zu begegnen geneigt. Wolten euch solches gantz gnedigster Meinung nicht verhalten und Uns zusambt Unser geliebten Gemahl, jungen Herschaften, Brüdern, Reichen, Land und Leuten in Euer christlich Gebeth und Vatter Unser empfelende.

---

553. No. 3159 b. (Vol. V. p. 708.) 22. Mart. 1545.

Ioach. Camerarius ad Melanchthonem.

Ex hoc libro: Epistolae Reverendi Patris D. Martini Lutheri et Philippi Melanchthonis, ad R. et Illustrem Principem Anhaltinum etc. De morte optimi et doctissimi viri Georgii Helti, et epitaphium eiusdem. (Lipsiae 1548. 8°) fol. B 2b-5a. — Heltus mortuus est 6. Mart. 1545.

Philippo Melanchth. V. Cl. S. D.

Literas tuas accepi una cum historiola mortis cariss. praeceptoris mei Georgii Helti, conscripta a Medico cum annotatiunculis tuis. Etsi autem ille suo tempore decessit, cum inter scolasticos labores et multiplices curas non admodum diligens custos valetudinis, pervenerit ad eam aetatem, quam pauci attingunt, qui in otio

diuturnitati vitae anxie prospiciunt. Vel enim excessit vel certe attigit annum aetatis LX. Hic igitur etsi mortuus est sibi non intempestive, et ita finiit vitam suam, quemadmodum omnes boni atque pii optant ac cupiunt suam, tamen fieri nequit, quin et obitus illius dolorem nobis afferat et desiderium cruciet, et damnum quod hoc spoliato accepit Resp. pungat. Mihi autem recordationem amoris erga me ipsius, cum deinceps carendum eo mihi sit, cui non minus carum me scio fuisse ac fui patri meo, maximam tristitiam afferre necesse est, praesertim cum pro beneficiis in me collatis gratiam illi viventi referre potuerim nunquam. Sum igitur in iustissimo ac verissimo luctu, quod constet me amisisse eum cui mea salus, dignitas, commoda, aeque fuerint cordi atque ipsi sua, quique cum apud omnes homines commendatione, tum apud Deum sanctiss. precibus pro me semper contenderit atque annisus fuerit. Quorum alterum nunc etiam multorum praedicatione planum fit, alterum non intermitti ab ipsius sancta anima certum est, quae sine dubio ad Christum migravit, in cuius constantissima confessione et in corpore dum licuit permansit, et hoc feliciter ultimo die reliquit, receptura *ἐν ἀναστάσει τῶν δικαίων*. Quod autem de morbo optimi viri medicus significat, ex eo perspicere mihi sum visus summa hunc diligentia et attentione curam gessisse aegrotantis. Ita enim liquido et diserte cum caussas tum progressiones morbi tum etiam exitum ipsum exposuit, ut in curando negligenter versatus fuisse videri non possit. *Αἴτιον* sane quod indicat *ὡς προκαταρκτικὸν*, admodum agnosco. Nunquam enim ille, semper aut studiis aut alienae sollicitudini intentus, inserviit valetudini suae. Cum autem incredibili fide ac benevolentia complecteretur omnes discipulos suos, quos habebat complures, non modo docebat illos laboriose et assidue, sed cum delictis tum negligentia et socordia illorum nimis graviter commovebatur, ita nonnunquam ut dolore et iracundia ardens in potestate non permaneret. Victus autem erat quotidianus quem nobiscum cupiebat, neque sibi aliquid unquam eximii parari, aut aliud nobis quam sibi subiici patiebatur, quo cum sic uteretur ut etiam vilissimo delectari videretur, essetque corpus appetens alimenti, neque ipse die uno quicquam gustaret nisi bis usitato more, tamen nunquam non aut librum in manu tenebat vescens, aut aliquid perscribendo annotabat, quod ita saepe ab eo vidi fieri ut imitatus etiam aliquando fuerim. Somni autem parcissimi erat, et cum ipsius instituto hora quarta aestate, hieme quinta excitaremur de lectis, ante quod tempus semper evigilabat et surgebat ipse, in me primum,

quod annos natus XIII. ferre non possem, hoc mutavit. Reliqua disciplina severior et ipsa, solicitum ac officio faciendo intentum et perpetua consideratione occupatum, non de se aut rebus suis, quas simpliciter negligebat, *ἀμεριμνότατος ὢν ἁπάντων ὧν οἶδα περὶ τὰ βιωτικά.* Illa igitur animi natura vehementioris irremissa contentio hunc afflixerit atque debilitarit necesse est. Memini cum inter docendum perturbatus indicio flagitii, quod fecisset unus ex discipulis, aliquantisper cum animo commoto, si indignationem vincere posset colluctatus, tandem superatus ira et dolore librum clauderet, neque enarrare locum inchoatum posset, cum hoc modo diceret, Ex animo curis anxio nihil egregium solere proficisci. Memini cum me interrogatum neque exacte ad omnia ita ut ipse exspectarat respondentem, cum tamen post alios omnes condiscipulos, quorum numerus XL. excedebat, solus aliquid dixissem, natu omnium minimus, tum igitur illum virum optimum et praeceptorem fidelissimum memini moleste ferentem sua dictata a nobis non edisci, mediam doctrinam abrumpere, et animi impotentiore me etiam pulsare paulo incogitantius, cuius facti statim poenitentia ductus, monuit me ut posthac studiosius discerem. Pudicitiae ac verecundiae sic erat amans, ut ne dictum quidem ullum ferret obscoenius aut scurrilius, ut saepe quo reciderit vita cogitem. Nam quae nunc belle et festive dicuntur multa et dici facile feruntur, neque turpia esse creduntur, ob haec ille fustes expediisset et virgas inter suos, alios gravitate orationis et vultus sui profecto conterruisset. Sed ad haec devenire propositum initio non fuerat, cum tantum caussas colligere vellem, quibus de caussis Georgium nostrum valde debilitatum fuisse appareret. Cum autem mihi ingenii illius vehementia, quam iudicium postea et aetas repressit, notiss. fuerit, facile assentior tibi, singulari dolore cordis, quem tot annis ipsum scribis circumtulisse *διὰ τινὰ συμβεβηκότα ἀηδέστερον αὐτῷ.* quae non explicas, pectus elanguisse et vires confectas fuisse. Sed vixit ille et mortuus est feliciter, si veritatis studium et amor felices facit. Misit autem ad me R. et illustris princeps Georgius Anhaltinus, epistolas vestras quibus consolamini ipsum vos, una cum Epitaphio, et cupere se, ut ego quoque communis praeceptoris memoriam celebrem, curavit mihi nuntiari. In quo sane studeo et illius clementiae et voluntati tuae gerere morem, Sed quid cum hoc casu perculso, tum praesentium rerum anxietate, et impendentium malorum formidine consternato animo, perfici possit, nescio. Videbimus tamen, et quicquid quasi de quercu, ut aiunt, exculpere potuero, dabo operam ut edatur una

cum Epistolis vestris et Epitaphio, et ad te mittam. Vale, mi suavissime Philippe, cum omnibus tuis quam felicissime. Nostri te et tuos salutant. Iterum vale. XI. Cal. April.

Ioach. Camer.

---

554. No. 3290[b]. (Vol. V. p. 867.) 17. Oct. 1545.

Conradus Cordatus ad Melanchthonem.

Apographon huius epistolae invenitur in Codice Wernigerodano supra p. 477. significato fol. 228b. Legitur etiam in de Wettii collectione epistolarum Lutheri Tom. V. p. 765 sq.; Lutherus enim eam cum sua ipsius epistola ad Amsdorfium d. 5. Nov. 1545. miserat, quapropter illic utraque a de Wettio exibentur. *Nomen* quioem mensis a Cordato non scriptum est (scripsit enim: *huius* mensis 17.); sed ex ipsa epistola intelligitur, Cordatum eam scripsisse mense *Octobri*, quo Elector Mauritius Henricum Ducem Brunsvicensem impugnabat.

Vere claro, erudito et pio D. Philippo Melanthoni, Compatri et Praeceptori suo charissimo S. D. Cordatus.[1])

Non tantum ut postulasti, optime d. Philippe, precati sumus pro vestra Ecclesia, quin etiam ut certissimae forent preces nostrae, Christum Dominum nostrum intercessorem[2]) constituimus et nos certissime exauditos esse, a solis mutis audimus. Omnes enim Marchitae, pariter et Papistae,[3]) qui etiam manibus suis[4]) et pedibus victoriam clamaverunt ante victoriam, nunc acri et plus quam intento silentio silent. Ego tale silentium in re tam celebri nunquam expertus sum[5]) omnibus diebus vitae meae. Porro id quod hodie audivi a quodam nostrorum civium, qui Christo[6])

---

1) Haec inscriptio in apographo illius Codicis deest.

2) Christum D. n. intercessorem] sic apogr.; de Wette: Iesum Christum intercessorem

3) Marchitae p. et Papistae,] sic apogr.; de Wette: Marchita pariter ac Papista,

4) suis] apud de Wettium deest.

5) in re tam c. n. expertus sum] sic apogr.; de Wette: nunquam expertus sum in re tam celebri

6) Christo] sic de Wette; in apographo deest: Christo.

credit, non possum non ad T. D.[1]) scribere. Is istis diebus peregre profectus venit ad quendam veteranum militem Caesaris, sibi a multis annis notissimum, qui et ipse unus fuit ex illis qui subvertere voluerunt Ecclesiam. Is rogatus[2]) a nostro cive ut per veterem amicitiam ei saltem aliquid dignaretur[3]) dicere de his quae acta crederentur adversus illum Ducem, et dixit: Was sol ich sagen? Ich hab nichts anders gesehen noch[4]) gehort, als das himel vnd erden zusammen fielen,[5]) Von menschen aber hab ich nichts gehort, alß Stich schlag ꝛc. Darumb auch wer ein hole hat mogen finden, hat[6]) sych verkrochen, Et noster ille ex pietate rumpens silentium,[7]) dixit: Ja liber Jacob, wo die Engel helfen, da ghets also, et ille horrido[8]) clamore respondit: Ja liber[9]) Engel, Ich meine, das alle 100 tausent vnd alle teufel da seint gewesen,[10]) Nec aliud verbum addidit. Illo vero[11]) interrogante de Caesare in haec verba prorupit: Der keiser ist ein christlich herr vnd wirts woll hinauß furen, Das ich mher den 20 mal von Im hab gehoret, Die Deutschen herrn muß er ahn die grune baum laßen henken ꝛc.[12]) Ex verbis autem quae dixit de strage habita,[13]) puto vera dixisse de terrore quem adversariis suis immittere solet, quoties vult triumphare Deus, cui sit gloria per Christum in secula[14]), Amen. Ex Stendalia huius m. 17. festinantissime. D. D. servet d. d. Lutherum et vos omnes. 1545.[15])

---

1) T. D. i. e. Tuam Dignitatem

2) rogatus] sic de Wette; apogr.: interrogatus

3) p. veterem am. ei saltem aliq. dignaretur] sic de Wette; apogr.: p. veterem saltem amicitiam ei dignaretur aliquid

4) nichts anders gesehen noch] sic de Wette; apogr.: nichts gesehen noch anders

5) fielen,] apogr.: fallen,

6) hat] de Wette: der hat

7) rumpens silentium,] de Wette: silentium rumpens,

8) horrido] de Wette: horrendo

9) liber] apud de Wettium deest.

10) das alle 100 tausend — gewesen] de Wette: 100,000 und alle Teufel sind da gewest.

11) illo vero] de Wette: Nostro autem

12) ahn die gr. b. l. henken ꝛc.] de Wette: an grüne Bäume hängen.

13) de strage habita,] de Wette: de habita strage,

14) de terrore quem — in secula,] de Wette: de terrore. Solet enim Deus eum immittere suis adversariis, cui sit gloria in saecula per Christum.

15) huius m. 17. — omnes. 1545.] de Wette: huius anni 1545. huius mensis 17. festinantissime.

555. No. 3361[b]. (Vol. VI. p. 19.) 27. Ian. 1546.

Io. Brentius ad Melanchthonem.

E Presselii libro supra p. 429. recensito: Anecdota Brentiana p. 252—254. no. CXXIII.

(*Inscriptio deest.*)

S. in Christo. Non dubito, amicissime mi Philippe, quin tu ipse tecum coniicias, quanto animi dolore et aegritudine quantoque nostro incommodo tua praesentia in hac *συνόδῳ* caremus. Sed quae est ratio valetudinis tuae et aliarum multarum rerum, non debemus tibi hanc felicitatem invidere. Est, persuademus nobis, quod non tam humana quam divina voluntate detineris. Quare feremus quod accidit aequo animo et dicemus ad Dominum: Obmutesco et non aperiam os meum, quia tu fecisti. Gratissimum est, quod liceat mihi occasione nostrae *συνόδου* contrahere non solum amicitiam sed etiam familiaritatem cum D. Georgio Maiore, quem saepe audivi doctum et pium virum praedicari. Etsi autem non ignarus es meae tenuitatis, tamen si quis mei usus est, haudquaquam deero ei. Ego iam 9 hebdomades hic fui, sed consuetudo collegarum mitigavit mihi taedium. Quod igitur faustum felixque sit, colloquium hoc, in quo haec scribo, et memoriae Chrysostomi dicatum vel tandem coeptum est institui. Bucerus oppositus est Malvendae, D. Georgius Biliccio, Schnepfius Hofmeistero item monacho, Ego Cochlaeo. Propositi sunt nomine Caroli disputandi articuli confessionis nostrae Augustanae et inchoanda collocutio ab articulo iustificationis; nam de originali peccato dicunt satis esse ante disputatum. Exemplar autem huius propositionis mittit ad te D. Georgius. Deliberatur nunc de Notariis, qui excipiant collocutionem et quos episcopus praeses se nomine Caesaris ordinaturum recipit. Praeses Episcopus Eichstadensis apparet vir esse humanus et ad conciliandas controversias rerum civilium non incommodus, sed quod ad religionem attinet hyspaν*ίζει καὶ ῥωμανίζει*. Bis nos vocavit ad prandium. Exemplar colloquii, quod cum ipso privatim a priori habuimus, ad te mittitur, et cum diserte dicat Episcopus, se manere cum veteri rugosa matercula, ecclesiam romanam significans, haud obscure cognoscimus, eum non habere magnam curam aut rationem piae doctrinae. Amici significarunt nobis literis suis, quod

adversarii iterum tam dira contra nos mediteutur, ut existimetur hunc annum Germaniae fatalem fore; sed filius Dei est, qui sedet ad dexteram patris ne non tantum intuetur cruentum animum hostium suorum, sed etiam tuetur suam ecclesiam. De conventu Francophordiano nihil certi cognovimus. Ex aula Wurtembergensi hoc scriptum est, quod Palatinus Elector et Landgravius convenerunt Francophordiae 24. Ianuarii, et quod Elector Palatinus adiuncturus sit se nostris. Hoc si verum est, ut speramus, non minorem terrorem incutiet adversariis quam victoria illa Brunsvicensis. Tuos locos theologicos iterum recognitos saepe ac multum lego; postquam autem librum tuo χειρογράφῳ notatum misisti, legam nunc maiori voluptate et ago tibi magnas gratias. Baumgartner et Vitus[1]) e Norinberga nondum venerunt, sed expectantur in horas. Bene et foeliciter vale. E Ratisponna 27. Ianuarii Anno 46.

Ioan. Brentius.

Voluntas Caesareae maiestatis est, ut caeteris omissis in colloquio hoc tractetur Confessio in comitiis augustanis ab eidem confessioni adhaerentibus exhibita anno 31.[2]) cuius singula capita discutiantur et inter colloquentes agatur, quid in ea recipiendum quidve reiiciendum eis videatur, ut relatio fiat Maiestati ipsius et statibus; sed tamen tres articuli Confessionis praedictae omittantur, cum primus et tertius sint de trinitate et incarnatione, in quibus nulla est controversia, secundus vero de peccato originali satis disputatus est nec opus est illum denuo agitari. At quoniam in confessione Augustana sunt multi articuli et diversi quoque ad eandem materiam pertinentes, primo agatur de iustificatione, remissione peccatorum, impletione legis, de fide, bonis operibus, de necessitate eorum et merito; deinde de sacramentis et de eorum virtute in universum et etiam sigillatim de quolibet eorum, Baptismo, S. Eucharistia et reliquis. Et praeterea in singulis ea agantur, quae de illo unoquoque contravertuntur, ut in Sacramento Eucharistiae, de Administratione Sacramenti sub altera an utraque specie, de oblatione, Adoratione. In Poenitentia de confessione et satisfactione, ad eundemque modum in matrimonio, ordine et reliquis sacramentis, item de purgatorio et suffragiis defunctorum, de sanctorum veneratione et invocatione, de reliquiis et imagini-

1) Vitus Theodorus.

2) 31.] potius 30.

bus, de votis monasticis et coelibatu sacerdotum, de delectu ciborum, de feriis, litaniis aliisque ceremoniis et ecclesiasticis traditionibus, et quomodo hae obligent conscientias ad sui observationem. Postremo de ecclesia, potestate clavium, ordine hierarchico, autoritate episcoporum, Romani pontificis et conciliorum etc.

---

556. No. 3364[b]. (Vol. VI. p. 21.) (m. Ian.) 1546.

N. ad Melanchthonem.

Haec anonymi epistola invenitur inter apographa Codicis Wernigerodani supra p. 477. significati fol. 150a–b.

Quidam ad M. Phil. Mel.

Interfui primo consessui huius oecumenici Concilii et decrevi expectare secundum, qui dictus est ad 4. febr. Tertium vix expectabo. Et quanquam facile coniiciam te ab aliis factum abunde certiorem de omnibus, tamen dicam ipse pauca, quae vidi. Ceremoniarum plurimum vidi, rei autem vix quicquam. Primum cantatum est Sacrum de spiritu sancto, deinde habita est concio Latina ab Episcopo S. Martii Calabro, in qua acerrimis verbis vitia Ecclesiasticorum hominum, nulli parcens ordini, perstringebat. Vix puto Lutherum unquam licentius locutum. Omnis perturbationis Ecclesiastici status caussas illis arreptum referebat, ad Christi sinceriorem doctrinam, quam veteres olim patres sectati sunt, redeundum clamitabat. In summa tametsi omnibus nota diceret, tamen quia diceret et quidem Latinissime, laudandus videbatur, et sane ab omnibus laudatus est. Post concionem denuo prolixis ceremoniis accitus est spiritus sanctus tanquam surdaster. Post ceremonias clausum est conclave, et exclusa prophanu turba. Ego tametsi non adeo religiosus sum admissus. Fuere Cardinales Leguti tres, hi pro medio altari consedebant. Episcopi mitruti et palliati trigintu aut plures, pauci Monachi et Theologi astabant, et aliquot barones alterum latus occupabant. Conclusa sunt pauca quaedam, quae ad mores et vitam emendandam spectant, de sacris peragendis et huiusmodi alia. Item creati sunt aliqui officiales, ut Notarii, Procuratores. Statutum est denique secundum Consessum habendum ad 4. Febr. et ita dimissus coetus. In 2° consessu si-

militer praeludia huiusmodi duntaxat concludentur. Fingit enim Papa se interim velle alios praelatos expectari, et Caesaris ac Regum adventum operiri. Sed vereor, ne re vera occasionem expectet omnia solvendi et perturbandi, ne habeat successum, suus status in dubium vocetur. Iam enim multi satis aperte, quid dicturi sint, ostenderunt. Non dico de fidei articulis cum Lutheranis consensuros, sed in renitendo Pontificis Tyrannidi et Imperio ipsos Lutheranos longe superaturos, desideratur, qui glaciem rumpat, qui praesultet. O quantum insaniunt Lutherani, quod non huc adcurrunt. Ego multis utor valde familiariter, et vides, quid animo premant. Vale. Ex Mediolano 1546.

---

557. No. 3498[b]. (Vol. VI. p. 183.) 1. Iul.. 1546.

Ioanni Petreio.

Hanc epistolam ad Petreium, bibliopolam Norimbergensem, Clar. Seidemanuus primum divulgavit in hocce libro ab ipso edito: M. Anton Lauterbach's, Diaconi zu Wittenberg, Tagebuch auf das Jahr 1538, die Hauptquelle der Tischreden Luther's. (Dresden 1872. 8°) Anhang p. 196 sq.

Ad Ioannem Petreum.

Etsi non sum sine aliquo dolore, esset enim ferrei et impii animi, non moveri tantis periculis domesticis et communibus, tamen nec novus est hic metus, nec prorsus imparatus est animus meus ad hos terrores excipiendos. Iam olim me hac consolatione sustento, quae est in dicto *Gamalielis* (Act. 5, 38 sq.): ***Quod ex deo est, non dissolvetur.*** Et addo assiduas precationes, ut deus res necessarias ecclesiae suae servet ac defendat ministerium evangelii verum et ipsi placens. Si me in acie proeliari necesse erit, nec ibi deero officio. Etsi enim multa acciderunt his 20 annis, quae nollem, ut aliquid contagii etiam bonis rebus aspergit humana imbecillitas, tamen nunc hostes non mederi publicis malis, sed delere veritatem et stabilire idola conantur. Erit igitur deus iudex horum certaminum, etiamsi aliquid duri patiendum est aliquibus. Et quicunque erit exitus, scio ***Carolum*** fabulam imperfectam relicturum esse, quem quidem mirarer adduci potuisse, ut hoc bellum moveret, nisi conversionem fatalem rerum humanarum instare arbitrarer. Tu deum ardentibus votis orato, ut det exitum

huius motus salutarem ecclesiae suae, quae veritatem quaerit et illustrare studet. Bene vale. Cal. Iul. 1546.

Philippus Melanchton.

---

558. No. 3934[b]. (Vol. VI. p. 596.) 10. Iul. 1547.

Melanchthonis consilium de schola instituenda.

Hoc consilium ex autographo, quod in tabulario communi Wimariae asservatur, a Prof. Wegele primum editum est in libro supra p. 531. ad no. 552. laudato: Zeitschrift für thüringische Geschichte und Alterthumskunde. II. Band. (Jena 1857. 8°) p. 185—189. praemissis prolegomenis (p. 183 sq.), e quibus intelligitur, quid eius ansam dederit.

Domini Philippi bedencken ob vnd wie wiederumb eine schuel anzurichtenn seyn müge ꝛc.

Es sind durch gottes gnad jn disen landen die studia nutzlicher lahr ein zeitlang so schon angericht gewesen, das vielen kirchen vnd landen nit allein teutscher nation, sondern auch andern damit gedient ist worden, vnd sind gepflantzt rechte gottes anruffung, vnd andre lobliche kunste vnd sprachen, vnd ist dieses alles jm zunemen gewesen, Doch haben wir einen gebrechen gehabt, alt vnd junge leut, das wir nit so ordentich, stil, vnd jn gottes forcht gelebet, als wir solten, Darumb auch die straffen leider vber vns verhenget sind.

Nu sucht aber der teuffel nit allein leiblichen vnd zeitlichen schaden, die itzund jamerlich vor augen sind, sondern wolt gern die kirchen gantz wust machen, lehr vnd zucht vertilgen, wie es sihet, das durch das langwirig kriegen ein elende verwustung volgen werde,

Darumb sollen alle regenten, so viel iedern moglich, hulff thun vnd fliken an disen zweien stucken, lehr vnd zucht, zu erhaltung der kirchen vnd gottes erkantnus, vnd guter sitten,

Den dises werk ist das erst vnd furnemist werk das gott den Regenten beuolen hat, vnd dahin furnemlich alle andre stuk der regirung geordnet sein sollen, wie der ander psalm spricht: Et nunc reges intelligite.

Dieweil den nu die studia jn allen vniuersiteten diser land gefallen sind, vnd zubesorgen, sie werden nicht leichtlich widerumb vffgericht, vnd aber dise herrn für yhre kirchen vnd zu andern nottigen sachen gelarte personen haben mussen, so ist dennoch daruff zugedenken, ob ein heufflein noch beysammen zu erhalden moglich sey, vnd so es moglich ist, wie das selbig furzunemen, das ein ernstlicher vleis jn beiden stuken geschehen, jn lahr vnd zucht, vnd das solches werk zu gottes Ehre vnd besserung dienen moge, vnd nicht ein vergeblicher kost, vnd vnnotige vnrug sey,

Erstlich was die moglichkeit belanget, sihet man leider das die hern jn armut vnd schulden sind, vnd auß diser zerruttung ist nu furohin teglich kunfftige vnruge zubesorgen, vnd sind viel vrsachen, das der herrn notturfft ist, jn allem vnkosten maß zuhalden, vnd widerumb vff einen vorradt zugedenken, dazu wol gott den hern gnad vnd trewe diner bescheren. Darumb wil schwer sein, viel vff ein vniuersitet zuwenden.

Zum andern, ist dise vnmoglichkeit auch zubedenken, wen gleich ein vniuersitet bey samen bleyben wurde vnd were jn der lehre wie sie ietzund jn vnsern kirchen bekant ist, eintrechtig vnd bestendig, so ist doch zubesorgen, die hern wurden derhalben newe vervolgung haben, vnd wurden jhnen yhre vettern das vberig auch nemen, war ists das gott alle solche schaden verhuten khann, aber ietzund muß man dennoch davon erinnerung thun, alß von moglichen dingen, besonders dweil wir sehen was vnß zuuor begegnet ist,

Denn, wie wol gott dem keiser ein ziel steken wirt, dennoch ist nit zweifel des keisers gemut ist, zugebieten das man dem Concilio gehorsam sey vnd daruff Executores zu verordnen, vnd wirt das Concilium etlich ding zulassen, das villeicht Meissen, Mark, Pomern, Hessen &c. damit zu friden sein werden, wie ich denn weiß das man disen brey lang gekocht hatt, vnd one zweifel ist alle practiken dises kriegs furnemlich dahin gekartet gewesen, das man den einigen man den Churfursten zu Sachsen dempfft, der ein verhinderer gewesen ist der selbigen vergleichung, die sie lang getichtet haben, vnd habe vil grosser anzeigung diser vermutung.

So nu ein solche concordia gemacht wurde, mochten dise arme hern auch dulden, was andere gewaltiger nachbarn annemen wurden, vnd wo sie solchs nit thun wollen, so wirt die Execution volgen, vnd werden sich one zweifel dise fell zutragen, mann wirt gebieten das man keine priester jm ampt lassen soll, sie seyen denn durch die bischoue geweihet, vnd werden die bischoue yhre beuelch haben was sie zulassen sollen, &c.

Item man wirt gebieten, das man die priuatmeß nicht verhindere, wer sie halden wil,

Item die bischof werden yhre consistoria vnd iurisdiction widerumb vffrichten, vnd den bann vngeburlich brauchen,

Was nu in disen sachen den nachbarn annemlich sein wirt, das werden dise herrn auch dulden mussen, oder werden der Executio mussen gewertig sein.

Nu will ich den hern nit radten, das sie vnmogliche ding furnemen vnd sich allein wider keiserliche Edicta setzen, die herrn sind jung, vnd gehort zu disen grossen sachen, alter, vnd gruntlicher verstand diser hohen disputation von der Religion, darinn viel weitleufftiger hendel sind, :c.

Dise zwo vrsach der vnmoglicheit sind wol zu erwegen, Ich will auch den herrn von wegen diser vrsachen nicht radten, Ein schul vffzurichten, Ettlich andere werden villeicht andre verhindrung haben, werden lieber bey jhren heusern bleiben, oder lieber in grossern vniuersiteten yhr wesen haben wollen, vnd nicht da alß vff einem particular in einem offnen flecken liegen :c. mich jrren dise geringe stuk nicht, Aber der vorigen vnmoglikeit halben, hab ich schewe, Denn es ist nicht mein gemut, noch gantz still zu schweigen in disen großwichtigen hendeln, Ich wil aber dise junge herrn, mit meiner fahrlikeit nit beladen, wie geschrieben stehet das man infirmorum schonen sol, wie man auch von wegen der selbigen jn ettlichen sachen gedult haben soll.

Das sey erstlich zu erinnerung gesagt, vnd ich bitt, man wol dises werk wol bedenken, vnd were villeicht nicht vngut, das man des Reichßtags erwartet, der wirt die tieffe verborgne heimlikeit offenbaren, ob der krig die Religion belanget habe, oder nicht, Der keiser hatt selb nemlich gesagt, Er sey zu gering dazu, verendrung jn der Christenheit zu machen, aber ehr laß ein Concilium halden, dem muß man gehorsam sein;

Wir haben nu zimlich lehr gelt geben, das wir billich nit zu freidig sein solten, vnmogliche ding furzunemen,

Ich habe auch noch ein bedenken, das mir seer angelegen ist, wenns moglich were, das in witeberg Ein same vnd zimliche schul mocht erhalden werden, so wolt ich gern, das dises ort, da so viel nutzlicher arbeit geschehen ist, vnd da die studia so schön angefangen sind, in wesen blieb, mich iamert auch alda der armen burger, vnd ob gleich ietzund andre herrschafft da ist, so khan doch gott solchs mit der zeit auch endern :c. Item die stadt witeberg ist den Sachsischen landen seer wol gelegen, vnd ist weißlich vnd wol bedacht von hertzog fridrichen, der gelegenheit halben, an disen ort ein vniuersitet vffzurichten.

So aber fur vnd fur presidia darin ligen sollen, vnd wie ich gentzlich acht, der Stadtkrieg werde große vnd langwirige vnruge erregen, so khann wenig hoffnung sein, das in witeberg ein schul sein möge,

Bedenkt man aber, das man den kirchen zu gut Ein schul zu Duringen haben wil, wie ich auch glewbe, das es gut were, so mans recht ordnen, vnd ernstlich halten woltt, so ist dises mein einfeltig bedenken, Das vnsere gnedige hern den vorigen legenten gnediglich anzeigen lasse, wiewol yhr gnadt khein grosse vniuersitet anrichten khonnen, so wolten sie dennoch gern yhren kirchen vnd land zugut, zu pflanzung christlicher lahr vnd andrer kunsten, das ein heufflein beysamen weren, alß nemlich zu jhen[1]), die treulich die jugent in lahr vnd zucht zu gottes Ehre hutsfen vffziehen, Diweil denn dise personen nu so lang yhrer f. g. hern vatter gedienet, vnd ietzund auch allerley elend gelldden, so hofften yhr gnade, sie weren noch geneigt yhren gnaden zu dienen,

So man den horen wurde, wie viel personen vnd welche dienen wolten, so muß man die wohnung dazu ordnen,

Von der besoldung khann ich nit reden, den ich weiß nit wo manß nemen soll, Ich achte aber mit zwei tausent floren solte dises werk außzurichten sein, vnd so gott gnade dazu verlihe, wurde es sich selb beſſern, vnd so man wolt ein solche schul haben, ist warlich die hohe notturff, nit allein vff ordnung der studien vnd lehr, sondern nicht weniger, vff ernstliche disciplin vnd zucht zugedenken, die denn wol anzurichten ist, so die legenten selb gottforchtig, stiller sitten, ernst, eintrechtig vnd fridlich sind, Item So man ein bequem hauß zu solchem thun haben mocht, Darinn die jugent yhr wohnung het, mussen der legenten zwen bey jnen wohnen, das man stil vnd fridlich darin lebet, ꝛc. Davon alß denn weiter zu reden, so man ernstlich beschlossen hatt, daß man dises werk furnemen vnd erhalten wolle, Es wir auch warlich arbeit dazu gehorn, Doch wenn die personen eintrechtig sein, khann man einander helffen, ꝛc. Der almechtige gott wolle gnediglich nutzliche lehr vnd zucht erhalden, vnd der Regenten hertz zu gutem radt neigen, vnd yhnen helffen, Datum X. Iuly 1547 zu Weimar.

558ᵇ. No. 4148ᵇ. (Vol. VI. p. 807.) 7. Febr. 1548.

Testimonium Evandro datum.

Hoc testimonium p. 278. no. 320. breviter quidem memoravi, sed non ipsi verbis afferre potui, quippe quod librum, in quo legitur, tunc nondum

---

1) i. e. Iena.

inveneram. Hoc libro (Io. Adami Flessae fasciculus commentationum varii argumenti praecipue historici ac litterarii. Altonae et Flensburgi s. a. 8⁰) nunc invento, in quo cum prolegomenis (p. 183 sq.) et adnotationibus primum editum est (p. 185—188.), integrum testimonium h. l. exhibeo.

(*Testimonium.*)

Decanus collegii philosophici in Academia Witebergensi Philippus Melanthon S. D. omnibus lecturis has literas. Petivit a nobis testimonium de suis moribus, studiis et gradu Vir doctus et honestus Magister Christophorus Euander Wonsidelensis, quod ei summa voluntate impertivimus. Meminimus enim et mores et ingenium eius valde probari Reverendo viro Domino Nicolao Medlero Doctori theologiae, apud quem in prima adolescentia elementa philosophiae et doctrinae coelestis recte didicit, et nos ipsi comperimus in hoc Christophoro indolem esse egregiam ad percipiendam omnium artium doctrinam et ad virtutem, et mores eius honestos esse. Cum autem amplius triennio in Academia nostra vixerit, et latinam linguam feliciter didicisset, addidit graecae linguae studia, ut aditum sibi ad philosophiae fontes patefaceret. Ordine igitur per omnes partes progressus in primis in arithmetica diligenter ingenium exercuit, deinde cognitis elementis geometriae dulcissimam doctrinam de motibus coelestibus didicit, in qua vere, ut Plato inquit, grata de Deo fama sparsa est. Nam in consideratione pulcherrimi ordinis et utilitatis motuum coelestium manifeste adparet, hunc mundum non casu ortum esse, sed a mente architectatrice conditum esse et gubernari. Cum autem et domestica disciplina hic Christophorus ad agnitionem Dei adsuefactus esset, et hac ipsa doctrina de natura rerum commonefactus recte iudicaret homines praecipue ad haec munera nasci, ut Deum conditorem celebrent, et ut perficiamus ut nostrae opiniones et mores ad imaginem, iuxta quam conditi sumus, id est ad mentem divinam congruant, diligenter quaesivit in ecclesia Dei veram doctrinam de Deo et de filio eius, domino nostro Iesu Christo patefactam certis et illustribus testimoniis, et amplectitur consensum Catholicae ecclesiae Christi, et abhorret ab omnibus fanaticis et seditiosis opinionibus. Ac ut monumenta prophetica recte intelligere posset, aliquid operae tribuit linguae Ebraicae. Quare cum ingenium, mores et eruditionem huius Christophori probaremus, de collegii sententia decrevimus ei gradum magisterii philosophici, quod his publicis litteris testamur. Expedit autem reipublicae

honestos homines bonis et modestis ingeniis praeditos et doctrina recte instructos complecti ac provehere, ut servire Ecclesiae et communi societati possint. Hunc igitur Magistrum Christophorum omnibus bonis viris commendamus, ut eum tueantur et ornent, praesertim cum ad ceteras multas virtutes hanc addiderit, ut studia sua ad hunc finem, ut iuvet Ecclesiam Dei, referat. Et speramus eum propter eruditionem et propter modestiam magno usui atque ornamento reipublicae futurum esse. Etsi enim magni sunt imperiorum tumultus, tamen Deus aeternus Pater domini nostri Iesu Christi, conditor Ecclesiae, servabit sibi reliquias sui coetus, qui ipsum recte invocat, et ut servet ardentibus cum votis oramus. Precamur etiam ut totum vitae curriculum huius Magistri gubernet et faciat eum *σκεῦος ἐλέους*, ut ipsi et aliis labores eius sint salutares. Datae die Februarii septimo. Anno MDXLVIII.

Philippus Melanthon.
manu propria.

---

559. No. 4302[b]. (Vol. VII. p. 183.) (fere 21. Oct. 1548.)

Matthias Flacius Illyricus ad Melanchthonem.

Haec epistola exhibetur in hisce libris: 1. Apologia Matthiae Flacii Illyrici ad Scholam Vitebergensem in Adiaphororum causa. Eiusdem Epistola de eadem materia ad Philip. Melantho. Item quaedam alia eiusdem generis. Anno 1549. 8°. fol. A 4b-5b; 2. Omnia latina scripta Matthiae Flacij Illyrici, hactenus sparsim contra Adiaphoricas fraudes et errores aedita, et quaedam prius non excusa, catalogum uersa pagina indicabit. Omnia correcta et aucta. s. a. 8°. fol. H 4a-5b.

Epistola M. F. Illyrici coram exhibita D. Philippo circiter dies 14 *post nuptias Augusti Principis,*[1]) *aliquanto ante Celensia comitia.*[2]) *Anno* 1548.

---

1) Augustus, filius Henrici pii, Ducis Saxoniae, natus 31. Iul. 1526, post mortem Mauritii fratris (mort. 11. Iul. 1553.) Elector Sax., primum in matrimonium duxit Annam, Christiani III. Regis Daniae filiam d. 7. Oct. 1548., (conf. Traug. Gotth. Voigtel genealog. Tabellen. Tab. 116.) haec igitur epistola fere 21. Oct. scripta est.

2) Dimisso conventu Torgensi, Theologi, qui Torgae et antea Misniae convenerant, ex mandato Principis Electoris iterum, nonnullis adiunctis, Cellae d. 16. Novembris 1548. convenerunt (conf. Corp. Ref. VII. p. 108.) Hic conventus 16—20. Nov. habebatur.

Si tu Praeceptor observandiss. is esses, cuius aures veritati occlusae, tantum adulationibus paterent, quaererem apud te potius obsequendo favorem (quatenus quidem mihi cum pietate liceret) quam vera dicendo odium, cuius favorem et prodesse mihi plurimum posse agnosco, et iam saepius profuisse grata mente confiteor. Verum cum tibi veritate ac candore nihil gratius esse multis exemplis animadverterim, ad haec charitatis ac gloriae Dei promovendae mandato urgear, non possum facere, quin tibi ea indicem, quae non solum ad dignitatem tuam, sed etiam aeternam salutem et tuam et aliorum, atque adeo ad gloriam Dei pertinere arbitror. Tu vero ea sic accipito, ut ab eo, qui tibi vitam ipsam debere se fateatur, ac pro te etiam effundere eam, si res postulet, sit paratissimus.

Testor Deum audivisse me ex fidei dignissimo homine, tuique studiosissimo, qui certo affirmabat D. Augustinum non ita multum, antequam ad Dominum migravit, dixisse ad se et quosdam alios inter caetera et haec: Vos videbitis, isti nebulones pertrahent Dominum Philippum in aliquem errorem, quem cum probaverit, plura illi deinceps statuent, eumque sua confessione constrictum tenebunt, qui ubi viderit quantum malorum consecutum sit, incidet in moerores, quibus tandem contabescet. Scio ita futurum, nam et antea sic accidit, sed tunc D. Martinus est eum consolatus, aliud exemplum narrare noluit.

Hoc dictum spero et ex animo opto falsum fore. Volui tamen illud cum sit gravissimi, prudentissimi ac sanctissimi viri, quemque tu non immerito semper fecisti maximi, ideo nunc tibi recitare, quod vulgo iam fertur Marchionem et Ferdinandum effecisse apud Mauritium, ut ipse quam primum mutationes quasdam, vel etiam exilium rerum faciat, quo ipsi deinceps εὐπροςωποτέρως in suis regionibus, maiora vel potius omnia immutare queant, idque brevi Mauritium in quodam suo conventu acturum esse.

Id sive ita sit, sive non, Deus viderit, cui nostras et totius Ecclesiae calamitates commendamus. Illud certe neque alii pii, neque tu ipse (ut saepe ex tuo sermone intellexi) dubitas Achitopheles istos tuae lenitati, bonitati et simplicitati insidiari.

Etsi autem te ipsum pro tua summa prudentia et pietate sedulo vaferrimorum hominum fraudes cavere non dubito, tamen cum omnia occulte gerantur, et undiquaque partim gloriationes hostium de concessis nescio quibus, partim etiam piorum querelae afferan-

tur, visum mihi quoque est, ut dolori ingenti, quo excrucior, conscientiaeque satisfacerem, te et orare et monere, ne quicquam impiis Antichristi ministris concedas.

Nihil enim penitus hoc tempore, quo constans confessio veritatis a nobis requiritur, a te aut schola hac, unde veritas profecta est, concedi, aut in Ecclesia nostra mutari potest, quin ingentia scandala statim per orbem terrarum consequantur. Agnoscere autem deberemus satis superque scandalorum sparsum esse in Ecclesia, quae pusillos Christi subvertunt.

Quod reliquum est, commendo te, me et totam Ecclesiam Christo Domino, qui scit, quo animo haec tibi proponam, quique, ut non dubito, meam in hac re voluntatem comprobat. Confido et te pro tuo candore haec in meliorem partem accepturum esse, et si non factum penitus, certe tamen institutum nostrum probaturum esse. Bene vale.

[In utroque libro in prolegomenis recensito hanc epistolam subsequitur: „Praefatio in syluam de Missa M. F. Illyr. Anno 1548. Paulo ante Iuterbacensia comitia Philippo oblatam." Hanc cum Epilogo eiusdem scripti h. l. omitto.]

---

560. No. 4543 b. (Vol. VII. p. 414.) 8. Iun. 1549.

Idem ad eundem.

Haec epistola invenitur in iisdem duobus libris, quos in praecedentis epistolae no. 559. prolegomenis indicavi, scil. in priori fol. E 1a-5b, in altero fol. H 7a-16a.

Epistola eiusdem ad Philippum Melanthonem.

Dominus Ihesus adsit tibi, mihi et omnibus piis, ut ea agamus, quae ad ipsius gloriam et miserarum conscientiarum exaedificationem faciunt, ac de quibus etiam coram tribunali Christi rationem reddere possimus, Amen.

Etsi iam quaedam eximia sapientia aliquibus videtur esse, etiam in Ecclesia et Religionis negotiis ita loqui, scribere et agere, ut non facile alii pii animadvertere possint, quid illi sen-

tiant, aut quid non sentiant, quid agant, aut non agant, probent aut improbent, tamen ego in hac parte nihil habeo etiam in intimis meis cogitationibus, quod quenquam vel alienissimum a meis sententiis admodum celare cupiam. Semper enim mihi persuasi veritati et bonae causae lucem obesse non posse. Te vero D. Praeceptor etiam eo minus celare vel debeo, vel possum, quid sentiam, quod vix quisquam iam vivat, cui ego saepius hoc anno et dimidio meam sententiam de istis praesentibus miseriis et actionibus exposuerim, quam tibi, aut cuius ego vicissim dictis et narrationibus in eadem sententia magis quam tuis sim confirmatus.

Sentio igitur et semper sensi Adiaphororum mutationes et acceptiones, cum generare multiplicia scandala in Ecclesia, ut habere quandam speciem abnegationis, languefacere, ac inducere in dubitationem pios, confirmare impios (ut tuum scriptum de Adiaphoris fatetur), contristare Spiritum Sanctum in piis, eorum orationem impedire (ut oratio in promotione Isinderi recitata innuit), frangere animum constantium doctorum, scindereEcclesiam, et bonorum consensum (ut est in praefatione istius novae ordinationis), tum vero esse secundum tuum somnium, quod nocte tuam Guterbacensem profectionem praecedente somniasti[1]), tantum fenestras quasdam, hoc est, secundum tuam interpretationem quaedam zum schein, in speciem excogitata, per quae tamen ipse papatus in Ecclesiam Christi reducatur.

Hisce tantis malis semper ego (ut tutemet scis) omnes pios serio repugnare debere sensi, et hodierna die sentio, et pro mea

1) Hoc somnium narratur in libro altero supra p. 540. ad no. 559. recensito: „Omnia latina scripta Matth. Flacii Illyrici, etc.“ fol. F 7a-8a: „Duo somnia Philippi, habita ante annum.“ Ut plures huius epistolae loci, in quibus voce *fenestra* illud somnium indigitatur, clarius intelligi possint, prius somnium ex illo libro h. l. affero cum subsequenti interpretatione: „Nocte praecedente 14. diem Decembris, qua Theologi Iuterbachium ad comitia profecti sunt, somniavit Philippus, venisse ad se vicinum quandam suum, qui militari habitu incedere solebat, ac rogasse, ut vellit suo nomine orare vitrarium, ut ei fenestras quasdam faceret. Id ubi ille, ut rogatus erat, fecisset, paulo post reversum esse vitrarium, ac multum questum esse, interrogatumque quid accidisset, respondisse: Ille nebulo voluit me sibi papisticam Missam recitare. Num me talem hominem esse existimat, qui velim papisticam Missam recitare? — Id somnium sic idem sequenti die coram pluribus, et Camerario aliquoties interpretatus est. Iste vicinus miles est ipse Mauritius, vitrarius sum ego. Petit a me Mauritius, ut ei fenestras faciam, id est, aliquid in speciem, etwas zum schein. Revera autem quicquid agitur, eo tendit, ut Missa papistica et papatus restituatur.“

tenuitate repugnavi et repugnare Christo iuvante deinceps cogito, etiamsi et hactenus propterea gravi cruce pressus sim, et in posterum fortassis graviori premar. Quoniam autem proh dolor, tu secundum tuum somnium pateris te ab impiis adhiberi huic fenestrarum fabricationi, non poterit fieri, quin, dum huic tuo iam operi repugno, te quoque non vulgariter (quod testor Deum me invitum facere) offendam.

Clamabunt quidem aliqui (ut semper mundus facta contra Deum aut veram Religionem non magnifacit, facta vero contra hominum famam, vitam, aut opes facit maximi) esse insignem ingratitudinem erga tam bene meritum praeceptorem et meram petulantiam. Mea tamen profecto conscientia coram Deo ex sacris literis et Spiritus Sancti lumine, aliter statuere nequit, quam me ex iussu Dei debere istas fenestras, sub quibus Antichristus latitat, et simplicitati piorum insidiatur, quo ipsis non animadvertentibus in Ecclesiam Christi irrumpat, frangere, eumque omnibus piis ostendere, quo qui volent, fraudem cavere possint.

Non aliter plane me hoc officium Christiano fratri debere iudico, quam, si per densam silvam iter faciens crudelissimos latrones ibi viatoribus insidiantes conspexissem, quos tamen Dei beneficio incolumis evasissem, ac paulo post obvius aliquibus bonis viris factus essem, divino mandato obligarer praemonere eos, ut illas latentium latronum insidias vitent, etiamsi frater vel pater meus illis latronibus coniunctus esset. Iam vero etiam tanto magis hoc officium proximo debeo, quanto maius est hominem in aeternum exitium abiici, quam vitam hanc, alioqui brevi perituram, aut pecunias amittere, ut taceam, quod simul etiam gloria Christi periclitetur.

Proinde ego cum, postquam tibi laudem summi ingenii, excellentis eruditionis, eximiae cuiusdam bonitatis tribuero, tua maxima erga literas, Ecclesiam et me ipsum, merita praedicavero, sicut semper hactenus feci, Cum, inquam, mandato Dei et propria conscientia coactus, tum ore, tum (si malum creverit) etiam publico scripto omnibus exposuero, praesentes pseudadiaphororum [1]) instaurationes multipliciter puritatem Religionis Christi violare, Ecclesiam Christi destruere, etc. easque non ita magnifaciendas, quasi aliquo pio, maturo et constanti Philippi consilio institutas. Sed

1) pseudadiaphororum] sic in altero libro legitur; in priori male: pseudodiaphororum.

primum pontificum et Achitophelorum vafricie excogitatas. Deinde Dominum Philippum eorum astutiis, et sua quadam nimia lenitate, imbecillitate, ὀλιγοπιστία, et humana sapientia itemque vanissima quadam spe mortis C. ex eclipsi lunae anni 47. concepta ad eas pertractum esse, idque insuper non solum tuis scriptis, sed etiam dictis ac narrationibus hoc anno et dimidio coram me et aliis recitatis probavero, Christiani hominis officio functum me existimabo.

Vociferabuntur, ut dixi, aliqui, qui maioris homines quam Deum, et praesentia quam futura faciunt, me petulanter bonis viris maledicere. Ego vero contra dicam, me utilem piis praesentium fraudum expositionem et detectionem facere, nec me eam posse bona conscientia praetermittere. Omnes enim Christiani, praesertim qui in aliquo officio sunt, et in Ecclesia Christi gradum habent, cum animadvertunt lupum in veste ovis ad pusillum gregem Domini venientem clamare debent: Cavete vobis miserae Christi oviculae, lupus illac aut isthac, hac vel illa pelle tectus, venit. Dominus autem Ihesus, si non antea, at certe in suo extremo iudicio diiudicabit, utrum illi, qui istas fraudulentas fenestras fabricaverunt, an vero ego miserrimus infans, qui utcunque balbutiendo desertis Christi oviculis insidias istas indicare voluerim, rectius egerim, et unicuique secundum opera sua rependet.

Non credis quantopere contrister et conturber, cum lego tuam Lypsicam orationem, (tuas enim profecto cogitationes esse animadverto, etiamsi περιεργίας quasdam sermonis ὁ ἀρχέκακος adiunxerit) non profecto ideo, quia me odiose exagitat. Nam mihi perfacile esset odita Apologia, commemoratisque vestris non fictis peccatis, et inde gravissimis damnis Ecclesiae consequutis, totaque mea actione ostendere, me iustissimis causis moveri, quare ea agam, quae ago, nec quicquam temere contra vos facere. Quam plausibiliter possem vel tuam Epistolam ad Carlovicium et alias quasdam, vel Pomerani historiam axagitare, si vobis maledicere cuperem. Sed testor Deum, hoc esse unicum meum studium, ut puritas Religionis Christi incontaminata retineatur, et propterea stylum meum ita moderabor, ut Ecclesiae expedire existimavero.

Doleo igitur non meam vicem, sed primum Ecclesiae, quod istae tuae fenestrae in papatum degeneraturae tam elegantibus coloribus pingantur, atque ita Ecclesia Christi decipiatur. Secundo doleo et tuam vicem, quod nondum agas poenitentiam de istis pessimis actionibus, quas saepe et me et aliis audientibus conde-

mnasti, et ob quas te a conscientia reprehendi fassus es. Nihil hic mentior. Cogita vel illud unicum, quod mihi semel dixisti, Te saepe cogitare, quod divinitus ista scabie ob praesentes actiones puniaris. Quam saepe vero mihi, Crucigero, et aliis dixisti, Neminem bona conscientia deliberationibus de istis mutationibus interesse posse.

Tuā illa tam mala scripta Augustam missa et attraxerunt Interim, et iam ubique promovent, et multos fortes Christianos passim in Suevia et alibi expugnarunt et adhuc expugnant, istaeque tuae disputationes de Adiaphoris, vere ubique pios, sicut et tu Ipse fateris, languefaciunt, et impios confirmant et armant. Talia tamque Ecclesiae perniciosa peccata adeo operose excusare, idque cum scandalo pusillorum Christi, qui ista Sophistica in errorem inducuntur, grande impoenitentiae scelus est.

Postremo etiam, quia semper, cum tam artificiosa mendacia lego, vehementer commoveor, ut cum legi sessiones Tridentinas, praesertim Sextam, Brunsvigae, cum legi Interim Augustanum, item Lypsicum, et postremo hanc orationem. Quae omnia scripta ego non sine crebris gemitibus et fremitu perlegi. Iudico autem esse motus Spiritus Sancti, contra Satanam patrem horum artificiorum, et ipsa artificia frementis. Hisce ego dolorum facibus incitatus, saepe cogor aliquid contra ista Sophismata, vel invitus vociferari, quae illis, qui similes animi stimulos et cruciatus non experiuntur, non semper probantur.

Haec dilectissime Praeceptor (profecto enim sincerius a me dilectus es, quam a quoquam eorum, qui blandissime tecum loquuntur) tibi scribere volui, primum, quo ostenderem me nihil iniuste contra te agere, sed iustissimis causis, nempe mandato divino, de dilectione Dei, et proximi, propriaque conscientia impelli, ut haec agam, quae ago. Secundo, ut te adhuc orarem et per Christum, tuum, et miserae Ecclesiae salutem, obtestarer, ut desinas adiuvare fabricationem istarum sceleratarum fenestrarum, et istarum fraudulentarum insidiarum, in quibus ipse Antichristus latet. Et per quae impii quidem ita confirmantur, ut etiam triumphent, pii vero contristantur, languefiunt, ac in dubitationem inducuntur, et tam infiniti scandalizantur. Hoc omnes serio pii a te atque adeo tua propria conscientia, quod ex te ipso saepius intellexi, flagitant.

Cogita, obsecro, vel ista politica Argumenta, quae quivis intelligere potest.

„Hostis non est confirmandus nec nostri frangendi. At tuum scriptum de Adiaphoris fatetur per hasce actiones impios confirmari, pios vero languefieri. Igitur etc."

„Ob nullam vel incertnm spem non sunt res magnae movendae. Vos nullam, aut perexilem spem sequuturae tranquillitatis habetis. Nam C. vobis nihil pollicetur, et ut esset pollicitus quam parum sit ei credendum, Germaniam suo magno malo didicit. Igitur etc."

Hisce tute potius coniunge, qui repudiatis omnibus fenestris et simulationibus puritatem Religionis, per constantem et apertam (quod tu faciendum esse semper antea docuisti) confessionem retinere conantur, ab his tu ne te istis perniciosis Ecclesiae actionibus, et piorum rituum in papisticos metamorphosibus separa. Nam haec est vere non necessaria, imo potius impia separatio, et Ecclesiae Christi tristis laceratio.

Cogita quaeso quam graviter minetur Dominus ei, qui vel unicum pusillum Christi scandalizaverit, Audi quaeso gemitus, querelas et plorntum miserorum conscientiarum, miserabiliter per istas actiones langnefactarum, et consaucialarum. Cerne etiam, obsecro, cadavera Christianorum, qui iam ob istas vestras vacillationes vel papismo, vel Epicureismo, sunt iugulati. Desine quaeso tandem contra omnium Ecclesiarum vota, et propriam conscientiam, per istum periculosum callem, aulicos Iuristas sequi, quod te etiam tuum somnium monet, ne alicubi in profundam lacunam divinae irae incidas, ex qua eluctari postea non queas. Hoc si feceris, polliceor me non solum non pugnaturum porro contra te, sed etiam supplicem tibi futurum.

Sin (quod Deus avertat) non voles intermittere agere ista, quae quam pessima sint vides et saepe fateris, ne ego quidem, nut alii pii desinemus istis malis resistere. Miserabile hoc quidem erit, esse in Ecclesia schisma, et ego saepe Vitebergae adhuc id malum deplorans dixi, Me nunquam putasse futura adhuc ea tempora, quibus nostri quidem praeceptores, qui tam diu Antichristum oppugnaverunt, cum Episcopis hostibus Ecclesiae clam sua consilia conferrent, Nos vero miseros puerulos eorum discipulos contra ipsos aliquid cogitare sit necesse, si puritatem Religionis retinere velimus. Dixi tibi etiam persaepe, ista Adiaphora scandalum et schisma in Ecclesia paritura esse. Triste igitur quidem hoc erit, sed tamen longe tristius esset, si omnes unanimiter papatui viam in templum Christi sterneremus, eique fenestras aperiremus.

Me etiam hoc in istis ingentibus miseriis consolatur, quod nulla spe opum, aut honorum, nullo ullius hominis odio, tantum studio tuendae puritatis Religionis Christianae, quod coram Deo testari possum, hosce labores suscepi. Ad haec nihil innovo, nec innovatum cupio, hunc statum, quem vos ipsi constituistis, et tam diu defendistis, quemque ego pium et ad aedificationem Ecclesiae aptissimum esse iudico, conservatum cupio. Velim non ita misere scandalizari Ecclesiam, non confirmari et de nobis triumphare impios, non patefieri fenestras papatui, sed cum vos summos doctores constantes esse, tum et alios ad constantiam confessionemque hortari et animare, consolari et confirmare miseros Christianos iam in cruce pendentes. Hoc enim esset vere pie servire tempori.

Summa, protestor coram Christo Domino, eamque protestationem mihi in extremo quoque iudicio valere volo, me nihil praetermisisse, quod ad piam concordiam facere posse existimavi. Admonui et oravi te saepius separatim, saepe assensus es, et pollicitus, te nihil porro acturum in istis conciliationibus, te potius aliquo discessurum, nec tamen ab incepto destitisti. Quare monui te coram duobus fratribus per Epistolam ad Anhaldinum, et deinceps etiam coram tota Ecclesia editis scriptis, sed tecte. Moneo etiam iam, ac per tuam et Ecclesiae salutem te obtestor, ut ab istis impiis Christi et Belial conciliationibus tandem desistas, tuaeque conscientiae ac saluti et aliorum miserorum hominum consulas.

Ego cupio cum omnibus Christianis et praecipue tecum summam coniunctionem habere, sed in Christo, id est, ita ut nostra coniunctio ad confirmandos, consolandos et aedificandos pios, languefaciendos vero et destruendos impios, tendat. Et ut Antichristo resistatur, non ei fenestrae fabricentur et aperiantur.

Ah satis furiosi sunt ipsi Papistae in introducenda sua abominatione desolationis in templum Domini, nihil est necesse, te eis fenestras aperire, obstruito eis potius omnes aditus, si quidem adhuc nostrarum partium es.

Haec tibi, Doctissime Vir, pro ingenti dolore animi mei, ac perniciosarum istarum actionum odio, aliquanto liberius scripsi. Tu vero rerum ipsarum veritatem, minime indulgens affectibus perpendito. Nam profecto ego non sum tuus inimicus, sed istarum fenestrarum tantum, multo vero minus illa odi, quae tu erudite, pie et utiliter scripsisti. Locos communes tam nollem perire, quam nollem me ipsum misere perire. Atque utinam tibi iam liberet

potius constanter confitendo et Antichristum condemnando tuis pulcherrimis scriptis et actionibus confirmationem et veluti sigillum quoddam apponere, quam sic in gratiam, nescio cuius, vacillando, et miseras conscientias languefacere, et cum tuis scriptis, tum et toti Evangelio fidem derogare.

Responde[1]) obsecro. Si quid enim vere monueris me rectius aliter et Ecclesiae utilius agere posse, libenter profecto non solum tibi summo viro, sed etiam minimo puerulo, ut Augustinus inquit, parebo. Bene vale. Datae Magdeburgae mense Iunio die octava. Anno 1549.

---

561. No. 4578b. (Vol. VII. p. 447.) 26. Aug. (1549?)

Georgio Cracovio iuniori, Professori Witebergensi.

Hanc epistolam, quam Clar. Seidemannus ex autographo tabularii primarii publici Dresdensis mihi descripsit, ad annum 1549., quo Cracovius munus Professoris Witebergensis adibat, esse referendam, ex eius principio elucere videtur.

Clariss. viro eruditione et virtute praestanti D. Georgio Cracovio, amico suo et collegae.

S. D. Doctiss. d. Georgi. Quod faustum et foelix sit, exordieris praelectionem, cum voles ac retinere horam septimam antemeridianam poteris, de qua Paulus tibi cedit. Leges autem alternis aut Livium, ac Metamorphoses aut si libet pro Livio, repetes primum librum Officiorum Ciceronis. Nam ceteri duo libri non praebent lectioni ἀφορμὰς aliquid addendi. Primus liber in virtutum descriptionibus et distributionibus multas offert materias quae illustrandae sunt ab Interprete, ac nunc quidem te quoque philosophari velim στέργοντα τὴν παροῦσαν τύχην, ac nobiscum deum orare, ut gubernet nostrum coetum, et non sinat in his regionibus dissi-

---

1) Flacio Illyrico respondit Melanchthon d. 1. Oct. 1549. (vide Corp. Ref. VII. p. 477—482.), postea ille denuo ad Mel. scripsit. Hoc Flacii responsum exhibetur in libro supra indicato: „Omnia latina scripta Matthiae Flacii Illyrici" etc. fol. O2a—Q2b sic inscriptum: „Responsio M. F. Illyr. ad Epist. Phil. Mel. utrumque scriptum aeditum est mense octobri anno 1549." Propter eius nimiam prolixitatem h. l. omissum est.

pari has docentium et discentium μυρμηκιάς. Bene vale. 26. Au
gusti.

philippus.

In inferiore sinistri marginis parte Cracovius adscripsit hoc responsum:

Mihi placet haec tectionum ratio, et de hora libenter cedo
quae semper poeticae lectioni attributa fuit, et in hoc secessu
me occupata est ad tempus propter lectionum paucitatem.

---

562. No. 4631ᵇ. (Vol. VII. p. 507.) 19. Nov. 1549

Principi Augusto Duci Saxoniae.

Hanc epistolam, quae in tabulario publico primario Dresdensi, loculo 8031 fol. 151. asservatur, Clar. Seidemannus mihi benigne descripsit.

DEm Durchleuchten Hochgebornen Fursten vnnd Herrn, Herrn Augusto Her
tzogen zu Sachsen, Landgrauen in Turingen, vnd Marggrauen zu
Meissenn, meinem gnedigen Herrn.

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vnser
Heiland vnnd warhafftigen helffer zu vor, Durchleuchter hochgeborner gnedi
ger Furst vnnd Herr, E. f. g. bitt ich in vnterthenigkeit, sie wollen dis
meine schrifft belangend einen armen knaben Johann Stumpf von Etsenber
E. f. g. vnterthan, gnediglich annemen, wie E. F. G. selb achten können
das ich vnnd ander in den Schulen der armen jugent studia, so viel vn
moglich zu furdern schuldig sind, Nu ist diser E. f. g. vnterthan Johan
Stumpf mit gaben Ingenij vnd des verstands wol gezirет, ist auch gottforch
tig sittig vnd zuchtig, vnd studirt loblich wie aus seiner selbs schrifften a
E. F. G. haltend, erscheinet, Dweil ehr denn, als ein armer wolgeschickte
vnterthan zu E. f. g. als zu einem hochloblichen Christlichen fürsten zuflucht
hatt, vnd E f g auß hohen furstlichen verstand wissen, das man sittige gut
ingenia zur kirchen notturfft vffzihen muss, Das auch gott die selbigen Ele
mosynen sonderlich gefellig sind vnd one allen zweifel gnediglich belohnet wer
den, wie der Son Gottes vnser Heiland Jhesus Christus gesprochen hatt
Wer einen trunck wasser dem geringsten vmb der lahr willen gibet, dem sol
solchs belohnet werden, So bitt ich neben gedachtem Johan Stumpffen, E
g wollen yhm vmb gottes willen mit einer prebend oder sunst ein Jarlich

hulff zum studio, vff ettliche Jar, gnediglich verordnen, fur Dise vnd dergleichen Elemosynen wirt der Son gottes Jhesus Christus vnser heiland one zweifel e f g gesuntheit vnd andre gaben vnd gnad zu seliger regirung geben, Der wolle auch e f g alle zeit gnediglich regirn vnd bewaren, Datum am tag S. Elisabet der hochloblichen Christlichen furstin vnd Landgrauin in Turingen, welche viel Christlichen Elemosynen in Turingen gestifft, wie ich selb ettliche yhre vorschreibungen gesehen habe, Anno 1549.

E f g
vnterthenigter
Diener

Philippus MelanthoN.[1])

563. No. 4648b. (Vol. VII. p. 528.) 1. Ian. 1550.

Catharinae Ducissae Saxoniae, viduae Henrici pii, matri Mauritii Electoris.

Autographon huius epistolae in eodem tabulario Dresdensi, loculo 8498. fol. 1007. exstat, ex quo a Seidemanno mihi descripta est.

Der durchleuchtigsten hochgebornen furstin vnd frawen, frawe Catharina, geborne hertzogin Zu Mekelburg, hertzogin zu Sachsen, Landgräuin In Duringen vnd Marggrefin Zu Meissen, meiner gnedigen furstin.

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vnsern heiland vnd warhafftigen helffer, vnd Ein new selig fridlich Jar zu uor, Durchleuchtiste hochgeborne gnedigste furstin, nach dem E f g Ein Jungen knaben, des wirdigen herrn Thomas Blewln Son, anher gesandt, das ehr trewlich vnd ordenlich vnterwisen werde, hab ich neben dem Ernwirdigen herrn Pastor, Doctor Pomern gedachten knaben dem wolgelarten Magistro Christophoro

1) Huius epistolae sola extrema pars: „E f g — MelanthoN" a Melanchthone manu propria scripta est.

Finken[1]) beuohlen, Denn wie ich In der verhor gemerkt, bedarff der knab noch guter Vbung In grammatica,

Vnd dweil E f g auch geschriben das man anzeigen soll, wie viel Dem knaben zur notturfft Jarlich zu geben, acht ich ehr werde fur tisch, lahr, wohnung vnd beholtzung viertzig floren bedurffen, Welchs ich E f g In vntertheniekeit ietzund anzeige, ob villeicht E f g solcher bestellung halben, bedenkrn haben wurden, Aber der knab ist blod vnd bedarff wartung vnd bequemer vbung, Doch was E f g bedenken werden, das khonnen E f g Magistro Christophoro Finken, dem ich dise vnterthenige schrifft mit geben, gnedigliche anzeigen.

E f g bitt ich auch In vntertheniekeit sie wollen yhr f g disen gottforchtigen wolgelarten mann, Magistrum Christophorum Finken gnediglich lassen beuohlen sein, Er hatt wol studirt, vnd zu hoffen durch gottes gnad ehr werde zu gottes erkantnus vnd Ehr In ehrlichen stenden nutzlich dienen,

Der allmechtig Gott vatter vnsers heilands Jhesu Christj wolle E f g trosten vnd bewaren, datum Circumcisionis 1550

E f g
vnterteniger
Diener

philippus Melanthon.

---

564. No. 4726[b]. (Vol. VII. p. 601.) 25. Maii 1550.

Georgio Cracovio iuniori, Professori Witebergensi.

Haec epistola, quam mihi Clar. Seidemannus descripsit, in eodem tabulario, loculo 8570. fol. 7. invenitur.

(Inscriptio deest.)

1) Hic in Albo Academiae Vitebergensis ed. Foerstemann p. 216. m. Sept. 1544. legitur sic inscriptus: Christophorus Finck Birnensis [i. q. Pirnensis]. De eius vita conf. Coup. Ref. VII. epist. 4504. 4576. 5023. Scripta publ. prop. II. fol. 43b. III. 137 sq. Fortgesetzte Sammlung von Alten u. Neuen Theol. Sachen. 1728. p. 793 sq. (Haec apographo adnotavit Clar. Seidemannus.)

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Si fieri potest, oro ut Mathesio et illi viro, de quo scribit, gratificeris. Scio honestum esse, et bene meritum de sua civitate. Et semper erga literarum studiosos fuit officiosus. Ego me comitem adiungerem, nisi filiae nuptiae[1]) apparandae essent, vides me retineri magna causa. Te velim ad prandium nostrum venire. Fortassis enim *καὶ γεφυραῖος*[2]) aderit, etsi certum non est an adfuturus sit, quanquam ostendit, *εἰ μὴ εἰρωνικῶς κωμῳδεῖ ἡμᾶς πένητας.* Bene vale. die *μαργαρίδος*, quod est, amara crustata, quare et *τοῦ εὐαγγελίου σύμβολον* est.

Philippus.

---

565. No. 4878b. (Vol. VII. p. 765.) 12. Apr. 1551.

Catharinae Ducissae Saxoniae.

Autographon Melanchthonis, cui Bugenhagius tantum nomen suum adscripsit et sigillum impressit, in eodem tabulario, loculo 8498. fol. 105 sq. invenitur. Apographon Clar. Seidemanno debeo.

DEr Durchleuchtisten hochgebornen furstin vnd frawen, fraw Catharina hertzogin Zu Sachsen, geborne hertzogin zu Meggelnburg, vnd landgreuin Jn Turingen, vnd marggrefin zu Meissen, vnser gnedigen furstin.

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vnsern helland vnd warhafftigen helffer zu uor, Durchleuchtiste hochgeborne gnedigste furstin, Ewr furstlich gnaden bitten wir dise vnsere vnterthenige bitt gnediglich zu vernemen vnd zu erhoren, Ewr furstliche gnaden khonnen sich erinnern das sie Einen armen knaben von Freiberg, Ern Thomas Plewln Son, vns alhie mit tisch vnd lahr zu bestellen, beuohlen haben, welches wir gethan Jn aller vnterthenikeit, vnd dweil E f g magister Christophorus Fink von Birn bekant ist, haben wir gedachten knaben, dem selbigen vor andern beuohlen, der yhn Ein halb Jar bey sich gehabt, darnach ist der knab zu Frei-

---

1) Hae nuptiae Magdalenae, Melanchthonis filiae (natae d. 18. Iul. 1531.) et Casp. Peuceri d. 2. iun. 1550. celebratae sunt.

2) i. e. Gregorius Pontanus, conf. Corp. Ref. X. p. 320.

berg gestorben, Nu ist gleichwol dem armen Magistro Christophoro fur tisch vnd ander notturfft noch kheine bezalung geschehen, vnd ehr vnd seine swache tugentsame haussfraw, leben mit einander christlich vnd In gedult, vnd haben nicht vorradt, Derhalben bitten wir In vnterthenikeit vnd vmb gottes willen E f g wolle dem Magistro Christophoro fur den knaben, gnediglich vnd vmb gottes willen bezalung verordnen nemlich sibenzehen floren, vnd E f g bitten wir In vnterthenikeit, ob gleich E f g verhoffet, Des knaben vatter habe bezalen sollen, so ist ehr doch auch arm, E f g wollen gnediglich vnd vmb gottes willen, auch der armen swachen frawen zu gut, die E f g trewlich gedienet, vnd warlich Ein gottforchtige person ist, die gott vmb gnad vnd friden In disen landen anruffet, solches gelt ietzund dem armen man Magistro Christophoro Fink, anher senden, dafur wirt gott one Zweifel E f g seine gaben auch segnen, Datum witeberg 12 Aprilis 1551.

Ewr f g

vntertheniger

Diener

Johannes Bugenhagen Pomer. D.

Philippus Melanthon.

---

566. No. 4970 b. (Vol. VII. p. 848.) 15. Oct. 1551.

Ioannes Brentius ad Melanchthonem.

E Presselii libro supra p. 429. sub no. 442. recensito: Anecdota Brentiana p. 320 sq. no. CLXXII.

Clarissimo Viro D. Philippo Melanthoni maiori suo in Christo observando.

S. in Christo. Tardius fortassis quam sperasti tuis literis respondeo. Sed hoc inde adeo accidit, quod princeps Christophorus hactenus a nobis Augustae abfuerit, ubi etiam impetravit conditionibus nec impiis nec omnino duris, ut hoc die, quo haec scribo, Hispani omnes ex hac regione, qua quinque annis maximo Ecclesiarum ac Reipublicae nostrae detrimento commorati sunt, in Italiam, ut aiunt, proficiscantur. Unam arcem Asperg habebit aliquanto adhuc tempus praesidium Caesareanum, non Hispanicum, sed Germanicum. Quare agimus magnas gratias Deo patri Domini

nostri Iesu Christi et precamur, ut spiritu suo sancto nos gubernet, ne hoc insigni ac paene inexpectabili beneficio abutamur. Retuli quae de Paulo filio Lutheri petiisti, ad Illustrissimum Principem D. Christophorum, qui iussit me tibi respondere, se ad iuvanda studia Pauli clementer ei per me numeraturum aliquot annis quadragenos florenos. Etsi autem maiora sunt Parentis eius erga nos et universam Ecclesiam merita, quam ut hac pensione gratitudo nostra satis declarari videatur, tamen spero vobis voluntatem principis in hac rerum huius regionis dissipatione non ingratam fore. Visus est autem princeps vicissim hoc petere, ut dissimuletis Paulum ab eo pensionem accipere, sive ne videatur vestros liberalitate vincere, sive alia de causa. Quicquid autem sit, certe qua princeps est pietate, non erit inhonesta. Quare si ita vobis videbitur et Paulus vult hoc principis beneficio uti, suscipiat primo quoque tempore profectionem ad Tubingam nec dubitet de nostris erga ipsum officiis. Legi vestram confessionem et eo tam pedibus quam manibus in tuam sententiam et ago filio Dei gratias, qui quod precatus est in nobis adimplet: ἵνα πάντες ἓν ὦσιν. Die 8. Octobris susceperunt legati principis nostri, quorum alter est nobilis a Plieninger, alter Iurisconsultus, profectionem ad Synodum Tridentinam, Si instituetur legitima actio et promissio salvi conductus a Synodo confirmabitur, mittentur eo etiam Theologi. Significatum autem nobis est Episcopos non instituere novam Synodum sed priorem continuare et iam in eo esse, ut omnes veteres suas impietates de eucharistia decretis suis confirment. Nam de prioribus sacramentis in superiori synodo suas nugas effulserunt. Quare nihil nobis spei de hac synodo relictum est. Sed quicquid illi instituerint, filius dei, qui hactenus dominatus est in medio inimicorum suorum, perget haud dubie Ecclesiam suam et doctrinam eius conservare. Bene ac feliciter vale. Gindelfingiae die 15. Oct. Anno 51.

Io. Brentius.

Frechtus te reverenter salutat.

567. No. 5186b. (Vol. VII. p. 1055.) 28. Aug. 1552.

Io. Bugenhagio.

Hanc epistolam, quae in tabulario primario publico Dresdensi (fol. 273.) asservatur, Clar. Seidemannus mihi descripsit.

Reverendo viro eruditione et virtute praestanti Domino Iohanni Bugenhagio Pomerano doctori theologiae, Pastori Ecclesiae Dei in oppido Witeberga, amico suo colendo.

S. D. Reverende D. Pastor et amice colende. Etsi literae huc allatae sunt de Ecclesia Bitterfeldensi, tamen diserte respondi, Nulli posse eam Ecclesiam commendari sine vestra autoritate et suffragatione. Nunc vos oro ut in ea deliberatione ratio habeatur viri docti ingeniosi Matthiae Lauterbach, qui posset in Academia optime prodesse studiis, si fieret concionator in templo Arcis. Esset autem concionator in eo templo idoneus ad Ecclesiam Bitterfeldensem, aut Iuterbocensem, si Christophorus Fink[1]) mallet esse in Bitterfelt. Quaeso ut de hac re cogitetis. Est exul Matthias et pulsus, propterea quia doctrinam veram, quam sonant Ecclesiae Saxonicae, non abiicere voluit. Et spero utiliter serviturum esse studiis. Quare eum vobis reverenter commendo. Bene et foeliciter valete. Die Augustini. 1552.

Philippus Melanthon.

---

568. No. 5298b. (Vol. VII. p. 1170.) a. 1552.

(*Dictum.*)

Hoc dictum, quod ad locum Coloss. 3, 16. spectat, Melanchthon sua manu libro cuidam, qui in Fribergensi Ecclesia S. Iacobi asservatur, 1552. inscripsit, ex quo in libro supra p. 527. sub no. 548. laudato: Freiberger Mittheilungen p. 498 sq. no. XI. recensum est. Hoc autem haud integre

1) De hoc viro conf. supra p. 558 no. 563.

factum esse, elucet ex eius principio: „Zum andern,“ deest igitur: Zum ersten etc. Apographon Clar. Seidemanno debeo.

(*Fragmentum.*)

Zum andern, das derhalben gottes ernstlich vnd vnwandelbar gepott ist, das wir die selbige lehr selb offt vnd viel betrachten, denn ihr sprecht, Sie soll reichlich in vns wohnen, das ist, sie soll vns nicht ein frembder Gast sein, sondern soll vns wol bekant sein wie vnsere beywohner.

Vnd ist gewißlich war, wo das hertz Gottes wort betracht vnd mit Glauben annimmet, da wohnet gewißlich Gott selb im Hertzen, gibt sein licht, heilgen geist, leben, trost, frewd zu rechter anruffung, gehorsam vnd Ewigem leben.

Zum dritten spricht Paulus, die rede des herrn Christi soll in vns wohnen, in aller Weisheit, das ist wir sollen recht verstehen, wie sie Gott selb erkleret, sollen nicht eigene deutungen tichten, darumb soll man sie vleissig betrachten vnd alle stuk ordentlich gegen einander halten vnd gott vmb verstand bitten wie David spricht psalm. 109.

Herr thue
barmhertzikeit an deinem
Knecht vnd lehre mich
deine lehr.

1552.

scriptum manu Philippi.

---

569. No. 5460[b]. (Vol. VIII. p. 145.) 27. Aug. (1553?)

Io. Bugenhagio.

Apographon harum literarum, quae in eodem tabulario Dresdensi fol. 274. asservantur, Clar. Seidemanno debeo.

Reverendo viro eruditione et virtute praestanti D. Iohanni Bugenhagio Pomerano Doctori theologiae, Pastori Ecclesiae Dei in oppido Witeberga, amico suo.

S. D. Reverende d. Pastor, et amice colende. Ut in Iudea, tamen congressus dulcissimi erant Mariae, Elisabet, Zachariae et

similium, et eorum familiae tegebantur a filio Dei, etiam si magni furores erant Herodis, et aliorum qui illam sedem populi dei teterrimis bellis turbabant, ita in horum temporum periculis filius dei familias pias et in his vestram servabit, et ut servet, eum toto pectore oro. Iamque opto, ut vobis et honestissimae coniugi vestrae, conspectus dulcissimae filiae, et carissimi filii, et generi [1]) viri ingenio et eruditione praestantis, voluptati sit. De publicis negotiis quantum hic audivimus, gener narrabit. Cum essem Lipsiae, Imperatorem iam reversum esse Augustam narrabant et Regem gallicum regredi in fines sui regni. Sed de his certiora aliquanto post habebimus. Moguntiae et in vicinia magnae direptiones fiunt. Bene et foeliciter valete. Pridie Augustini.

Philippus.

---

570. No. 5717b. (Vol. VIII. p. 409.) 10. Ian. 1555.

Augusto Principi Electori.

Autographon harum literarum Melanchthonis invenitur in eodem tabulario, loculo 1298 (antea 10753) „Religionssachen 1554—58." fol. 90. Apographon Clar. Seidemanno debeo.

Dem durchleuchtisten hochgebornen Fursten vnd herrn, herrn Augusto Hertzogen zu Sachsen, des heiligen Romischen Reichs Ertz Marschall vnd Churfursten, Landgrauen In Turingen, Markgrauen zu Meissen zc. vnd Burggrauen zu Meideburg zc. vnserm gnedigsten herrn.

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vnsern heiland vnd warhafftigen helffer, vnd Ein new, fridlich, vnd frolich Jar zuuor, Durchleuchtister hochgeborner, gnedigster churfurst vnd herr, E e f g senden wir In vnterthenikeit die verzeichnus von gehaltner Visitatio In den dreyen Schulen zu Meissen, Porten, vnd Grimm, Nu wissen wir das E e f g als Ein Hochloblicher christlicher churfurst selb betrachten, das erhaldung solcher schulen Gott gefellig, der christlichen kirchen nutzlich, vnd zu zucht der Jugent gantz notig ist, Vnd ist Eben dises Werk, davon der allmechtige Son gottes spricht, Lasset die kleinen kindlin zu mir khomen, Denn solcher ist das

---

1) Georgii Cracovii, vide p. 480. prolegomena ad no. 489.

himmelreich, Dweil denn nicht moglich ist zu rechter erkantnus vnd anruffung Gottes, one vnterweisung vnd lehre zu komen, so geschihet In disen Schulen gewißlich diser dienst, das dem Herrn Christo Die Jugent fur getragen wirt, die ernach In Kirchen vnd regimenten dienen soll,

Darumb wollen E c f g gnediglich vnd vaterlich dise lobliche vnd christliche fundationes erhalden, sonderlich dweil In vielen landen teutscher nation die Schulen vngeacht sind vnd nicht erhalden werden, daraus heidnische blintheit vnd grobe Barbarey volget, davon wir viel berichten konnen, Denn viel aus andern Landen In die vniuersiteten khomen, die In Zimlichem alder noch nichts von christlicher lehre wissen, vnd erst In diesen landen die kinder lehr vnd Catechismum zu lernen anfahen,

Nu wissen E c f g die gnedige verheissung Des herrn Christi Wer dem geringsten vnter den meinen, vmb der lehr willen Einen trunk Wasser gibet, der wirt belohnung Empfahen,

Auch sind viel christlicher hertzen In disen schulen, Jung vnd alt, die fur E c f g, vnd fur das vaterland ernstlich beten, Diser seufftzen vnd gebet ist gewißlich nicht vnfruchtbar.

Darumb bitten wir In vnterthenikeit vnd vmb Gottes willen E c f g wollen In betrachtung Der hohen notturfft vnd des grossen christlichen nutzes, vnd gottliches willens, vnd der gnedigen gottlichen verheissung dise lobliche vnd christliche Schulen In E c f g landen gnediglich erhalden, vnd von wegen diser gebrechen die wir hie anzeigen, gnediglich beuelch thun, Dagegen bitten wir mit hertzen den allmechtigen Son gottes Jhesum Christum, der yhm gewißlich Im menschlichen geschlecht, Ein Ewige kirchen durchs Euangelium, vnd nicht anders, samlet, Ehr wolle E c f g vnd E c f g gemahel vnd den Jungen fursten gnediglich In langem leben vnd seliger regirung erhalden vielen christen Zu gute, Amen, Datum Zu Leiptzik decima Ianuarij 1555.

E c f g

vnterthenige
diener

Volfgangus Meurer D.[1]
Ioachim. Camer. pab.[1]
Philippus Melanthon.

---

1) Hi duo viri manu propria in autographo subscripserunt, reliqua omnia a Melanchthonis manu scripta sunt.

Im ampt Eilenburg ist ein armer gottforchtiger pfarrer zu Peritzsch, fur denselbigen hatt der Wolgeborn herr, herr Hans von Heidel den durchleuchtisten hochgebornen fursten vnd herrn, herrn Moritz churfursten 2c. hochloblicher seliger gedechtnus, gebeten, Ihm Einen Son In Der Schul eine anzunemen, Welches auch gnediglich gewilligt, Ist aber nach von wegen der hochbetrublichen krieg die gevolget sind, dises also one weiter beuelch bleiben hangen, diser arme Pastor bitt noch vmb gottes willen, seinen son In diser Schul eine anzunemen, Dise Elemosyna ist one Zweifel gott gefellig.

---

571. No. 5807[b]. (Vol. VIII. p. 503.) 18. Jun. 1555.

Io. Brentio.

E Presselio libro supra p. 429. no. 442. recensito: Anecdota Brentiana p. 407 sq. no. CCXXI.

Reverendo viro eruditione et virtute praestanti D. Iohanni Brentio, fratri suo carissimo zu Stutgarden.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Crescunt mihi et labores in Academia et certamina cum venenatis hostibus. Sed me deo commendo. Adolescentem Geltlingerum meis convictoribus adiunxi, ut mores inspicere possim, et commendavi eum praeceptori, qui et iuris elementa tradit et formabit orationem. Deum oro, ut Geltlingerum regat et servet. Remitto Iacobum amici tui filium, cuius mores regi severitate patris posse arbitror, cum erit proprior.[1]) Hic enim cum sine gubernatore vixit, sodaliciis se adiunxit parum studiosis. Mihi non fuit notus, antequam de eo tu ad me scripsisti. Quantum adhuc debeat, ex pagella, quam inserui huic Epistolae, cognosces, teque oro, ut Patrem horteris, ut tantum pecuniae Francofordam in proximo mercatu Mensis Septembris mittat. Nam mea fide impetravi, ut dimitteretur; alioqui retentus esset, quod nec ipsi utile nec patri gratum fuisset, teque obtestor, ut cures liberari meam fidem. Scio te iustitiae amantem esse et nosse in his officiis quantum referat nos autoritatem inter

1) proprior] legendum videtur: propior.

cives retinere. Totum igitur negotium tuae prudentiae et integritati commendo. Nam quod egi, officii causa egi, non levitate aliqua. Bene vale. Mitto Illustrissimo Principi filio tabulam stirpis Christi, in qua sunt additae quarundam gentium origines; quam si videbitur ei exhibebis. Mitto et tibi alteram. die 18. Iunii.

Philippus.

Haec cum scriberem, Ioachimus Camerarius Augustae aberat, quem, nisi valetudine impeditus est, arbitror ad te quoque profectum esse.

---

572. No. 5845 b. (Vol. VIII. p. 542.) 29. Sept. 1555.

Ioannes Brentius ad Melanchthonem.

Ex iisdem Anecdotis Brentianis a Presselio editis p. 408—410. no. CCXXII.

(*Inscriptio deest.*)

S. in Christo. Nihil vero mihi gratius, nihil iucundius hoc quidem tempore contingere posset, quam ut liceret mihi vos convenire, si ad nihil aliud, certe *εἰς τὸ συμπαρακληθῆναι ἐν ὑμῖν διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεως*. Sed scis me mei hac in re iuris non esse, et princeps abest nunc a Studtgardia, ut non possim aliquid de hoc negotio ad eum referre. Quod igitur nunc solum licet, et precibus in vestro sancto coetu intersum et literis te colloquor. Non credis, quantum dolorem, quantam animi aegritudinem excitaverint in me haec Osiandrica certamina. Initio, cum adhuc in exilio agerem, erant mihi virulentae illae rixae prorsus ignotae. Paulo post adhibeor in deliberationem eius negotii, et scribuntur ea quae vidisti et in lucem edita sunt. Ibi summam dedi operam, ut res non exasperaretur sed mitigaretur. Quaesivi tolerabiles interpretationes, quibus sperabam me Osiandrum aut revocaturum in viam aut excitaturum, ut sententiam suam planius explicaret. Ac profecto fateor me Osiandrum amasse idque maxime tuo iudicio, quod eum ecclesiae publico scripto ita commendaveras, ut existimarem, me flagitium designare, si talem virum non amarem. Et tamen in hac caussa nihil dedi privatae amicitiae. Volui pu-

blicae tranquillitati consulere. Non enim stat mihi Osiandri ingenium prorsus ignotum. Cogitabam ecclesiae magis profuturum, si amicum quam hostem Osiandrum haberet. Itaque conatus sum istis scriptis non tam animum eius sanare quam ecclesiae benefacere. Interea scripsi ad eum, cum adhuc vitam ageret, privatim et cohortatus sum eum, praesertim ut a te flagellando abstineret, tanta sinceritate, ut haud obscure significarem, ipsum non posse simul me amico et te hoste uti. Haec omnia cum candidissimo animo ac sine ullius hominis contumelia fecissem: ecce tibi, cooritur primum omnium Senatus Scholae Regiomontanae in me tanquam universae pietatis desertorem. Deinde convehuntur in me ab aliis, amicis et inimicis, claris et obscuris, ingentia virulentissimorum convitiorum plaustra; nec aliter adhuc tractor, quam[1]) si essem totius regni Christi proditor, ut maiorem humanitatem sperassem, si inexpiabile aliquid scelus designassem. Talem pro meo officio mercedem reporto. Quid igitur facerem? Scriberem Apologiam? Sed videbam animos partium ita inflammatos, ut neutri parti satisfacere potuissem, nisi si alteram omni prorsus culpa liberarem, alteram omnibus diris devoverem, quod ut faciam nondum mihi persuasum est. Detestor sicut ex una parte licentiam novis figuris ludendi, ita ex altera tyrannidem et damnandi praecipitantiam. Aliis moribus et crescit et propagatur Ecclesia. Defensionem Osiandri nunquam suscepi nec unquam suscipiam. Excusavi quaedam. Quod si initio alii fecissent idem, fortassis res non abiisset in tam virulentam pugnam. Sentio ipse quoque non mediocrem confessionem esse, si tantum dicatur, homines fieri iustos inhabitatione patris, filii et spiritus sancti etc. Sed non dubito, quin tu ipse iudices, talia dicta magis esse paradoxa quam manifeste impia. Possunt enim commode et incommode, pie et impie exponi, prout περὶ τοῦ λέγοντος affectus fueris. Nec tu id dissimulas, cum scribis, Osiandrum sese non evolvisse. Quod ad me attinet, ardentissime quidem cuperem, de his et aliis tecum coram colloqui, sed quia hoc in praesentia non datur, quaeso te per filium Dei, ut me et veterem tuum amicum agnoscas et tibi ac universae ecclesiae filii dei de me hoc pollicearis, quod toto pectore nostram Augustanam Confessionem amplectar et eam doctrinam, quam autore spiritu sancto ex d. Luthero et te, praeceptoribus mihi perpetuo observandis hausi, semper propitio deo

1) quam] l. l. typ. errore legitur: quem

sequi pergam. Quod autem ad caussam Osiandricam attinet, iudico eam non esse tanti momenti, ut propter ipsam virulentiae nostrorum hominum indulgeamus. Non enim videtur mihi controversia potissima de dogmate sed magis de persona esse, utrumne Osiander hoc an aliud senserit, qualis quidem olim de Origine contentio fuit. Veritas igitur et rectitudo dogmatis ita illustretur, ut nullum de eo dubium inter nostros relinquatur. Maneat autem hoc, si quidem ita videbitur, in dubio, utrumne Osiander hoc an diversum senserit. Ut dogmatis explicatio necessaria est ecclesiae, ita haec de Osiandri opinione disputatio nihil ad ecclesiam. Si Osiander sensit, quod verum dogma habet, bene, recte faveamus ei. Si autem contrarium sensit, suo domino cadat. Nulla ei verecundia obstricti sumus. Pater coelestis non de Osiandro, sed de filio suo dixit: Hunc audite. Et sicut non ferendum iudico, si quis cum pio dogmate pugnaverit, ita compescendus mihi videtur, qui ecclesiam pertinaci sua contentione de Osiandri sententia perturbaverit. Hoc meum esset consilium, si mihi dicendi locus concederetur. Ego ab hoc virulento dissidio ita abhorreo, ut quoties eius mihi in mentem venit, properem vel ad preces vel ad amicos, quo molestas istas cogitationes excutiam. Deus pater Domini nostri Iesu Christi gubernet spiritu suo sancto vestrum conventum, ut insignis illa Norimbergensis ecclesia tranquilla reddatur. Bene ac foeliciter vale. Studtgardiae die 29. Septemb. anno 1555.

Io. Brentius.

Commendo me diligenter precibus D. Alesii et reliquorum amicorum, qui vobiscum sunt.

---

574. No. 5853[b]. (Vol. VIII. p. 590.) 15. Oct. 1555.

Idem ad eundem.

E Presselii libro: Anecdota Brentiana p. 413—415. no. CCXXV. — Haec epistola spectat ad illam a Melanchthone ad Brentium d. 4. Oct. 1555. Norimbergae scriptam, quae legitur in Corp. Ref. VIII. p. 588 sq.

(*Inscriptio deest.*)

S. in Christo. Legi scriptum vestrum de explicatione dogmatis Osiandrici ac precor Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut det αὔξην, ἵνα ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ᾖ κενὸς ἐν κυρίῳ. Cum igitur visum tibi sit meam quoque sententiam de eo scripto audire, non gravabor eam recitare, sed hac conditione, ut vicissim tuo iudicio sit subiecta. Video vestrum scriptum praeter illam de Suencofeldio appendicem duas partes continere. In priori iudicio veram propheticam et apostolicam doctrinam de Iustificatione hominis coram deo, de officiis trium personarum in divinitate et de Mediatore pie et erudite recitari, nec ullam aliam doctrinam cum hac pugnantem agnoscendam esse. Sentio quoque interpretationem dictorum Esaiae, Hieremiae et Danielis, sicut in hoc scripto commemoratur, veram et rectam ac propriam esse. Sed quod hac in parte usus harum propositionum Per et Propter vocatur, lusus et subtilitas, etsi hoc in loco recte refutatur eorum sententia, qui per vocabulum Per intelligunt praeparationem Papisticam; tamen cavendum erit, ne et nos hac occasione a papistis ludamur et rideamur. Solemus enim et nos hoc discrimine uti, ut cum dicimus, quod iustificemur coram Deo per fidem, non autem propter fidem, sed propter Christum seu obedientiam Christi. Recitantur etiam quaedam argumenta τῶν ἀντιδίκων, quae recte diluuntur. Sed hic danda est opera, ne ἀντιδίκοις affingatur quod a sententia ipsorum alienum fuerit. Negari enim non potest, quin in hoc Osiandrico dissidio saepe aliud sentiat ὁ ἀντίδικος quam quod refutatur. In posteriori parte, cuius initium est: Derhalben sollen dise Reden im Predigen etc. prohibentur quaedam novae formulae loquendi, quas sentio ipse quoque vitandas. Sed paulo durius videtur, si simpliciter damnentur. Nonnullae enim harum formularum possunt vestro etiam testimonio pie intelligi. 2. Der Mensch wirdt gerecht von wegen der wesentlichen Gerechtigkeit etc. Si addideris, quod vos supra recte explicuistis (tanquam per causam efficientem), wie Paulus spricht: Gott ist, der gerecht macht, sententia non erit impia.

3. Der Mensch wirdt gerecht von wegen der Inwonung Gottes. Si haec exposueris per vestra verba, videlicet (Ist war, das Gott der Vatter durch seinen Son und heiligen Geist diesen gnädigen trost im gewissen wirkt und Leben gibt und sind warhafftiglich gegenwärtig Vatter, Son und heiliger geist, wohnen und wirken im hertzen etc.), non est quod impietatis accusare queas. Sed verba (inquis) ambigua sunt et

periculosa dicuntur. Recte. Ideo aut vitentur aut explicentur, non autem simpliciter damnentur.

5. Alia formula: Man soll auch nicht also reden: Es sind zwei oder mehr teil Iustificationis, fides, inhabitatio, bona opera. Novitatis studium mihi quoque ipsi mirifice displicet, sed si candide interpretamur dictum illud Iacobi: Homo iustificatur ex factis, et alias tolerare possumus hoc dictum: Sacramenta iustificant, non video, cur abiiciendus sit, si quis illa formula addita pia explicatione utatur. Non ignoras enim vocabulum iustificationis non unum tantum significatum habere. Iustificata est sapientia a filiis suis. Hic iustificari est in ius vocari vel condemnari.

9. Diese Red sind gantz zu verwerffen: Obedientia Christi wird genant Iusticia tropice etc. Supra vere dictum est, hanc Iustitiae definitionem: Iusticia est quae efficit iustos, esse νομικήν; si ergo est νομική, certe non est impia. Ponamus hanc Iustitiae definitionem esse in suo genere propriam, et conferatur ad eam in eodem genere Obedientia Christi, non peccabit, opinor, qui dixerit hanc improprie dici Iusticiam. Tu quoties scribis, nos fide iustos esse, soles fere exponere per haec verba, nos esse Deo acceptos. Quae est vera et recta expositio. Sed fateris hac ipsa expositione nomen iusti seu iusticiae aliud habere significatum quam vulgo usitatum. Ac necessarium est, ut cum Paulus frequentissime utatur hebraismis, praesertim in disputatione de Iustificatione, tropi alieni sermonis explicentur. Sed et Osiander incidit in hanc phantasiam, quod verbum Iustificandi apud Paulum non intellexit tropice, sed latino more pro fieri iustum.

Quod autem et hoc reiicis: Christus iustificat per accidens, video quidem novam esse loquendi formulam, sed quia mihi ignotum est, quo sensu dicatur, relinquo id suis Authoribus.

Quare etsi et ego has novas et inusitatas formas loquendi odi peius cane et angue, tamen cavendum erit, ne si simpliciter eas etiam in iis, quae explicationem vestram approbant, reiiciatis, videamini cum vestra declaratione pugnare ac ipsum quoque D. **Lutherum**, qui nomine essentialis Iusticiae alicubi usus est, reiicere.

Est et hoc periculi metuendum, ne ἀντίδικοι sumant hinc occasionem vociferandi et conquerendi, quod usurpetis in Ecclesiam tyrannidem, ut etiamsi quispiam vobiscum recte et pie sentiat, tamen nisi vestris quoque verbis utatur, condemnetur. An non

enim et veteres usi sunt verbo novo ὁμοουσίου? Et quae est haec (inquient) nova Tyrannis, quod per illos non liceat nobis bona et pia sententia dicere, nos vel essentiali vel accidentali iustificari iustitia? Utrumque enim damnatis. Scribit quidem Augustinus, nobis non ut philosophis loquendum liberis verbis, sed ad certam Regulam. Si autem non aliter praesertim in ecclesia apud vulgum quam Paulus loquaris, nec explicueris hebraismos eius, haud scio, quanto fructu sis docturus. Et alius quisquam dicit: De intelligentia haeresis, non de scriptura, et sensus, non sermo fit crimen.

Accedit et illud, quod cum multi sint hoc tempore etiam inter nostros φιλόνεικοι et liberales admodum suorum ἀναθεματισμῶν dispensatores, dabitur eis occasio adversus Collegas suos, quos oppressos cupiunt, ut si forte iis vel vocabulum de Iustitia essentiali excidet, conaturi sint Authoritate huius condemnationis ipsos vel ad publicam palinodiam adigere et per omnium ora traducere vel in exilium extrudere. Itaque curandum erit, ne dum alteram partem refutamus, alteri nimis indulgeamus et eam ferociorem reddamus. Quare cogito, si posterior huius scripti pars, in qua aliquot formulae loquendi simpliciter condemnantur, vel omitteretur vel uno tantum et altero verbo in propositione, quae praecedit enumerationem articulorum, ad hunc fere modum mitigaretur: Derhalben sollen diese Reden on und wider den obgemelten bericht, unterscheid und erklerung im Predigen und Lehren noch sonst nicht gebraucht werden.

Dixi meam sententiam, sicut iussisti, libere. Tuum nunc erit de ea pro veteri nostra amicitia candide iudicare. Volo enim, tuo iudicio aut stet aut cadat. Ego quod ad me attinet, pergam divina clementia adiutus, non solum veritatem eius doctrinae, quam continent nostrae confessiones, sequi, verum etiam usitatam formam docendi retinere. Nec tamen damnarem pium et honestum virum, qui forte inusitata loquendi forma, sed diserta explicatione et pia sententia uteretur. Bene ac foeliciter vale, Studtgardiae die 15. Octobr. Anno MDLV.

Io. Brentius.

571b. No. 6064b. (Vol. VIII. p. 835.) 1. Sept. 1556.

Matth. Flacius Illyricus ad Melanchthonem.

Iam supra p. 399. no. 412. huius epistolae hucusque ineditae mentionem feci atque spem concepi eam in hac appendice primum edendi. Haec spes me non fefellit, nam Nob. Vir Dr. a Heinemann, Bibliothecae Guelferbytanae Praefectus, benigne mihi commodavit huius Bibliothecae Ducalis Codicem MS. formae maximae (sign.: Extravag. No. 64. 11.) qui fol. 132b—136a apographon huius epistolae Flacianae continet, ex quo eam ipse descripsi.

Epistola Matthiae Flacii Illyrici ad Philippum Melanthonem missa [1]) **1.** *Septembr.* **1556.** *per quendam scholasticum.*

S. Cogitanti mihi de impedimentis, cur isti errores et tristia dissidia ex Ecclesia Dei non tollantur, venit crebro in mentem, etiam illud non minimum esse, quod isti praedulces amici malunt tibi suavia quam salutaria dicere. Itaque saepe volui ipse aliquid de toto negotio scribere: sed semper veritus sum, ne meam epistolam non lectam abiiceres. Quare putavi satius esse per alios de pace agere. Quod ipsum quoque cum me hoc anno frustra tentasse, non sine gravi dolore expertus essem, tandem decrevi propria manu scribere, ut Deo et conscientiae meae satisfaciam, dum nihil non experior, quod quoquo modo ad pacem facere possit.

De mea igitur voluntate ac studio, qualisnam ea sit, ex hisce evidentibus demonstrationibus liquido statuere potes. Quod initio privatim amanter coram et per alios solicite orando, obsecrando et monendo, totum Adiaphorismum antevertere, seu ne omnino ullus accideret, praevenire volui.

Quod etiam incepto certamine plures sopiendae controversiae vias tentavi, ut per Wernerum, item scriptis ad te literis, et denique ad Academiam. Quod iis temporibus coepi resistere Adiaphoristis et hortari omnes ad constantiam, quo non opum ac triumphorum spes, sed certissima pericula ipsissimumque exitium attritis, fractisque iam penitus confitentium opibus, mihi aliisque huius partis ante oculos obversabantur.

---

1) Recentior manus huic inscriptioni in Cod. adnotavit haecce: in qua de sua contra Adiaphoristarum in specie Melanchtonis opiniones sententia acerbius disputat.

Quod in scribendo a multis asperioribus studio abstinui, non edidi epistolam Carlovicii, Theupoli et alias, item multas querelas et iudicia Lutheri, ad quod me multi hortabantur. Nihil obieci de re sac.

Quod post obsidionem in summis meis periculis ac egestate non ducis prussiae gratiam ac favorem, quo invitabar, non cupiditatem vindictae sequutus, contra veritatem quicquam egi, sed potius neglectis omnibus meis terrenis commodis, studio veritatis tuos atroces et terribiles hostes, Osiandrum et Schuencfeldium a te ferio, pro meorum dono et tenuitate eos oppugnando in me averti. Quod ex quo coepit minus esse periculi ab Adiaphoris, nihil contra te expresse scripsi.

Quod hoc toto anno, (cum quidem praeter alias publicas insectationes in lectionibus, oppugnatores papistarum et nos aliique Christi infantes ac pro eo utcunque balbutientes, asini a vobis pingeremur et stercore coronaremur) adeo solicitavi ac oravi vos de pia pace, propositis multis viis, ut et istic sit rumor sparsus, et ad alia loca perscriptus, me agnoscere culpam, et cupere venire deprecatum.

Ex hisce certe evidentissimis indiciis, facile ac vere de mea voluntate quivis candidus ac pius homo iudicare potest.

De re quoque ipsa seu controversia facillime tibi praesertim iudicare est. Nam primum si ea sola perpenderes, quae tantum mihi de istis corruptelis toto anno 48 et initio 49 coram dixisti, profecto plus satis haberes rationum argumentorumque, cur totus Adiaphorismus, et in praesens et in posterum verae pietati noxius eoque modis omnibus piae menti fugiendus ac detestandus esset. Scis te mihi saepe solitum commemorare, quomodo et anno 40 in Ratisbonensibus comitiis, et postea tales conciliationes sint per Bucerum et alios quosdam eximios doctores tentatae, tuque, ut eas adiuvares ac promoveres, sis a Landgravio et Marchione aliisque quibusdam magnatibus oratum. Quo tempore etiam somnio hyaena divinitus, ut tibi ab istis conciliationibus caveres, sicut ipse iudicasti, es admonitus, quod etiam carmine ipsemet descripsisti,[1]) quo somnio ita apposite pingitur Adiaphorica pestis et exprimitur, ut nullus Apelles aut Durerus aliudve summum ingenium quicquam aptius ad effingendam istam venenatam bestiam excogitare queat.

---

1) Hoc carmen legitur in Corp. Ref. X. p. 576.

Sed aiebas te semper istarum conciliationum perniciosam impietatem animadvertisse, eisque repugnasse. Scis etiam quam crebro praesentem Adiaphorismum ex imo pectore suspirans ac gemens, cum gravi querela cruciatuum conscientiae tuae, ac ex eo oriturorum malorum damnasti. Perlege vel unicam orationem in Isinderi promotione, quo tempore vel maxime urgebatur ab aulicis, recitatam, quam totam contra istas fraudulentas impietates scripsisti.

Deinde multiplex impietas ipsius Adiaphorismi cuilibet etiam rudi et illiterato est manifestissima, Alia enim per se impia sunt ut variae corruptelae articuli iustificationis. Nam in Beiensi Bedenken post colloquium cum Episcopis clare particulam ***solam*** abiecistis, et pro ea dixistis nos esse furnemlich per Christum iustos, operum necessitatem asseruistis, et denique admisistis etiam papisticam interpretationem sententiae paulinae: Fide iustificamur. et fides est tantum initium seu praeparatio quaedam ad iustitiam etc. esse etiam veram. De quibus omnibus corruptelis ego tecum coram sum loquutus, cum me tibi aliquot exemplaria describi curare iuberes. Ista sane ultima depravatio etiam in impressas Isinderi orationes irruperat. Sed post meas aliorumque admonitiones eam deleri curabas, et aliter in margine notari. Quid reddita Papae episcoporumque iurisdictione perniciosius excogitari quaeso potest? taceo aliis per sese impiis. Reliqua vero omnia, tum abnegationem tum scandalum, tum et inclinationem ad impietates papisticas continent. perpende quaeso illa quae ipsemet scripsisti de istis impiis fraudibus in Epistola ad Carlovizium, in Beiensi et aliis bedenken, in consilio in Camerarii filiae nuptiis scripto et in epistola ad Hamburgenses, in quibus ista verba extant, Multa volens largior, Item wir lassen viel streitige großwichtige sachen fur vber gehen, Item praesentes mutationes contristant bonas mentes, confirmant adversarios in sua impietate ac furore, languefaciunt et in dubitationem inducunt multos pios, Item gubernatores conari restituere ceremonias et umbras disciplinae, non res ipsas voluntates multorum eo spectare, ut inclinationes faciant ad omnes abusus Pontificios, fieri a potentibus instaurationem ineptorum rituum, ut paulatim omnes superstitiones instaurentur. Talia inquam propria iudicia per Deum te obsecro tibi in animum revoca, et diligenter in timore Dei expende.

Denique nosti etiam ubique, ubi Ecclesiae dei subversae sunt, tua autoritate tuisque adiaphoricis scriptis constantias ac zelum

piorum doctorum et auditorum fractum oppressumque esse. De qua re me adhuc istic praesente plurimae fide dignorum literae tibi, imo et advenientium exulum sermones propositi sunt. Scis, es namque mihimet confessus, et testantur ultra mille testes Lipsiae, constantiam totius regionis tua praesentia et autoritate oppugnatam esse. Ac profecto si tunc status et praesertim nobilitas tuis consiliis cessissent, in duobus mensibus tota ista regio plena papisticis impietatibus, eiecta pura religione, fuisset etc.

Haec evidentia ac syncera argumenta primum de mea voluntate ac animo, deinde et de ipso Adiaphorico negotio recensere volui, non tam ut pro mea innocentia pugnarem, quam ut tibi occasionem praeberem, rectius rem totam expendendi, deque tollendis ex Ecclesia dei erroribus et pace sancienda pie cogitandi. Iam et de ratione abolendi istos errores sanciendaeque pacis pauca dicam.

Summa et scopus nostrarum cogitationum et desideriorum is est, ut errores et inter alios etiam adiaphoricus ex Ecclesia dei penitus tollatur, qui dum manent in Ecclesia, non aliter ac tabificum aliquid venenum in corpore hominis haerens, aut veluti cancer teste Paulo late serpendo omnia inficere et corrodere pergunt. Quare eo non sublato nullam piae pacis rationem cernere possumus. Sunt vero causae quatuor, cur iste error sit magis aliis etiam in posterum formidandus. prima, quia eius autores magnifiunt et fient in Ecclesia. secunda, quia est maxime secundum hanc corruptam naturam, Nihil enim magis probatur veteri Adamo, quam in persecutionibus pericula exhorrescere, religionem parvifacere, claudicare, humero utroque tragare, duobus dominis velle servire, et servare animam, ut Christus dicit. Tertia, quia habet magnas externas causas et quasi necessitates quasdam, nempe persecutionum pericula, quod alii errores proprie non habent. Quis enim cogit Arrium, Osiandrum, Schuencfeld., Anabapt., ut talia deliria proponant? Ultima, quia sub blanda plausibilique specie totam veram religionem funditus pervertit, ut experientia tempore Interim compertum est.

Ad tollendum porro istum errorem sarciendamque inter nos piam pacem, quatuor putamus esse omnino aditus, quorum primus est, ut iudicium aliquot intelligentium et non partialium fratrum, ad quod iam ante biennium provocavimus, constituatur. Secundus, ut nostros illos molles articulos, quos vere primo vobis misi, et nunc in edito libello recitati sunt, amplectamini, in quibus tantum

errores damnantur, personis vero penitus parcitur. Tertius, ut si nostros articulos improbatis, redditis eius damnationis bonis rationibus, meliores ipsi ex verbo Dei praescribatis. Ultimus, si colloquium cupitis, parati sumus ad illud venire, et placide de tota re colloqui. Hae viae pacis si vobis non probantur, proponite vos meliores magisve commodas. Dixi de viis piae pacis, quas omnino pias excogitare potui. Iam te adhortari ad tollendum istum errorem non audeo. Non enim eo nunc sum apud te loco, ut mea adhortatio a te magnifieri possit. Scripsisti in proxima responsione Huberto[1]) data, te iam ad mortem animum praeparare cupere, veritatem illustrari, et Ecclesiam non esse deformem. Hoc si vere agis, sicut de multis vitae tuae partibus non dubito, cura, ut et in Adiaphorica controversia sublato errore veritas illustretur, restitutaque pia pace omnis Ecclesiae deformitas amoveatur. Ne quis unquam impium Adiaphorismum instaurando vel in papisticis vel etiam turcicis persecutionibus possit dicere: sic sensit Philippus, sic sensit schola Vitebergensis, sic sensit schola Lipsiensis, et in ea sententia Philippus etiam mortuus est. Vide iterum atque iterum, ne si cum tali conscientia in agonem mortis, in aliquas tentationes aut in iudicium Dei venias, iram eius ferre non possis. Horribilis comminatio Christi est, satius esse in profundum maris praecipitari, quam vel unicum Christi pusillum scandalizare. At Adiaphorismus non unum pusillum Christi, sed multa millia, imo et infinitas Ecclesias subvertit et in posterum subvertet. Horresco igitur profecto cogitans te non expavescere, non toto pectore, timore irae divinae concuti, ac de tollendis tam perniciosis scandalis non serio cogitare.

Haec iam partim et praecipue pacis studio scripsi, sicut saepe meditatus sum facere, partim etiam quia M. Georgius Fabricius mihi ante triduum scripsit,[2]) hortatusque est, ne quid porro scribam, pollicetur se et alios quosdam velle intercedere, et magnam spem pacis ostentat. Idem et princeps Wolfgangus fecit. Alii contra negant, ullam spem pacis superesse, meque impellunt, ut huius anni actiones omnes et solicitationes de pace in publicum edam, ac omnibus ostendam per me, quo minus pia pax fieret,

1) Huberto Langueto.

2) Haec Georgii Fabricii ad Flacium Illyricum epistola XVIII. Cal. Sept. 1556. data in eodem Codice Guelferbytano fol. 131b-132b init., Flacii ad Melanchthonem epistolae h. l. primum editae proxime praecedit. — Flacii responsio ad literas Ge. Fabricii d. 29. Augusti 1556. scripta invenitur in eodem Codice fol. 127a med.-131a.

non stetisse. Instant[1]) ut et iniurias multiplices a vobis aliis constantioribus doctoribus illatas, quas ad 30 notorias et graves dudum scripto comprehendi, publicem. Quare volui ex temet ipso cognoscere, quid tandem in hac re sperandum mihi sit. Deum testor te iam in tua manu ac potestate habere et semper hactenus habuisse pacem et bellum, puritatem doctrinae (quod quidem ad Adiaphorismum attinet) et errores, tutu igitur, si modo libet, sicut certe libere omnino deberet, errores ex Ecclesia Dei tollere et piam pacem restituere potes.

Damnasti olim cum Luthero errorem necessitatis operum ad salutem, damnasti (ut multi testantur) etiam ante triennium. At nunc pateris Maiorem illud instaurare, quin etiam Menium confirmas, si tua est Epistola ad Menium scripta, quam ex Turingia accepi. Illum quidem audio in synodo Isenacensi victum et ad sanitatem retractum, sed te tantum doctorem toties, etiam a temet ipso damnatos sepultosque errores, veluti ex inferis revocare ac tueri, profecto veluti inauditi cuiusdam prodigii instar mihi est, totusque id cogitans inhorresco.

---

574. No. 6073b. (Vol. VIII. p. 847.) 16. Sept. 1556.

Idem ad eundem.

Melanchthonis responsio ad praecedentem Flacii epistolam d. 4. Sept. 1556. data, cuius apographon in eodem Codice Guelferbytano fol. 150b med. - 153b exhibetur, edita est in Corp. Ref. VIII. p. 839—844. — Huic Melanchthonis epistolae denuo Flacius d. 16. Sept. 1556. respondit, cuius epistolae ineditae apographon in eodem Codice Guelferbytano fol. 142b—150b med. invenitur sic inscripta:

Secunda Epistola Mat. Flacii Illyrici ad Philippum Melanthonem de Adiaphoristica causa Septembr. 1556.

S. Gaudeo ex animo aliquam spem pacis ex privata scriptione illucescere, quae ex publicis actionibus nulla hactenus apparere potuit. Quare dabo operam tum scribendo, tum orando, tum et aliis rationibus ut quam maxime omnino potero, eam promoveam. Idem Tuam quoque humanitatem ut faciat sedulo oro ac per Christum obsecro. Quam enim semper cupidus piae atque salutaris

1) Instant] sic Cod.; legendum videtur: Restat

pacis, qualique et alioqui in hac causa animo semper fuerim, verbis iam non praedicabo, quando quidem in prioris Epistolae initio, reales (ut ita dicam) et evidentes demonstrationes tibi complures ostendi. De Theupoli igitur Epistola tanquam re acerbiore, de qua proxime scripsisti, nunc studio pacis praeteribo. Canisii clamores contra intercessionem filii Dei scio rem magni momenti esse, dignamque quae refutetur, sicut et Lituani[1]) illius, sed ego neutrius scripta de isto argumento vidi. Quare quid de incerto rumore scriberem? Si quid prodibit, equidem dabo operam, ne sim ultimus repugnando, licet omnium sim minimis donis a Deo instructus. Refutavimus hoc anno eius Catechesin, licet R. M.[2]) autoritate ac praefatione tanquam Achilleo quodam clypeo munita ornataque esset. Olim Sidonius in sua concione decima de Missa eundem errorem asseruerat, Christum non precibus, sed tantum meritis pro nobis intercedere. Quare in mea earum concionum refutatione opposui, quae tum potui inter alia etiam illud Ioan. 14. Orabo patrem. Contra Osiandrum quoque scribens saepe de perpetuo sacerdotio Christi cogitavi, ac quantum potui in libello de iustitia disserui. Verum semper visus sum mihi animadvertere, eam rem nondum satis explicatam esse, eaque collatione doctorum indigere. Taxat nos sane etiam Schuencfeldius eo nomine, quod eam materiam nimium ieiune tractemus. Dedicavi etiam libellum quendam Ratzvilio, qui (ut credo) iam prodibit, in cuius praefatione eum monui ac oravi, ut sibi a Servitianis erroribus caveret.

Quare in quocunque demum statu nostra ista lis fuerit, quam tamen toto pectore pie finiri cupio, ego tamen propterea non desinam communes omnium nostrarum Ecclesiarum hostes pro mearum virium tenuitate oppugnare, etiam si te ac alios isthic proprie ac ex professo peterent, sicut Osiander et Stenckfeldius fecerunt, cum quibus mihi non de caprina lana, nec facilis lucta hactenus fuit et adhuc est. Contra posteriorem etiam proxime edidi libellum, quem mitto. Non seiungam me inquam a promovendo publico bono ulla ratione studio aut odio cuiusdam, sicut aliqui faciunt.

Sed iam ad molestiora quaedam necessaria tamen accedamus, quae ut patienter et in timore Dei perlegas ac expendas plurimum oro ac obsecro.

---

1) Petri Conyzae Lithuani.

2) R. M. i. e. Regiae Maiestatis.

Primum igitur est quod dicis nos Lipsicam formulam et mutilationibus et additionibus corruptam edidisse, quod sis in publica responsione indicaturus. At contra audi nostras rationes vel demonstrationes potius, primum habemus exemplar eius formulae tua manu correctum, sicut agnosces, si quando tibi monstratum fuerit, et agnoscunt omnes, a quo nostra editio ne in uno quidem iota discrepat. Quae quidem una nostrae in ea parte innocentiae demonstratio nobis plus satis apud Deum et homines esse potest. Deinde habemus illud ipsum exemplar, quod tu ac Vinshemius Lipsia attulistis, quod itidem cum nostra editione tuaque emendatione ad amussim convenit, si non creditis, quaerite illud isthic. Quod non solum ad conscientiam meam mihi coram Deo sufficit, sed etiam si fiet iudicium, exploratis characteribus scriptorum, qui Lipsiae exemplaria distribuenda descripserunt, vim probationis in iudicio habebit.

Tertio habemus exemplar quod a quibusdam iisque non infimis nobilibus, qui ex numero delectorum fuerunt et adhuc vivunt, nobis communicatum est. Quod itidem cum aliis per omnia convenit. Qui profecto ut vobis talia proponentibus et suadentibus, in eo conventu acriter in faciem restiterunt, ita se nunc quoque mendacii falsationisque argui non patientur. Quarto habemus exemplar, quod nobis Plateanus piae memoriae et quidam literatus Cygneensis consul misit, quem nunc nominare nolo. Ille consul credo etiam re postulante testimonium veritati non denegabit.

Quinto Westphalus testatus est publico scripto, se cum Aepino mox post Lipsicam actionem, id est initio 49. anni a fide dignis nactum esse exemplar eius formulae penitus cum nostra editione conveniens. Sexto Ecclesiae Islebienses et aliae, quibus initio 49. anni Lipsicum Interim propositum est, testabuntur, sibi a suis Dominis non aliud sed prorsus cum nostro evulgato exemplari conveniens traditum atque propositum esse, quod mihi, qui interfuerunt, coram affirmarunt. Idem mihi et alii complures fide digni testati sunt.

Denique edidistis Lipsiae anno 50. libellum titulo Grundlich Bericht cum adiuncto Pfeffingeri scripto, in quorum utroque agnoscitis, eam formulam pro vestra, eamque accuratissime et operosissime defenditis, omnia bona fide a nobis edita esse conceditis exceptis hisce voculis geburlichen vnd schuldigen gehorsam, quas nos ab initio omisisse dubitanter studio aut negligentia affirmatis, sed ne illa quidem in praedictis exemplaribus inveniuntur, et abunde ad eam obiectio-

nem a me et Westphalo dudum responsum est. Quare Vestra edita confessio nobis efficax, firmum validumque testimonium est. Habes igitur nostras demonstrationes, quae vivis testimoniis probari poterunt, ut dictum est, ex quibus manifestum est, nos Vestram Lipsicam formulam aut Interim nullo modo falsasse. Hic ego te propter Deum oro ac obsecro, ut meum pacis studium attente et pio pectore perpendas, qui si cuperem litigare, tuamque famam laedere, quid magis exoptare deberem, quam te non praemonitum tale aliquid non exiguum mihi aliisque publice obiicere, quod cum splendide refutassemus, nos quidem pro insontibus, tu vero pro calumniatore ab omnibus habereris, ac simul tota causa caderes? Certe non facile ullum litigantem tam stolidum invenias, qui sua iura suo adversario ante iudiciorum certamen tam manifeste ostendat.

Secundum est quod dicis te nunquam subscripsisse Lipsico Interim. An interea coram adfuisti totique regioni consilium tuum aliorumque theologorum petenti bedencken illud te per triduum scribere (uti plures nobiles ac serii Viri ex praecipuis mihi coram sunt testati) simulasti et postea pro pio et utili scripto in publica actione coram proposuisti et demum cum nobiles et civitates quaedam tetriora in eo taxassent, fassus es illud esse non solum tuum, sed etiam aliorum Theologorum qui abessent, eaque omnia quae illi reprehenderant, excusasti. Vivunt adhuc hodie mille huius rei oculati testes. Hoc aliquanto imo centuplo maius est quam tantum manu subscribere. Iam cogita quam iusta sit illa tua acerba Vox, quod talibus artificiis veterem amicum oppugnem.

Tertium est quod asseveras doctrinam esse semper puram et integram servatam in tota Adiaphorica actione. Rogo te per Christum, ut paulo altius ista mediteris, animoque totam eam actionem repetas, neque contra tuam conscientiam et manifestam experientiam in hac asseveratione persistas. Nos enim manifeste contrarium probare possumus. Nam in Lipsica formula nusquam penitus invenitur sola fides, contra invenitur, Necessaria esse opera ad salutem. Item quoties de fide iustificante agitur, tum ibi dicitur Fides cui est adiuncta charitas et aliae virtutes iustificat, etc. Quid, quaeso, hoc aliud est, quam fides formata charitate et ceteris virtutibus, seu fides et reliquae virtutes iustificant? An non tota haec formula ita fuit studio temperata et comparata, ut cum Interim totiusque papatus doctrina congrueret? Quis non videt in praecipitium nostram doctrinam hoc loco productam fuisse. De

Begensi conventu indicavi etiam nuper, sed repetam. Scis te et alios quosdam ibi cum Episcopis Cicensi et Misnensi de ratione conciliandi articuli iustificationis consultasse, ac tandem pro eius colloquii conclusione bebencken quoddam scripsisse, in quo hae sunt eius articuli corruptelae, particula *sola* abiicitur, contra ponitur: gleich als weren wir nicht fornemlich durch Christum gerecht, admittitur interpretatio papistica dicti Paulini: Fide iustificamur, id est Fides est initium et praeparatio etc. Quae corruptela etiam in Lipsico Interim est et in propositionibus Isinderi erat, sed expungebatur. Illud Begense bebencken tutemet mihi in manum dedisti, iussistique, ut tibi aliquot exemplaria describi curarem, quod et feci, restituensque de illis corruptells tecum coram expostulavi, quod tam certo scio, ac me iam ista ad te scribere. Ac sunt alii multi etiam hodie in Vivis, qui eiusdem scripti exemplaria a te acceperunt.

Doctrina de poenitentia vel maxime est in Lipsico Interim corrupta, nam reticetur in ea fides, sicut et in usu sacramenti coenae, et contra adiicitur Satisfactio obscura voce anhengig, quae tamen postea per voces gebet, fasten, vnd almußen, more prorsus papistico, declaratur. Soles tu vero vel maxime eo nomine doctrinam nostram praedicare, quod in ea sit poenitentia pie ac utiliter contra papisticas tricas et spinas explicata. Imo illa tua totius Adiaphorismi basis et Hypothesis, tolerandam esse aliquam servitutem cum Antichristo propter pacem, corrumpit doctrinam de libertate christiana, de confessione, et de mandato Dei: Exite e Babylone. Item non potest fieri conciliatio cum papistis in ceremoniis, nisi prius in doctrina consentiant. Est in Lipsica formula, quod quicquid Ecclesia in fide ordinaverit etc. id sit tenendum. Item restituitur iurisdictio papae et Episcopis eius. Quaero igitur, an non illa certum verae ac sincerae doctrinae interitum non modo portendant, sed etiam in praesentia afferant? Iterum te hic ad tuam conscientiam voco, ut sepositis nonnihil rapidis affectibus res tantas uti sunt, attente et in timore Dei mediteris. Quid insuper de illo dicemus, quod Episcopi Lipsiae in publica actione palam protestati sunt se sic Vestram formulam seu Bedencken et ipsum animum intelligere et accipere, quod cum Augustano Interim in sensu plane conveniat, et quod istic nimis breviter obscureque dictum esset, id inde interpretationem suam acciperet? Cui protestationi nemo contradixit, sed Vos Vestro eam silentio confirmastis. Idem et Islebius coram multis principibus in publica actione de Vestra Iuterbaccensi actione, oblatoque duobus electoribus Vestro Bedencken testatus est. Hoc si est doctrinam puram

contra Antichristum conservare atque propugnare, tum ego sane fateor me nescire, quid sit doctrina nostra, quidnam perdere, quid conservare. Et ego considerans et simul tuam appellationem ad divinum iudicium perpendens, vehementer et quasi attonitus obstupesco. Nec te coram Deo excusabit haec philosophica veteris Adami ratiocinatio: Ego sic non sensi, habui mea consilia, volui servare doctrinam et Ecclesias non corrumpere. Nam Petrus, qui Gal. 2. obiurgatur pro corruptore doctrinae Evangelicae, etiam sic non sentiebat, et habebat suum forte consilium, Deus autem secundum rem ipsam iudicabit, et non ut quis putavit, tametsi quid tu putaveris aut senseris de illis actionibus, saepe ex imo pectore ingemiscens mihi et aliis imo et in scriptis confessus es.

Quantum sic quod de Epistola ad Saxones scribis, quae si tibi molesta est, propterea quod multas querelas de vestris iniuriis continet, cogita quanto gravius fuerit, eas iniurias partim singulis hominibus partim toti Ecclesiae a vobis illatas perpeti. Nihil sane mihi sum conscius ibi falsi confinxisse aut calumniose detorsisse. Nam quod scribis de Versibus asellorum iam bis a Vobis editis, nunquam audivi te invito esse evulgatos, et sententia eorum manifesta est. De philomela persuasus a quibusdam fueram, te invito esse editam, sed nunc, facta secunda impressione in tomo intimationum, non amplius credo. Ad haec necessitas nos ipsa tandem coget, si omnino nulla pia et utilis concordia a Vobis impetrari potest, ut aliquando eas et multas alias querelas publice Ecclesiae Dei proponamus, quo vel sic nostram innocentiam protestemur, Vestrae in nos iniuriae, quibus perpetuo a Vobis afficimur, patefiant, et Vos nonnihil a molestandis aliis constantibus Ecclesiae Dei ministris post alios deterreamus. Iam fere tota Marchia constantioribus Doctoribus spoliata est. Eadem repurgatio et in Misnia fit, facto initio inde a Gabriele viro serio et constante et Moro omnium levissimo ac vanissimo in eius locum homine subrogato. Ubicunque vero talis aliquis miser Stoicus, in quo aliquid zeli est, opprimendus est, tu mox eo accerseris, tuaque ad eum opprimendum authoritas adhibetur. Iam cogita tutemet, si sic constantiores ac zelum veritatis habentes doctores ex Ecclesia Dei excribraveritis, quid tandem reliquae arundines quovis vento agitatae sint facturae, etiam si tam doctae fuerint, ac ille Homericus vates, qui omnia scivit, quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur.

Demum tota illa Epistola eo directa est, ut impellat Saxones, ut mediationem seu pacificationem inter nos tentent: ut etiam si

quae asperiora contineret, tamen pio fine seu proposito excusari apud candidos deberet. Quinto dicis me novam occasionem contendendi ex instauratione Maiorismi quaerere. Dura ista sunt et ab ipsa veritate manifeste coarguuntur. Si enim contendere cuperem, non tot pacis vias hoc anno excogitassem, et tam multipliciter solicitassem. Verum evidentia meae voluntatis indicia in priori Epistola exposui. Maiorem vero resuscitare hoc incendium, post tot Ecclesiarum censuras, manifesta et inexcusabilis experientia docet. Nam in Vestra Academia publice hanc propositionem dictavit, et iam eandem in Homiliis suis ex Vestra Academia evulgavit, in universam Ecclesiam Christi sparsit, typum doctrinae de suggesto proponendum (ideo enim postillae istae scribuntur) praescripsit, Cum tu ceterique Theologi in Vestra Academia eum reprimere et cohercere facillime potuissetis ac debuissetis, ne Ecclesiam Christi turbaret, et eiusmodi interimisticas corruptelas spargeret, non fecistis. Itaque inquietus Vester Maior ex Vestra Academia redintegrat proelium, cui alios, quibus non minus quam Vobis mandatum est, contradicentes convincere, necesse est resistere. Odit enim et execratur merito tota Ecclesia Christi hanc papisticam ipsiusque Antichristi vocem. Concio Menii de salute in minima forma edita, quam tu probasti, continet non tantum bona opera ac novam obedientiam esse ad salutem necessariam, sed etiam nos facere ex bonis operibus Adiaphora, Nos docere cum fanaticis: Thue was du wilt, wen Du nur gleubst, so ists alles recht, quae quidem calumnia tetra est et nobis nullo modo ferenda.

Sexto ais te cedere, fuisse etiam Aiacem contentum, quod Hector sibi de victoria cesserit. Satis sane fuit Aiaci gloriam fortitudinis sibi suisque quaerenti, quod superbus provocator inspectante utroque exercitu, ipsi cesserit. Meae vero conscientiae, qui (quod Deus novit et mea plurima facta, tristissimaque tempora suscepti certaminis testantur) non gloriam aut triumphos quaero, sed tantum conservationem veritatis et eversionem erroris, ista verbalis et obscura cessio, quae et cedit et minatur nova scripta et errorem valide confirmatum non tollit, nullo modo satisfacit. Adde quod subinde tamen aspergis nos te criminari, et a criminationibus debere desistere, haec non sunt indicia cedentis poenitentis, sed defendentis peccata. Quare propter Christum te oro, obsecro ac obtestor, ut de tollendis erroribus ex Ecclesia Christi serio in timore Dei cogitemus ac laboremus. Si divinum mandatum a nobis flagitat, ut errores ac scandala a Cynico illo aut Lituano in alio paene orbe sparsa tollamus, multo profecto magis flagitat, ut

nostros errores ac scandala hic in tota Germania sparsa iustis modis amoliamur. Recensui nuper in Germanico libello ultra XX causas, cur omnino sit necesse diserte istum errorem Adiaphoricum tolli. Quas ut diligentius in timore Dei perlegeres ac expenderes orarem, nisi tantopere esses in eum immerito commotus. Hic vero eas repeti prolixitas earum non fert. Quare si serio iudicium cupis, insta serio et quam primum apud Augustum et alios, ego quoque apud quosdam instabo. Indica etiam arbitros pios et candidos, quos tu ferre possis, et alias circumstantias ad Christianum iudicium necessarias, ut de hisce quoque omnibus consentire possimus.

Sed per articulos profecto citius et facilius minori scandalo, et maiori cum Ecclesiae fructu transigere potuissemus. Nec video, quomodo illi ad principes pertineant, sicut tu scribis, cum tantum de religionis rebus agant, et Lipsica formula a Theologis et nomine Theologorum sit toti regioni obtrusa. Ad haec et princeps, qui tunc imperavit, mortuus est, et consiliarii, qui tunc summo loco fuerunt, aut mortui sunt, aut ab aula recesserunt. Denique quem magis decet ista vulnera Ecclesiae Dei sanare Te Uno, qui et potes ob eruditionem ac autoritatem, et debes, quia scis praecipue tua culpa (post peccata et ingratitudinem omnium) illud malum exortum, auctum, promotumque esse, et bene nosti Dei mandatum esse, ut publica scandala tollantur ab autoribus eorum, qui alios peccare fecerunt aut in peccato confirmarunt. Quod si volumus expectare, donec principes, (qui partim ignari, partim contemptores sunt religionis, partim etiam aliis negotiis dediti ac occupati) ipsi errores tollant, vereor ne id nimis sero fiat, et multa etiam alia incommoda secum trahat.

Quare ego adhuc oro, obsecro, ac per Christum, Ecclesiae utilitatem et tuam salutem, quae in hoc vertitur, te obtestor, ut perpensa et horum articulorum lenitate et Ecclesiae utilitate, velis animum ad eradicandos errores faciendamque piam et salutarem pacem inflectere. Nunquam petitur, ut vel tu aut ullus alius particeps temet vel nutu damnes, mihi ut Hector Aiaci cedas, aut errasse confitearis. Fiet tantum confessio aut indicatio redintegratae inter nos pacis secundum propositos articulos, postea confusim nomina subiicientur, nostra simul ac vestra. Quod si nostri articuli tibi, ob pias, iustas et veras rationes displicent, praescribe tu ipse meliores ex verbo Dei. Non enim de eo ambitiosa lis est, utra pars tanquam victrix alteri ferre aut praescribere pacis leges debeat. Sed id tantum spectatur, ut clare ac sincere errores tol-

lantur ex Ecclesia Dei piaque pax restituatur. Hoc tu iam ferme solo nutu sine ulla difficultate ac molestia praestare potes. At ego Deum testor, me nec tecum, nec cum ullo posse pacem salva conscientia habere, qui quoquo modo errores et scandala in Ecclesia Dei sparsit nec ea cum potest, vult tollere.

Quo vero etiam magis nostrum pacis studium cernas et nos tuam ignominiam non quaerere, illud insuper promitto, quod si tu per hosce articulos errorem ex Ecclesia Christi sustuleris, mihique contra aliqua tetra mendacia, quibus tuam famam laesi, manifeste ostenderis (nam ego profecto nullius mihi sum conscius) illa sim publico scripto revocaturus. Contra vero quae vos mihi falso obiecistis, ut quod istud certamen susceperim cupiditate gloriae, ve straeque ignominiae, quod sim seditiosus, tibique gladios miner, sim autor dissidii in Ecclesia Dei et innumera alia etc., ea ut vos publice revocetis non flagitabo. Hoc ut opinor animadvertitis esse non leve commodum, quod iam pacis studio ultro defero.

Quereris tu, vos initio interimisticorum conatuum esse omnibus probris laceratos ab aulicis, quia cedere noluistis, nunc vero contra a nobis lacerari, quia cessistis. At cogita quaeso, quanto rectius fecissetis, si non illis, qui solis maledictis et calumniis coniurationis Theologicae vos lacerarunt, sed vestris propriis conscientiis et fratrum admonitionibus, qui vos verbo Dei urserunt, cessissetis. Quod si nobis quoque queri liberet infinitis profecto partibus, iustiorem querelam haberemus. Nam nos non tantum ab aulicis Thrasonibus et Gnathonibus sumus lacerati et adhuc laceramur, perpetuoque lacerabimur, sed etiam in publicis Imperii Comitiis anno 50 sumus accusati, quod nostris famosis libellis instauratio Interim sit impedita. possem et vestrae aulae praecipuorum consiliariorum literas proferre, quomodo illi diligenter nostros contra vos libellos collegerint, Caesari et Regi missitaverint ac questi sint, se quidem ex animo cupere Interim in Ecclesias inducere, sicut eorum M. polliciti essent, sed se istis seditiosorum libellis impediri. Quare cogebamur id crimen et odium imo et pericula ab adversariis ferre, tanquam qui soli Interim totumque papatum impediremus, contra vero a vobis aliisque nostrae doctrinae hominibus audire cogebamur, quod tristes turbas in Ecclesia Dei moveremus, de rebus nihili ut de linea veste litigaremus, vos constantissimos papistarum adversarios immerito accusaremus, imo et disciplinam ac conformitatem impediremus et denique Turcicam barbariem in Ecclesiam Dei inducere conaremur.

Vos utrique parti Vos venditabatis, Vestramque voluntatem praedicabatis, et inprimis Vestram aulam Caesari et aliis adversariis (non sine manifesta abnegatione) persuadere permittebatis, Vos esse ad omnem obedientiam paratos, sicut et principium Vestri Lipsici Bedencken aut formulae suadet consulenti Regioni, an debeat Caesari mandanti Interim obedire, ut id faciat. Contra apud Evangelicos laudem retentae purae religionis studiique conservandi nostras Ecclesias et arcendi lupos (quibus tamen iurisdictionem reddebatis) aucupabamini.

At nos miseri (ut dixi) et a Monarchis ac papistis condemnabamur, sciebant enim, quod res est, quod nisi hic fuissent refutationes corruptelarum et adhortationes ad constantiam conscriptae et impressae, ipsorum Interimisticus conatus eis pulchre successisset, nostraque (ut ipsi eam vocabant) haeresis uno momento pessum ivisset. Et a pseudoevangelicis summo odio habebamur, simulabant enim se nescire, quod sciebant, nos scilicet pro communi religione certare. Accedebant porro Vestrae atroces accusationes ac damnationes tum scriptis tum in publicis lectionibus ac concionibus in nos effusae, quae utrosque contra nos animabant. Quare tandem facta communi conspiratione Antichristiani et pseudochristiani correptis armis in nos miseros homunciones irruerunt, nostrumque exitium furenter quaesiverunt. Iam cogita quanto tristius quiddam est lacerari re ipsa quam verbis, tanto nostram querelam esse iustiorem vestra, ut taceam de causis, quas ante indicavi. Ceciderunt mihi 5 magni globi bombardarii in domum, unus qui 25 libras habebat, in culinam, totamque lapidibus replevit, ut si quisquam intus fuisset, citra dubium periisset: alius 6 librarum mihi sub lectum venit et dissipata per totum cubiculum arca linea suppellectile referta ibi conquievit. Haec profecto minus tolerabilia sunt, quam aliquem maledicum Semei perpeti. Sed non tam meis calamitatibus quam civitatis movebar ac Deum testor saepe me eum orasse, ut si sciens quicquam falsi meis scriptis asseruissem, aut alias non religionis purae incolumitatem quaesivissem, sicque illis calamitatibus occasionem praebuissem, in me suam iram averteret, me puniret, et misero gregi parceret.

Possem et ego dicere sicut Tu in Epistola ad Carlevizium: Non movi hasce turbas, sed incidi in eas, sed cum statuerem doctrinam a Vobis instauratam esse genuinam Christi, eamque sequentes esse veram Ecclesiam, malui me cum coetu confitentium veritatem et patientium propter eam, quam cum persecutoribus et

Babyloniae meretricis amatoribus et collusoribus coniungere. Quare veni huc rebus Evangelicorum confitentium penitus fractis ac desperatis, cum iam haec civitas integro biennio proscripta fuisset. At tu contra cum et ante bellum plus millies me quoque non raro audiente, dixisses et scripsisses, Si quis aliud Evangelium docuerit, eum tanquam anathema detestandum fugiendumque esse, nosque hortatus esses, ut constantes, fidi et diligentes boni depositi conservatores essemus, exhortatus item esses magistratus, ut Evangelio aperirent portas etc. tutaque hospitia Christo praeberent, et propterea quidvis perpeterentur. Similiter et cum initi belli publicis scriptis ad Slesitas, Bohemos, Regionem electoris, praefatione Warnung Lutheri [1]) et correctione libelli Menii nostrorum defensionem probasses, adversariorumque conatum persequutionem esse pronuntiasses, Haec, inquam, cum primo fecisses, postea tamen fractis inclinatisque miserorum Evangelicorum rebus, post tota damna tantumque sanguinem piorum effusum, coepisti mutare sententiam vel verba certe. Quoties et in nostra obsidione et ante non tantum hosce concionatores, sed et totam civitatem tanquam alterum monasterium variis dictis et scommatibus publice et privatim in lectionibus, concionibus et scriptis damnaveritis, norunt ii omnes, qui tuas lectiones, Maioris et Pomerani conciones, item Pfeffingeri, Danielis et Mori audierunt et multi testantur. In damnatione M. Gabrielis, Michaelis, Christophori, Davidis et inprimis boni illius Wolffii diserte et nostram defensionem damnasti, et illorum persequutionem approbasti. Quibus rationibus et persequutores Christi in suis tetris sceleribus nefariaque impoenitentia confirmasti, et generationem piorum damnasti, et te omnium illorum peccatorum, imo et omnium piorum sanguinis inde ab Abel teste Christo atque adeo omnium Antichristi impietatum reum participemque fecisti, quod utinam agnoscas quam sit tetrum et horrendum peccatum.

Quare ego te per Dominum Iesum, perque tuam salutem iterum atque iterum obsecro ac obtestor, ut perpendas, quanta res sit errores in Ecclesia sparsisse et nolle diserte ac clare eos tollere, quanta cum Babylonica Thaide collusisse, infinitos Christi pusillos scandalizasse, languefecisse, contristasse, et in dubitationem induxisse, quod ipsemet in tua adhortatione scripta in nuptiis filiae Camerarii testatus es, quanta res pomum contentionis (sicut ipsemet Adiaphorismum in oratione Isinderi vocasti) sit, in Ecclesiam De

---

1) Vide Corp. Ref. VI. p. 190.

proiicere, et id, cum ferme solo nutu possis, tollere nolle. Cogita et quanta sit coram Deo abominatio, quod defensionem, confessionem, et passionem piorum damnasti, et persequutionem et abnegationem impiorum approbasti.

Cogita, o per Deum te adiuro, non agi de tua solius salute, cui forte satis esse putas privatim ista peccata apud Deum agnoscere ac deprecari: sed et de aliorum infinitorum, qui nec agnoscere nec deprecari apud Deum tanta peccata possunt, donec te tantum Virum vident ea tueri, reprehensoresque talium pro furiosis et rabiosis imo et pestibus Ecclesiae habere, ac non raro in publicis lectionibus insectari, quod tuum exemplum adulatores tui imitantur, qui nos Thersitae comparant. Quare vide iterum atque iterum, ut quos homines in tantum pelagus gravissimorum peccatorum et irae Dei supradictis rationibus immergere adiuvisti, eosdem adhortando ad tantorum facinorum agnitionem, poenitentiamque inde extrahas. Vide ut patriam, miseram nempe Germaniam, quam praedictis modis intolerabili omniaque consumente divinae irae incendio onerasti, eodem tantam erga agnitum Christi Evangelium ingratitudinem diserte explicando et gravissime damnando liberare adiuves. Alioqui profecto ardebit in hac et altera vita, donec vel Turcos[1]) vel per alios furoris sui ministros eam penitus perdat et evertat, ac plane in nihilum redigat, quod passim multis ac tetris prodigiis quotidie se facturum minatur, et quasi voce clara vociferatur. Haec non suavia sane, sed certe salutaria, Deoque probata medicamina pio animo tibi pro mea erga te aliosque christiana charitate ac studio propono. Utinam vicissim et a te christiane ac in timore Dei accipiantur. Bene in Domino Iesu vale. Madeb. 16. Sept. Anno 1556.

---

575. No. 6127[b]. (Vol. VIII. p. 915.) 3. Dec. 1556.

Carolo Duci Anhaltino.

Ex Ioh. Christoph. Beckmanni Historia des Fürstenthums Anhalt (Zerbst 1710. Fol.) P. V. Lib. II. cap. XVI. p. 177. — Melanchthon hac epistola Carolo Principi, d. 24. Nov. 1534. Dessaviae nato, qui a. 1556. Servestae in Ducatus regno successerat, de hoc regni principio gratulatur.

---

1) Turcos] sic Cod.; legendum est: per Turcos

(*Inscriptio deest.*)

Illustrissime et Clementissime Princeps, certissimum est, totum Ordinem Politicum in genere humano et eius conservationem ac salutarem gubernationem verissime Dei Creatoris omnipotentis opera esse. Nisi Dominus custodierit Civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Hanc Dei praesentiam et bonitatem agnoscere debemus, et Ei assiduas gratias agere, et supplices petere, ut ipse et gubernet et protegat Politias, et regat mentes Principum, et eos custodiat, ac arceat ab eis insidiantes diabolos, qui odio Dei genus humanum horribiliter turbant, et delere Ecclesiam conantur. Cum igitur Deus C. V. ad gubernationem vocaverit, oro eum supplex et toto pectore, ut C. V. et regat et protegat ipse, et faciat, ut C. V. sit organum salutare vestrae animae et subditis. Debemus omnes omnibus honestis Principibus reverentiam et multa officia. ***Ego autem praecipue gratitudinem debeo familiae Ascaniae propter multa beneficia in me collata.*** Quare et oro Deum, ut servet et gubernet et ***Principes Anhaltinos ipsos omnes, et ipsorum Patriam.*** Et saepe de vetustate et rebus gestis Maiorum vestrorum cogito, qui profecto magnas res et utiles Germaniae gesserunt. Eorum ut virtutes imitemini opto, et C. V. oro, ut res gestas Maiorum diligenter legat et consideret. Bene et feliciter valeat C. V. Datae d. 3. Dec.

Cels. V.

Servus
Philippus Melanchthon.

---

576. No. 6248b. (Vol. IX. p. 154.) 17. Maii 1557.

Georgio Cracovio iuniori, Doctori Iuris.

Hanc epistolam, quam Clar. Seidemannus ex autographo Tabularii publici primarii Dresdensis, loculo 8573. fol. 5., benigne mihi descripsit, ad annum 1557. esse referendam, ex eo elucet, quod in ea mentio fit nuptiarum Caroli Ducis d. 16. Maii 1557. (cum Anna, Barnimi XI., Ducis Pomeraniae, filia) celebratarum, conf. Beckmanni lib. supra ad no. 575. recensit. l. l. p. 177.

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti D. Georgio Cracovio Doctori Iuris, fratri suo carissimo.

S. D. Clarissime d. doctor et carissime frater. Oro deum, ut Coniugium faustum et foelix tribuat Principi Carolo Ascanio. Aegidio concessimus ut istuc proficiscatur, et videat suos. Te quaeso ut eum tibi adiungas. Nos et ministrum tibi notum adiunximus. Velim etiam te Epithalamia Illustrissimi Principis et aliis exhibere. Bene vale. die 17. Maij.

Philippus.

---

577. No. 6254ᵇ. (Vol. IX. p. 159.) 25. Maii 1557.

N. (Augustus Elector Saxoniae) ad Melanchthonem.

Hae literae, non quidem eae, quae ad Melanchthonem missae sunt, sed prior earum delineatio (*Concept*) in Tabulario primario Dresdensi (fol. 176.) asservantur. Apographon Clar. Seidemanno debeo.

D. Philippo Melanchtoni.

Hochgelarter lieber getrewer, Jr werdet hierbeiuerwart befindenn, was die Hochgeborne Fursten, Her Philips Landtgraff zw Hessenn ꝛc. vnd Her Christof Hertzog zw Wirttembergk abermals eins Conuents vnnd zusammenkunfft etlicher Theologen halber, ann vnns geschribenn, Vnnd ist hierauff vnnser gnedigs begerenn, Jr wollet solchs mitt vleis verlesenn, bewegenn, vnnd vnns darauff bei Zeeigernn ewer schrifftlich bedenckenn, zuerkennen gebenn. Das gereicht vnns vonn euch zw gnedigem gefallenn, Dat. Dresden den 25ten Maij Anno ꝛc, 57.

---

578. No. 6420ᵇ. (Vol. IX. p. 398.) 21. Dec. 1557.

Ulrico Mordeisen.

Haec epistola in Tabulario publico primario Dresdensi (fol. 272.) asservatur. Apographon Clar. Seidemanno debeo. Conf. Melanchthonis ad Ge. Cracovium epistola d. 23. Dec. 1557. scripta in Corp. Ref. IX. p. 399.

Clarissimo viro sapientia, eruditione et virtute praestanti, D. Ulrico Mordisin Doctori Iuris, Consiliario Inclyti Ducis Saxoniae Electoris, patrono suo colendo.

S. D. Clarissime vir et patrone carissime. De multis negotiis et loqui vobiscum et audire vestros sermones cupio, quae complecti literis non possum. Acta colloquii narrabit vir iudicio et fide praestans Doctor Georgius Cracovius. Mihi dicebat Mersburgensis Episcopus, videri sibi non prodesse has theatricas disputationes, praesertim cum aliqui ex suis nihil remittere vellent. Oportere pauciores familiarius praesentibus aliquot principibus conferre sententias de communi pace Ecclesiarum. Petamus a deo et gubernationem Ecclesiarum et defensionem.

Maxaemylianus ad Wirtebergensem scripsit, se valde optare, ne dissolveretur colloquium, qua ex re adparet Austriam in magna expectatione fuisse. Et tamen has spes existimo futuras fuisse inanes.

De synodo nostrorum, nullam prorsus indicendam esse existimo nisi prius principes inter sese decreverint quid statuendum sit.

Orphanum reliquit magister Gallus, cui nupta fuit coniunx doctoris Georgii Cracovii. Huic oro ut locum tribuatis in schola Portensi. Ea in re oro ut et Pastoris nostri, avi rationem habeatis, quem scitis non parva odia sustinere, quia non voluit discedere a sua Ecclesia. Bene et foeliciter valete. Lipsiae die 21 Decemb.

Philippus Melanthon.

---

579. No. 6484[b]. (Vol. IX. p. 507.) 18. Mart. 1558.

Dresdensi Senatui.

Senatus Dresdensis per literas d. 28. Febr. 1558. datas a Melanchthone petierat, ut scholae suae rectorem eligeret. Ad illas literas Melanchthon respondet hac epistola, cuius duo apographa a Clar. Seidemanno accepi, quorum unum Dr. O. Meltzer ex autographo tabularii illius Senatus (sign.: D I. Kirchen vnnd Schulen Diener zum Alden vnnd Newen Dreſden ꝛc. Ao. 1516 biſs 1582. fol. 24.) fecit, alterum Seidemannus ex hocce libro: Melanchthon und die Stadt Dresden. Localgeſchichtliche Skizze von Heinrich Moritz Neubert, Bürgermeiſter. (Dresden u. Leipzig 1860. 8°.) p. 39 sq. Equidem h. l. prius apographon sequor.

Den Erbaren weiſen vnd fornemen herrn Burgermeiſtern vnd Radt der löblichen Stadt Dreſden, meinen gunſtigen herrn.

Gottes gnad durch ſeinen Eingebornen Son Jheſum Chriſtum vnſern heiland vnd warhafftigen helffer zuuor, Erbare forneme weiſe gunſtige herrn, Ich bitt Ewr. Erbarkeit gantz vleiſſig, ſie wollen nicht gedenken, das ich zu Einiger practiken luſt habe, ettwas zu Endern, das ein oberkeit beſchloſſen hatt, So acht Ich auch Zeigern diſer Schrifft, Magistrum Iohannem Henricum zur Schulregirung tuchtig, denn Ehr iſt gottforchtig, wolgelart vnd gutter ſitten, Schreibet Latine Prosam vnd versus, vnd hatt ein verſtentlich auſſprechen, habe Jhn auch vor diſer Zeit, dem Erbarn Radt zu Lukaw zur ſchulregirung commendirt, vnd acht, der Ernwirdig herr Daniel Paſtor Ewr kirchen werde jhm diſen magistrum Iohannem Henricum auch wol gefallen laſſen, der allmechtige Gott, der jhm gewiſſlich vmb ſeines Sons willen durchs Euangelium Ein Ewige kirche ſamlet, wolle gnad zur Schul geben, vnd Ewr. Erbarkeit vnd die Ewrn gnediglich bewaren vnd diſen landen friden vnd ſellge Regirung [1]) geben, Amen. dat. 18. Martij 1558,

Ewr. Erbarkeit

willigerr

diener

Philippus Melanthon.

---

580. No. 6501b. (Vol. IX. p. 520.) 11. Apr. 1558.

1) Regirung] in Neuberti libro legitur: Nahrung

Eidem.

Huius quoque epistolae duo apographa Clar. Seidemanno debeo: 1) Meltzeri ex autographo eiusdem tabularii (l. l. fol. 56 sq.) factum, 2) Seidemanni ex Neuberti libro laudato p. 46—48. Ego prius h. l. typis describendum curo.

Den Erbaren weisen vnd fornemen herrn Burgermeistern vnd Radt der löblichen Stadt Dresden, meinen gunstigen herrn.[1])

Gottes gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum vnsern heiland vnd warhafftigen helffer zu uor, Erbare weise Forneme, gunstige herrn, Ewr Erbarkeit khonnen sich erinnern der nehisten an mich gesandten schrifft, darinn sie begern, nach dem der Mngister so ietzund die Schul zu Lukaw regirt, von E. Erbarkeit zur Schulregirung zu Dresden Erwehlet, das Ich solchs nicht verhindern woln, daruff ich geantwort vnd gebeten, Ewr Erbarkeit wolden mich nicht fur solchen freuelen menschen achten, das Ich wider Einen Erbarn Radt Ettwas practicirn wölle, vnd so mich Jemand In verdacht hatt, geschihet mir vnrecht, Ist auch iemand anders, der solche practiken treibet, daran hab ich ein groß mißfallen, Warumb nu[2]) die vorige meinung vom Magistro zu Lukaw geendert ist, begere ich nit zu wissen, an welchem Ich doch Ein gut gefallen gehabt, denn zu andrer geschiklicheit hatt Ehr Ein gute sprach vnd pronunciatio, welches der Jugent nutzlich ist, Ich hab aber vernomen, das Ewr Erbarkeit Einer angezeigt ist, genant Magister Carolus von Noriberg, dem gib ich disses Zeugnis, das Ehr gottforchtig vnd gelart ist, aber die stimm vnd pronunciatio Ist ettwas suecher, doch stehet bei E. Erbarkeit, neben dem Ernwirdigen herrn Pastorn nach ihrem bedenken vnd gefallen zu schliessen,

Ich hab zuuor angezeigt magistrum Fridericum Schulmeister zu Zerueſt, der gottforchtig, seer wolgelart, schreibet carmen vnd prosam, Ist ernst vnd Elter denn die vorgenanten, vnd ist Ein furtrefflicher Musicus, wiewol Ich nu[3]) bedenke, das Ein Erbar Radt zu Zeruest jhn nicht gern von sich khommen laßt, so were doch sein gemut zu erkunden, Vnd so Ich soll anzeigung thun, Ist mir beswerlich das andre neben practiken furfallen, der allmechtige Gott, der den Regenten die Jugent mit grossem Ernst beuohlen

1) Hanc inscriptionem Neubertus in libro suo h. l. omisit.

2) nu] Neubert habet: an

3) nu] Neubert: mir

hatt, wolle E. Erbarkeit, vnd Ewre Jugent, vnd dise land gnediglich bewaren. datum in feriis Pascatos[1]) die vndecimo Aprilis 1558.

E. Erbarkeit
williger
diener

Philippus Melanthon.

---

581. No. 6507[b]. (Vol. IX. p. 526.) fere 21. vel 22. Apr. 1558.

Schedula ad Ge. Cracovium iuniorem.

Hanc schedulam a Clar. Seidemanno ex autographo tabularii publici primarii Dresdensis (loculi 8573. fol. 46.) mihi descriptam fere 21. vel 22. April. 1558. ad Cracovium esse missam, ex eo elucet, quod ad funus soceri eius, Io. Bugenhagii Pomerani, d. 20. April. 1558. mane mortui, spectat.

Clariss. viro d. Georgio Cracovio.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Si scivissem tempus funeris, prorsus fuissem hortator, ut antea non abiremus. Iudico nos oportere funeri adesse. Ideo differatur iter.[2]) Bene vale.

philippus.

---

582. No. 6241[b]. (Vol. IX. p. 149.) exeunte Aprili 1558.

Eidem.

---

1) Pascatos] Neubert: paschatis.

2) Ge. Cracovius 1. Maii 1558. mittitur ab Augusto Electore legatus ad Marchionem Onolsbacensem propter theologorum conventum Magdeburgi habendum; Melanchthon 4. Maii Lipsiam proficiscitur ad visendum Iustum Menium aegrotum.

Hanc epistolam, quae in eodem tabulario Dresdensi, loculo 8573. fol. 48. asservatur, exeunte Aprili scriptam esse, ex eo intelligitur, quod Cracovius d. 1. Maii Witeberga abiens (conf. annot. praecedentis schedulae) ad coenam a Melanchthone invitatur, ut quaedam de socero suo mortuo ante abitum referat. Apographon Clar. Seidemanno debeo.

Clariss. viro D. Georgio Cracovio doctori Iuris, fratri suo carissimo.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater, Filius dei dominus noster Ihesus Christus Custos Ecclesiae suae protegat et gubernet te in itinere. Existimo ante reditum tuum oportere me scribere orationem de Reverendo d. Pastore[1]). de eo sciscitari quaedam te necesse est. Ideo te oro, ut ad coenam nostram venias, ut mihi patriam narres et si qua praeterea poteris.

---

583. intra tempus 18. Oct. 1558. — 1. Maii 1559.

Eidem.

Hanc epistolam, quam Clar. Seidemannus ex autographo eiusdem tabularii Dresdensis, loculo 8573. fol. 39. benigne mihi descripsit, intra tempus inde ab 18. Oct. 1558. usque ad d. 1. Maii 1559. scriptam esse, elucet ex rectoratu Staronbergii in ea memorato, qui d. 18. Oct. 1558. incipiebat et d. 1. Maii 1559. finiebatur (conf. Album Academiae Vitsberg. a Foerstemanno editum p. 351.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti d. Georgio Cracovio doctori Iuris, fratri suo carissimo.

S. D. Clariss. d. doctor et cariss. frater. Rector Academiae Baro a Starenberg petit argumenta. Oro ut aliqua ipsius personae congruentia scribas, quod tibi iam cum in his cogitationibus totius causae amplitudinem comprehenderim facile est. ego hodie dedi

---

1) Haec de vita Pastoris Witebergensis Bugenhagii Pomerani oratio a Melanchthone scripta d. 4. Aug. 1558. publice recitata est (vide Corp. Ref. XII. p. 295.). Conf. eius ad Hier. Baumgartnerum epistola d. 10. Aug. 1558. data (vide Corp. Ref. IX. p. 590 sq.), in qua huius orationis recitatae mentionem fecit.

argumenta Comiti Adolpho, in quibus est disputatio popularis, an banniti uxor dotem amittat, cum vir sit dominus, ut propositio vestra dicit. Historia est in lege penultima in π' soluto matrimonio de Graccho et Licinia uxore. Bene vale.

Philippus.

---

584. No. 6883[b]. (Vol. IX. p. 985.) die brumae 1559.

Eidem.

Haec epistola in eodem tabulario Dresdensi asservatur. Apographon Clar. Seidemanno debeo. Eam in rectoratu Cracovii esse sciptam, ex epitheto ***Magnifice*** elucet, ergo die brumae anni 1559.; Cracovius enim Academiae Witebergensis rector erat inde ab 18. Oct. 1559. usque ad 1. Maii 1560., conf. supra p. 458.

(***Inscriptio deest.***)

S. D. Magnifice d. Doctor. Heri necesse fuit me dare literas iis qui Ordinationis testimonium acceperunt, in Poloniam et Hungariam ituris. Hodie scribo testimonium doctori Secerio ituro ad Stetinensem Ecclesiam, viro optimo, ac multa in lecto hac nocte de te cogitavi. Hodie etiam literas accepimus quae narrant Synodum Ienae futuram esse, confirmaturam condemnationes. Quid igitur nostri somniant περὶ διαλλαγάς? A ripa Meni etiam scribitur fore Conventus principum de foederibus contrariis pontificiorum et Luteranorum. Haec me remorantur in scribendo. Oro filium dei ut nos gubernet. Bene vale die Brumae.

philippus.

---

585. No. 5369[b]. (Vol. VIII. p. 69.) 24. April. 1553.

Gotfrido Heshusen.

Commodum absolveram hunc tomum, cum Vir Nob. Dr. Schnorr a Carolsfeld, Bibliothecae regiae Dresdensis Secretarius, benigne mihi apographon epistolae ineditae misit, quam quondam Vir Clar. Fr. Ad. Ebert ex autographo Codicis MS. Guelferbytani (Extravag. fol. 54.) descripsit et suis Collectaneis (Ebertiana Vol. I. Mscr. Dresd. R 183.) inseruit. Hanc igitur epistolam extremo loco ceteris adiungo.

Honestissimo viro prudentia et virtute praestanti Gotfrido Heshusen Senatori Wesaliensi amico suo.

S. D. Honestissime vir, utrumque praedixit vox divina, in hac mundi delira senecta et futuras esse maiores generis humani confusiones, quam fuerunt antea, et tamen certo filium dei dominum nostrum Iesum Christum ecclesiam aeternam sibi etiam inter has imperiorum ruinas collecturum esse, et studiis alicubi hospitia praebiturum. Hac erecti consolatione studeamus fovere et ornare ecclesias: ac vos quidem grato et laeto pectore celebrate beneficium dei, quod filium Tilemannum eruditione et pietate ornavit et vocavit ad sanctissimum munus, ut ex literis senatus Goslariensis intelligetis, quarum exemplum filius mittet. Iudicavi autem propter multas honestas causas prodesse ecclesiae, tribui filio vestro Tilemanno publicum testimonium, quod in scholis nominatur gradus doctoris. Nam eo gradu ostenditur coniunctio cum praeceptoribus, et saepe auctoritas augetur. Etsi autem aliqui curiosi homines de gradibus secus loquuntur, tamen certum est in ecclesia et fuisse et oportere esse publica testimonia. Spero igitur vos consilium nostrum probaturos esse et vos oro, ut paterna liberalitate adiuvetis. Hanc meam epistolam iudicabitis bono studio scriptam esse et oro filium dei, dominum nostrum Iesum Christum, ut nos omnes doceat et gubernet et faciat nos organa salutaria nostris animabus et ecclesiae. Bene et feliciter valete. Die Georgii Anno 1553.

Philippus Melanthon.

INDEX
horum Supplementorum
ad Vol. I—IX. Corporis Reformatorum.

I. Epistolae

A. quas Melanchthon ad alios scripsit.

De tribus harum classibus vide Prolegomena.

I. Class.

Epistolae, quas Melanchthon solus suoque nomine ad alios scripsit

alphabetico ordine eorum, ad quos scripsit,
addito epistolarum tempore huiusque tomi numero et pagina.

Asteriscus epistolae in hoc Indice additus significat eam h. l. primum esse editam.

II. Class.

Epistolae, quas Melanchthon ex Electoris mandato eiusque nomine ad Carolum V. Imperatorem aut Henricum VIII. Regem Angliae scripsit.

III. Class.

Epistolae, quas Melanchthon coniunctim cum Luthero aliisque vel ipse scripsit vel tantum subscripsit.

Plurimae earum non ipsae exhibentur, sed lectores ad de Wettii, Seidemannii et Burkhardti collectiones epistolarum Lutheri delegantur.

B. Epistolae, quas alii ad Melanchthonem scripserunt.

De duabus harum classibus vide Prolegomena.

I. Class.

Epistolae, quas alii ad solum Melanchthonem scripserunt

alphabetico ordine scribentium,

addito epistolarum tempore huiusque tomi numero et pagina.

Asteriscus additus in his quoque epistolis indicat, eas hucusque non fuisse editas.

II. Class.

Epistolae, quas alii ad Melanchthonem et Lutherum aliosque viros coniunctim scripserunt,

alphabetico ordine scribentium.

Plurimae harum epistolarum non ipsae afferuntur, sed lectores delegantur ad de Wettii, Seidemanni et Burkhardti collectiones epistolarum Lutheri.

C. Epistolae aliquot ab aliis non ad Melanchthonem sed ad alios scriptae,

(cuiusmodi multae etiam in Corpore Reformatorum continentur)
alphabetico ordine scribentium.

II. Iudicia et Consilia

A. a solo Melanchthone data.

B. a Melanchthone coniunctim cum Luthero aliisque data.

Plurima horum iudiciorum non ipsa afferuntur, sed lectores delegantur ad de Wettii, Seidemanni et Burkhardti collectiones epistolarum etc. Lutheri.

III. Testimonia.

IV. Varia.